

61
L 56 f
R

THESAVRVS SANITATIS PARATV FACILIS.

SELECTVS EX VARIIS Authoribus vt sequens indicabit pagina.

PER IOANNEM LIEBAVLTIVM DIVIOnensem, Parisiensem Medicum.

PARISIIS,
Apud Iacobum du Puys, è regione Collegij Cameracensis, sub signo Samaritanæ.
1577.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Authorum nomina.

HIP. siue Polybij Hippocratis discipuli de Diæta, denuò latinè explicatus.

Iacobi Syluij de victu facili pauperum Scholasticorum libellus.

Iacobi Syluij de Duro ac Parco victu, libellus latinus factus.

Iacobi Syluij Consilium aduersus famem & victuum penuriam, latinum factum.

P. Hyspani philosophi ac Medici præstantissimi Thesaurus pauperum: factus pene nouus & altera parte auctus.

Iacobi Syluij de Peste libellus, latinus factus.

Guinterij Andernaci de Peste.

Augerij Ferrerij de morbo gallico libri duo.

Ioan. Liebaultij de præcauendis curandisque venenis Commentarius.

Therapia puerperarum Ioannis le Bon.

Therapia recens natorū Rhodionis Euchari.



ORNATISSIMIS VIRIS, D. NICOLAO MAGNO, Simoni Petræo, Ludouico Dureto Philosophis, Medicis, Regisque Christianissimi Consiliariis.

I. Liebaultius Medicus S.



VI Medicinam faciunt (viri Ornatissimi) artem sanè omnium præstantissimã, sed longè difficillimã, maximè arduam ac si dicere audeo periculosissimam exercere mihi videntur: Nam præter accuratam infinitarum penè disiplinarum co-

gnitionem, præter absolutam singularum Medicinæ partium eruditionem, præter iudicium incredibile, ingeniique non vulgarem solertiam, omnino in medendo necessariam: longo quoque vsu diuturnaque experientia in opere Medico eum versatum esse oportet, qui munus Medici cum laude sustinere meditatur. Id nimirum subiecti ipsius dignitas ac amplitudo suo iure postulat, vt quoniã non sordidi alicuius opificij, sed humani corporis omnium præstãtißimi maximéque diuini operis Medico cura demãdata est, is quascũque ingenij dotes conferat, omnesque industriæ vires experiatur, quibus præsentem eius valetudinem tueatur, collapsamque citò ac tutò restituat. Quod tamen non dicam præstare aut susceptum exequi, sed aggredi quam difficile ac operosum fuerit, rei ipsius magnitudo testatur. Quanta enim (quæso) morborum non modò trecentorum vt putauit Plinius, sed penè infini-

torum turba occurrit? Quot clades, quot ærũnæ: Quot noui ac insolentes affectus quotidiè suboriuntur: quot iam geniti succrescendo vires acquirũt, quibus omnibus tanquã infestißimis vitæ salutisq́; hostibus, pugna cruenta Medico est indicenda? Quot casuũ inopinatorum euẽtus singulis ferme horarũ momentis sese offerũt, vt lapsuũ, ruinarũ, ruptionũ, adustionũ, luxationũ, vulnerũ, atque his cõsimiliũ quibus salutarẽ opẽ manu præsenti sug gerere debet Medicus? Quot venenorũ pericula, quorũ lethales impetus citißimè supprimẽdi ac propulsandi veniunt? Quãta in humanis corporibus spectãda diuersitas? Quãta ex ætatib⁹, sexu, regionibus, cœlo, educatione, studiis, vsu, varietas dignoscẽda: Quanta in corporũ cœlestium obseruatione difficultas, quæ nisi cognôris sæpe venenũ erit quod in remedium datur: Quàm diligens adhibẽda cautio in cõiiciendis morborum internorum notis, quæ fallaces sunt sæpenu

mero, siue coloris habitũ spectes, siue lotij signa rimneris, siue pulsus harmoniã obserues, velut hoc agẽtibus morbis vt hostem Medicum fallant: Vt iure quidẽ ac meritò Medici, cũ Momo illo à Ioue exoptare debuisse videãtur, fenestratum hominis corpus factum, quò quæ in intimo corpore delitesũt tanquam per fenestrã illis intueri liceret: Quanta item in præsagiendis futuris morborum euentibus solertia sit opus: Quanta sese offerat difficultas in excogitandis remediis, quàmque præceps ac mometanea eorum exhibendorum occasio: Quanta in ægris tractandis vbique mœstitia, quantus pauor, & quam tristis mortis imago Medicorum perpetuò obuersantur oculis: Vt ne addam, quòd etiamsi tot difficultates laborumq; molestias, summo studio atque industria Medicus peruicerit, omnemque mouerit lapidem, vt qua doctrina atque diligentia poßit, munus Medici sustineat, vix ac ne vix quidẽ vulgi calũnias, homi

nũq; perditißimorũ imposturas queat effugere: Ecce, veterator Empyricus omniũ rerũ ignarißimus prudẽtiæ ac industriæ Medicæ insidiari ac tenebras offundere nusquã desinit: En, impudens nescio quis sycophanta, purpuratus simia, suas nugas sceleratißimas præ salutaribus remediis venditat: Quid? Pharmacopæus audacißimus non veretur falcem veneficã in messem Medicã immittere, aliud pro alio supponere, quæ prudenter & opportunè à medico præscripta sunt immutare, vel quod fit sæpius, adulteratum aut inueteratũ atque euanidũ ex picturatis capsulis depromptum pharmacũ propinare, in maximã ægrorũ perniciẽ, ac famæ Medici nõ mediocre dispendiũ: Quid? Chirurgi, Tõsores, Aliptæ, Obstetrices, Clinicæ mulierculæ, permultique alij nebulones Æsopici, formulas remediorũ præscribere, morbisq; omnibus non minus doctè ac sciẽter quam vel Medicus ipse, se posse mederi impudẽtißimè iactitãt: Hæc om-

nia aliaq; quãplurima Medicinã facienti tædia deuorãda veniũt, hæc in exercẽda Medicina experiũda calamitas, hæc subeunda rerũ discrimina: Tot deniq; naturæ ingenij, doctrinæ, industria, exercitationis ac experiẽtiæ dotibus insignitum esse oportet, qui Medicinam successu fœlicißimo cum magno sui nominis splendore ac celebritate exercere meditatur. Intelligãt ergo Empirici, qui nulla vtili rerũ cognitione, sed inani ac vana nullâque ratione stabili firmata experientia Medicinã factitãt, artem hãc tam grauẽ, tamq; humano generi salutarem indoctis artificibus cõtaminandã nõ esse: Videant Mechanici isti artifices, primorũ grãmatices rudimentorũ, nedũ disciplinarũ Medico maximè necessariarũ ignarißimi, omnisq; vsus ac obseruationis Medicæ imperitißimi, quàm impudenter se Medicis æquales in medẽdo dictitent, & quã arroganter se morbis quibuslibet posse mederi glorientur: Discant Tyrones Me-

dici qui medicā praxin vix adhuc à limine salutarūt, artem hanc, penes quē est vitæ & necis cuiusque potestas, maturū medici iudicium, diuturnamque in morbis cognoscendis atque tractandis exercitationem desiderare: nec remedia medica quæ alioquin salutaria, deorūq; manus vocauit Herophylus, incōsultè polluēda, aut in perniciem hominū temerè prostituēda, sed à solo medico naturâ prudente & in rationali methodo diu multumq; versato magna cautione, & quod primum dicere debui, religione pertractanda esse: Remedia enim, licet per se salutē aut morbos non efficiāt, Salutaria tamen vix ac ne vix quidē esse possunt, quin potius deleteria, Si à stolidis & imperitis medendi artificibus exhibeātur, & qui, vt ait Plinius, discunt medicinam ægrorum periculis facere, & per horū mortes experimēta agere. Qui ergo ad praxim medicam vitæ parentem, tutricem, seruatricē, vindicem viam affectat, ad eam illotis

pedibus non accedat, nec sordidis manib⁹ eius pertractet mysteria, sed perpetuò diuinũ illud Hippocratis Oraculũ animo menteque reuoluat, eam artẽ longã esse, iudiciũ difficile, experimẽtũq; supra quã dici aut cogitari possit periculosum: Neq; verò quisquã speret se summũ medicinæ artificẽ futurũ, etiã si in feracissimis theoriæ medicæ campis multum operæ ac laboris collocarit, assiduis vigiliis & indefatigata animi commentatione omnia medicinæ mysteria perlustrauerit, veterũq; ac iuniorũ scripta sedulò euoluerit (quãuis & hoc sit maximi mométi) nisi sapientes & lõgo rerũ vsu doctos senes duces sibi proposuerit, artem ipsam exercentes magna animi attentione audierit, illorũ cõsilia obseruarit, multaq; ab illis didicerit quæ nulla scribẽdi facilitate dici aut explicari possunt: Vt enim ex libro Nauclerus, aut alterius artis opifex vix ac ne vix quidem vllus euadere potest: Sic neque ex aliorũ scriptis eximius vo-

quam Medicus est futurus, nisi omne exercitationis obseruationisq; medicæ genus cũ doctrina cõiungat, suasque tacitas lucubrationes ac latẽtes animi motus ad opus reuocet. Hæc mihi medicinæ factitãdæ ineũdæ videtur ratio: hæc, q praxeos medicæ sacris initiari cupiunt, adhibẽda animi contentio: Hæc, omni arrogantia, temeritate, ambitione, φιλαυτία proscriptis, sagax, sapiens & modesta suscipienda exercitatio: quæ tamen multò facilior ac expedita magis cuique Tyroni practico fuerit, si remediorũ quandã velut Synopsin ac suppellectilem in animo ac memoria reconditam habeat, è qua tãquam è ditißimo ac locupletißimo penu remedia depromat, si quãdo morbus vel affectus quispiã præter naturã occurrat, cui tutò ac promptè sit medẽdũ: Huiusce autem medicatricis Synopseos formulas quãplurimi è iunioribus præstantes medici, iuuandæ rei medicæ studio pellecti, scriptis mandarũt, quæ non modò medi-

cinæ Cădidatis ac Tyronibus, sed & aliis qui iă nō mediocres in ea progressus fecêre, non parŭ fructus ac vtilitatis sunt allaturæ: Idipsum verò præstitêre inter cæteros duo illa insignia medicinæ lumina, Fernellius et Hollerius, Medicorŭ qui ab Hippocrate & Galeno extiterŭt facilè principes, qui quicquid à veteribus in ægrotis curădis inuentŭ ac vsurpatŭ, quicquid particularibus experimētis à iunioribus maximè vero à seipsis felici faustóque successu obseruatŭ, tă fideliter literarŭ monumētis cōmendarŭt, vt nullŭ sit remedij genus tă absconditŭ, nihil in medendo tă occultŭ, abstrusum, ac secretum quod illis authoribus in splendidă lucem non prodierit. Ego verò, cŭ tot tantorŭq; virorŭ in promouendis medicorŭ studiis propēsam admodŭ industriă admirarer ac suspicerē, ne cæteris aliquid agentibus & de suo in publicŭ conferētibus, vnus inutilis aut omnino ociosus viderer, cœpi de remediis paratu facilib9 mecŭ quidpiă

meditari, ut Tyroni practico quodcunque remedij gen⁹ tanquã in numerato suppeteret, unde cuiuscũque fortunæ sortis ac conditionis ægrotos, quauis impendente necessitate, quouis tẽpore, ubicunque locorum, absque ullo aut nisi pauco pharmacopæi aliorũue assidentiũ ministerio, tutò ac citò iuuare queat: Nam remedia quæ à Fernellio & Hollerio descripta sunt, videntur nescioquem apparatũ postulare, & potius ditioribus, delicatis, in mediis urbibus degentibus, larga rerum copia undique diffluentibus, quã tenuis fortunæ hominibus, rusticis, villaticis, ruri agentibus, parcè ac duriter viuentibus, in rerũ angustia aut penuria versantibus, instituta: Itaque quoniam medici munus est non huius aut illius sed cuiuscunque humani corporis valetudinem tueri, idque cõsequi nõ cõposito ac mixto, potius quam simplici, non ab exteris petito nationibus potius quam domestico, non sumptuoso potius quam vili, non

difficili, potius quam paratu facili: sed quocunque remedij genere, quod salutare corpori esse possit, non minus sanè præsidium ad tuendam restaurandamque valetudinem sperandum videtur à remedio paratu facili aut vili, quam ab elaborato aut sumptuoso. Vt ne addam, quod ea quæ suapte natura talia existunt, nihil habent artis, promptè ac facilè parantur, multo gratiora ne dicam valentiora esse consueuerunt, quam quæ plurimũ elaborata ac velut operoso quodã fucata sunt artificio: non enim ars, sed sola natura vires remediis confert, illisque artificiosus apparat⁹ nil ferme aliud vtilitatis præter mixtionem aut fucum nescioquẽ solo colore aut sapore aut odore iucundũ parit, plurimùm vero detrimenti sæpè cõciliat, vt quibus vires imminuit, aut infringit, aut perimit, aut nõ necessarias acquirit, aut etiam (non aliter quã in vario ferculorũ apparatu) naturæ nostri corporis aduersarias ac noxias in-

generat. Quare remediorũ paratu faciliũ breuẽ Synopsin cõfeci, vel potius Thesaurũ sanitatis paratu facilẽ non ex meo vnius peculio, sed ex ditißimis virorum artis medicæ vsu & exercitatione clarissimorũ scriniis exornaui: fecique, vt qui à multis annis in situ ac puluere, tantorũ virorũ velut contẽpti iacebãt loculi, nũc multò venustiores, politiores, habitiores, auctiores ac locupletiores in lucẽ splendidißimã prodeant. Quo thesauro medicæ praxeos candidati interea frui poterunt, donec faustũ ac fœlix iam diu expectatũ sydꝰ, Fernelij raras & inusitatas in morbis curãdis obseruationes nobis aduexerit: Donec, tu MAGNE, *magnificos illos ac amplißimos tui fœcundißimi ingenij Thesauros publicè recluseris, nosq; opulẽtißimis tuæ felicißimæ industriæ medicæ Cõsiliis beaueris: Donec, tu* PETRÆE *immẽsum illud, tuæ solidæ doctrinæ iudiciiq; acerrimi in medẽdo pelagus toti Europæ patefeceris. Donec, tu* DVRETE *nõ*

solum tuas illas genio ipsius Hippocratis tibi dictatas in Hippocrate Cōmentationes iam pridē à Gallis exterísque populis expetitas, sed & diarias in tractādis ægrotis animaduersiones diligentißimas in lucem emiseris: Hunc autē Thesaurum nostrum vobis tribus Medicorum totius Europæ Coryphæis offero, voueoque: in quo si accuratam illā vobísque consuetā medēdi methodum nō planè aduertatis, saltē remediorum ad quosuis morbos paratu facilium Synopsin non inutilem ex vestro experiētiæ medicæ locupletißimo penu magna ex parte selectā agnoscetis, Syluiumque nostrum aliquot suis opusculis iam diu obsoletis reuiuiscentem, amplecti nō recusabitis. Hoc ergo totum, qualecunque fuerit boni consulite, ac habetote in sempiternum meæ erga vos obseruantiæ, gratique animi indicium. Valete diutißimè ac fœliciter. Calend. Maij. 1577.



HIPPOCRATIS SIVE POLYBII Hippocratis discipuli, de salubri victu idiotarum libellus.

Cibus & potus qualis & quantus quouis anni tempore sumendus.



IDiotas ac priuatos homines hæc diæta vti oportet: Hyeme præ cæteris plurimun edendum, bibendum quàm parcissimè. Et potus esse vinum debet quàm meracissimum: cibus, panis, opsonia assata omnia: oleri- *Hyems.*

bus ac tempestate præter cæteras paucissimis vtendum. Sic enim corpus maximè siccum ac calidum reddetur.

Ver. At verò vere ineunte, amplius potandum & dilutius, & paulatim: cibis quoque mollioribus ac paucioribus vtendum, panis subducendus, offáque offerenda: detrahenda etiam eandem ob rationẽ obsonia, & ex assatis omnia elixa facienda: non vescendum olenbus nisi paucissimis donec ad Æstatem sit peruentum: sub veris finẽ, & cùm iam æstas ingruet cibus mollibus, opsoniis elixis, oleribus tum crudis tum coctis, potibúsque quàm dilutissimis ac plurimis assuescendum, ita tamen vt id sensim ac paulatim non de repentè fiat, nec quicquã in victu temerè ac subitò immutetur

Æstas. Æstas vbi aderit iis omnibus & offa molli & potu dilutissimo ac plurimo, opsoniis quoque elixis, ac oleribus paulò licentius si vnquam aliàs indulgendum, vt frigidum & molle reddatur corpus: siquidem tempestas hæc calida ac sicca cum sit, æstuosa ac penè squallida efficit corpora: quibus æstiuis ardorib⁹ hoc genere victus promptè occurrendum.

Eadémque propemodum viuendi ratio

obseruanda, qualis dicta est cum ex hyeme ad ver, & ex vere ad æstatem fit transitus, nimirum vt cibus quidem detrahatur, potus verò augeatur: contrà cibus paulatim augeatur, potúsq; sensim subducatur vbi ab æstate ad hyemem fiet progressus.

In Autũno rursus cibi es plures exhibendi & sicciores, necnon eiusdem generis obsonia: potus verò pauciores & meraciores. Atque cùm hyems opportuna sit, homo perpetuo potu vtetur meraciore & pauciore, cibo quam plenissimo & siccissimo: sic enim & maximè sanus fuerit nec vllo frigore rigebit: nam hoc anni tempus valde frigidum ac humidum existit. *Autumnus.*

Victus cuique habitui conueniens.

HAbitibus corpulentis, carnosis, multum mollibus & rubicundis toto ferè anni tempore vti victu sicciore est ex vsu: humida enim est illorum natura. Verum duros & graciles, fuluósque ac nigros humidiore diæta ferè semper victitare oportet: corpora enim talia sicca existunt. *Victus habitu*[illegible] *corporis.*

Victus cuique ætati salubris.

Victus ætatum. Corporibus iunioribus victus mollior & humidior est vtilis: nam hæc ætas sicca est, súntque iuniorum corpora compacta. Senes verò siccior victus maiori tẽporis parte decet: corpora enim huius ætatis humida sunt, mollia ac frigida. Quare pro ætate, anni tempore, & habitu victus nobis ineunda est ratio, ita vt consistentibus & caloribus & frigoribus nos opponamus: sic enim maximè sani fuerimus.

Iter quomodo & quando faciendum.

Iter. Ambulandum hyeme quidem velocius, æstate lento gradu, nisi per solis æstum iter faciendum sit. Oportet autem & carnosos citius ambulare, graciles verò tardius.

Quibus balnea sunt ex vsu.

Balnea. Balneis quoque multis æstate vtendum hyeme paucioribus. Gracilibus autem magis expedit lauari quam corpulentis.

Qualis vestitus.

VEstes hyeme mundæ sunt induendæ, æstate oleo infectæ. *Vestes.*

Obesus ex gracili, & gracilis ex obeso qui fiat.

CRassi ac obesi qui graciles fieri volunt, ieiuni omne exercitij gen⁹ subire debēt, & cibos assumere adhuc anhelantes ex fatigatione & nondum refrigerati, & prius vinum bibere dilutum, non admodū frigidū: nec nō obsonia ingerere præparata ex sesamis aut condimentis hortensibus & aliis huiuscemodi. Sint autem obsonia pinguia quæ offeruntur, sic enim citissimè satiari & paucissimis impleri poterunt. Sed & semel in die cibum sumere, supersedere balneis, duriter cubare, & nudum deambulare oportet, quantum eius maximè fieri potest: contrà qui ex gracilibus crassiores ac obesi cupiunt euadere, omnia his quæ dixi contraria instituere & ieiuni nullum laborem subire debent.

Quando vomendum & quando aluus soluenda.

VOmitiones, ventrísque ablutiones hoc modo sunt vsurpandæ: sex hy-

bernis mensibus vomendum, hoc enim tempus æstiuo est pituitosius, & morbi circa caput fiunt & regionem eam quæ est supra septum transuersum: Quum verò æstas aderit vigebitque calor, infusis vtendum est: hoc enim tempus est retorridũ, & corpus biliosius, lumbi & genua grauantur, calores oboriuntur, & in ventre tormina vrgent. Quare corpus perfrigerare oportet, & quæ sursum feruntur, ex illis locis deorsum reuellere ac reuocare.

Quæ quibus purgationes conueniant.

ADministrentur infusa salsiora & tenuiora crassioribus & humidioribus: pinguiora ac crassiora gracilioribus & imbecillioribus. Crassa autem & pinguia infusa sunt quæ ex lacte fiunt, & cicerum decoctum, & alia huiusmodi. Tenuia vero & salsa sunt brassica, aqua marina, muria & eiuscemodi.

Quæ quibus vomitiones commodæ.

VOmitiones sic procurabis: Quicumque crassi ac obesi sunt & non graciles ieiuni vomant à cursu aut ambulatione cita circa meridiem. Sit autem di-

midia hemina hyſſopi in aquæ congio contriti, atque hoc ebibat affuſo aceto & pauco ſale, quò fiat iucundius. bibat autem primùm ſenſim ac lentius, poſtea amplius & citius. Qui verò graciliores & imbecilliores ſunt, à cibo vomitum hoc modo prouocēt. Loti calida præbibant meri heminam, mox varios cibos ingerant, nec inter comedendum nec à cibo bibant, ſed contineant ſe donec quatuor ſtadia quis percurrat. Deinde tria vina permixta ipſis in potu offerātur, auſterum, dulce ac acidum: primum quidem meracius & paulatim, & per multum temporis ſpatium, deinde verò dilutius & citius & affatim. Quicunque autem bis in menſe vomere conſueuit, huic melius eſt vt cōſequenter in duobus diebus vomat, quam decimoquinto quoque die. Alij planè contra faciunt.

Vomitus ſuperflui aluíque durioris remedium.

QVi facilè cibos reuomunt, aut quibus aluus eſt aſtrictior his omnibus conuenit crebro in die cibum ſumere, & eſcis vti variis ac opſoniis variè

instructis, vina item duplicia vel triplicia bibere. At qui cibos non reiiciunt vomitu, vel aluo sunt humecta his ex vsu est vt faciant contrà ac illi.

Victus infantium.

PVerulos infantes per multum tempus in aqua calida madefacere oportet, illísque vinum dilutum propinare quod tamen prorsus frigidum non sit, & quod minimè ventrem attollat & flatus excitet. Atque hæc facienda sunt, quo minus tentētur conuulsionibus, ipsique crescāt & meliorē colorem adipiscantur.

Victus mulierum.

MVlieribus ratio victus siccior conuenit, commodiores enim sunt cibi sicci molliciei carnis: potus verò meraciores præstabiliores ad vterorum fœcunditatem, & ad fœtum nutrimenta.

Exercitiorum ratio.

QVi exercitiis vtuntur, hyeme currere ac luctari debent: Æstate luctari quidem parum, currere autem minimè, sed multum deambulare secūdum ventum & frigus. Quicunque ex cursi-

bus fatigati fuerint, non luctari oportet: qui verò ex lucta fatigantur, non currere expedit. Sic enim laborans fatigatam aut lassitudini opportunã corporis partẽ calfactione cõseruabit & quiete recreabit. Si eos, qui exercitiis vtũtur alui profluuiũ corripiat, & ea quę per aluũ deiicit liẽterica sunt ciborúmque incoctorũ speciem referant, tertiam partem de exercitiis consuetis, & de cibis dimidiam subducere debẽt: palam enim est, quod ventriculus satis nõ habet caloris, quo ciborum ingestorum multitudo concoquatur. His offerẽdus in cibo panis, quàm maximè coctus ac velut assatus in vino intritus: potus quam parcissimus, ac meracissimus aut saltem temperatissimus: cauendúmque imprimis ab ambulatione statim à cibo: hoc interea tempore semel duntaxat in die illis cibus sumendus: nam hoc modo ventriculus incalescet, indéque cibos ingestos facilius euincet. Hoc autem genus profluuij alui exercet frequentius eorum corpora, quæ carne sunt densiore magísque cõpacta, ídque maximè cum homines eo corporis habitu præditi Carnibus vescuntur: venæ enim densatæ cibos ingestos non su-

Biscoctus.

ſcipiunt: Eſt autem talium corporum natura præceps admodũ ac lubrica & quæ facilè in vtrunque ſtatum prolabi queat: nec diu in huiuſcemodi corporibus optima habitudo poteſt conſiſtere. At verò rariores & hirſutiores corporum ſpecies carnium eſum magis ferunt laboréſque tolerant: & quæ illis ineſt optima habitudo multo diuturnior perſiſtit ac viget.

Imbecilli ventriculi curatio.

QVi cibos poſtridie eructant, & illis præcordia apparent elata, à cibis crudis adhuc & nondum coctis in ventriculo, ſomno diuturniori ſolito debent quidem indulgere, ſed tamen leui aliquo exercicij ac laboris genere vires corporis exuſcitare: vinum quoque meracius ac liberalius bibere, ſed interim cibis pauciſſimis ac parciſſimis vti: conſtat enim ventriculum præ imbecillitate ac frigore ciborum ingeſtorum multitudini concoquendæ non poſſe ſufficere.

Sitis remedium.

QVos ſitis infeſtat, his de conſuetis cibis ac laboribus multum ſubducere, vinúmque aquoſum & quã frigidiſſimum bibere expedit.

Viſcerum dolentium curatio.

QVibuſcunque dolores fiunt ex viſceribus: ſiue ab exercitio, vel alio labore male affectis, his ieiunis quieſcere conducit: potúque parciſſimo indulgere, eo quidem qui plurimam vrinam ducat, ne venæ quæ viſceribus ſunt intextæ nimia plenitudine diſtendantur. Huic enim tubercula & febres oboriri conſueuerunt.

Morborum à cerebro curatio.

QVos morbi à cerebro infeſtant, his primum torpor capitis ſuboritur, frequens vrinæ mictio, ac ferme ſtillicidium ad dies ferme nouem perſeuerans. Vindicantur autem à morbo ſi aqua aut muccus è naribus aut auribus erumpat, ſiſtitúrque vrinæ ſtillicidium: mictio autem multa ſuperuenit citra dolorem, eáque alba donec dies viginti prætererint, capitíſque dolor omnino deſinit, niſi quod oculi lucem adhuc refugiant nec eius ſplendorem ferre poſſint.

Sanitas res precioſiſſima.

POrrò virum prudentem id ſecum reputare oportet, quod ſanitas res eſt

preciosissima, ac proinde nosse ac scire quæ nocitura quæque profutura sint sanitati, vt ex suo ipsius consilio morbis omnibus occurrere ac mederi queat.

FINIS.

IACOBI SYLVII AMBIANI PROFESSORIS REGIJ, Medici Parisiẽsis, de victus ratione paratu facili ac salubri pauperum scholasticorum libellus egregius.

PRAEFATIO.



Vum multo cuique sit optatius morbum vitare, quam ipsum iam genitum curare: in morbos vero & frequentissimos, & plurimos, & sæpe grauissimos incidant scholastici pauperes: tum ex praua victus ratione, tum ex intempestiuo & tardiore vsu remediorum: mihi in mentem Deus optimus maximus immisit, diætam illis & promptam, & salubrem conscribere, qua illi

morborum causis potentius resistant: quibus tamen si incautè interdum leuiter perstringantur, medicos de remediis paratu quoque facilibus mora nulla consulant, ne malo iam altius infixo, postea medicos frustrà imploret. Vt autem diæta hæc cognitu quoque & obseruatu sit omnibus facilior, eam tractaturus sum ordine rerum singulis diebus ab horum quouis geri consuetarum.

Quando surgendum.

MAne igitur cùm musæ vocabunt, seu præceptoribus opera erit dãda, seu mutis (quod aiunt) magistris, se quisque in consilium adhibeat, an dormierit quantum consueuerat, quantúmque cibi hesterni quantitas & qualitas postulet. Nam cœnæ largiori, crudiori, coctúque in nobis difficiliori, tempus, vt in ventriculo percoquatur, longius est condonandum. Si igitur ventriculi tumorem subsedisse manu depreheñdis, si ructibus cœnæ hesternæ qualitatẽ referentibus non affligeris, corpúsque totum ad motus habilem sentis, & spiritus ad actiones promptas, surge & consuetis vestibus te contege: si verò nondum coxisse tibi videare, nec somno lon-

giori indulgere velis, te tamen adhuc in lecto aliquantisper cõtine: manu, palma, aut cubitis ipsis carnosis, ventriculo admotis.

Studium in lecto.

SI autem friget cælum, superno corpore contra frigoris iniuriam probè munito, & semirecto, reliquum plumis & stragulis prioribus permittas, & hac corporis figura, aliquandiu legas, lucerna in cornu conclusa: nisi lucẽ splendidam affectas.

Laterna

Quomodo surgendum.

AT si omnino surgendum est, manibus totũ corpus aliquoties etiam duriusculè confrices. Deinde vestes à lecto calentes induas, ac repentè concludas, ne in corpus apertum frigus derepente irrepat: quãdo, si pedes frigeant, rectus stabis qua culcitræ parte calor adhuc est largior, hócque statu ligulas omnes more tuo alliges, nisi aluus mox tibi descendere consueuit. Vbi corpus lecto excusseris, & calceos, aut potius pantophella, vel etiã gallicas pedibus circundederis: ambula, munge, tussi, spue, capútque pectas inter ambulandum dili-

galloches

gentissimè,& digitis,& mundo ac probè terso pectine, sed etiam integro, ne pillos euellat aut abrumpat. Inter deambulandum diductis sæpe cruribus, & respiratione cohibita, aluum solicitabis: quæ si inuitet, non negligatur, ne omissum post frustra reuoces: & quæ mordax & acris materia illam prouacabat, sursum recurrat, capútque dolore tentet: id quod plærisque quotidie vsuuenire solet.

Precatio.

INter surgendum, & etiam ambulandum, Deo supplicabis mēte quoad potes ac licet integra: nequid temporis per otium tibi pereat: vtque ἐξ ἐπιμέτρου, pulmonum thoracísque exercitatio pronunciando accedat, id quod ad expectorandam è pulmonibus excrementorum redundantiam nonnihil conferet. *Ex abūdāti, interim.*

Legendi ratio.

SI legendum est, loco te idoneo tacitum concludas, spina tota & facie recta, sublimes literas, ac velut in superficie orizonti parallela, & oculis eadem sitis, primùm legas tranquillè, ac in luce non ita splendida: nisi sis lusciosus, *æqualiter respondēte.*

aut ſimili alio videndi vitio ac imbecillitate labores, aut ſplendidæ luci aſſueueris. Legas autem oculis & mente, non, more quorundam, voce qua ſe & alios obtundunt. Characteres autem tunc legendi, ſi potes, ſint eminẽtes, vt viſionem minus lædant, cuius ſeruandæ ſtudio etiam ad lychnos cornu concluſos quidam legunt, alij etiam ſpeculum viride, aut cæruleum inter oculum & lucem interponunt.

De lucerna.

LVcem verò ne oculis oppone, ſed flamma ſit ſcripturæ ſiniſtra potius: lectura autem etiam dextra cõmoda eſt, modo neutra in oculũ radios immittat, ſed ſit vtraque paulo poſterior, ob ellychnij tenuitatem rarò mungenda: ne quum inane ferat, negotium tibi texas. Vilius eſt oleum candelis ſepaceis, & in his longæ ellychnio pretenui franciſcanis conſuetiſſimæ. Oleum napi quam lini vilius fere eſt: canabinũ grauius olet vti & ſepaceæ candelæ. Ob id vtriuſque fumo emiſſarium ac velut infumibulum papyro moliri fuerit operepretium, vile etiam fuerit & durãtiſſimum ex vuarum

ſeminibus.

ſeminibus. Si ellychnij ſumptum metuis, amiantum lapidem (quem officinæ pro alumine ſciſſili perdite ac nequiter ſupponunt) in eius vicē ſubſtitue, aut lychnitidis coliculos aut iunci medullam.

Chādelle de N. Dame.

Lectionis fructus.

ATtentus autē lege, propoſitas orationes in ſua velut membra partire, ſingulorū vim obſerua: in ſumma, Quintiliani, Budæi, Eraſmi, Viuis, aliorúmque doctiſſimorum virorum de ſtudij ratione præcepta ſequere, quæ quia paucis rectè cōprehendi nequeunt, prudens omitto. Vbi legendo, aut feſſus eris, aut ingenio tuo ſatisfeceris: quæ legiſti in pauca quædā capita congere, memoriæ ſi potes fideliter trade. Poſtea ſi quid aliud ages, eorū quæ didiceris memoriam exerce, vel tecum vel cum aliquo condiſcipulo.

Audiendi modus, & vtilitas.

SI verò præceptor aliquis doctus eſt tibi audiēdus, methodum eius ac ordinem attētus obſerua, & quid primum, ſecundum, tertium, & cur hoc ordine dicat. Quæ omnia, cum in certa quædam

capita cõieceris, & si vis exscripseris quibusdam si libet notis, cùm ad te redieris singula tecum aut cum alio repete, & si memoriæ parum fidis, fusius explica: vt tibi olim vsui hæc esse possint. Sunt qui calamo præceptoris verba assequuntur: quibus cùm mens prope tota sit in scribendo, parum vim rerum prehendunt: nisi quod secũ hæc postea coquere possunt, & his plenius ac diutius frui. Nolim verò te oculos aliò quam in præceptoris faciem intẽtos habere: multò minus mentem aliò conferre permitto: ne quod dicitur, præsens absis: cum altero colloqui etiam de re literaria, dum præceptori das operam, intempestiuum est. Velim verò maximè magistris vocalibus, sed doctis te semper vti potius quã mutis, quod auditus Aristoteli sensus sit disciplinæ, & habeat viuæ vocis actus nescio quid latentis energiæ. Ad hæc, non modo audita in animũ altius quam visa penetrant: sed vna hora fructũ percipis vberrimum ex labore præceptoris multorum etiam dierum, & mensium, & annorum. Adde, quod minimo & oculorum & aliarum corporis partium valetudinis incommodo auditur præceptor.

Magna visionis iactura & corporis reliqui sedentarij leguntur libri, præsertim Græci, & his magis Hebræi, & quotquot aut apices, aut puncta aut minutos characteres habent, in quos ad plenum pernoscendos spiritum visorium, & violentius, & sæpe diutius cogi oportet.

Frigoris propugnaculum.

SI autem vel legendo, vel audiendo, pedes, manus, vel partes aliæ frigeāt, aut etiam quod frequens est, totum corpus, hac ratione frigoris iniuriā propulsabis, imò potius fieri prohibebis: manicas, & alia corporis partiū munimenta habe si potes densa, præter minimè ampliora, vt citius & diutius ex te caleant. Pedes si puros habes ac solū caligarum & calceorum, internum præcipuè, minus erūt frigoribus opportuni: nam terreum id excremētum, quod pedibus & eorum inuolucris multum hærere consueuit, quantumuis calefeceris naturam pristinam mox repetet. Pedes igitur sæpe, vt singulis mensibus aqua calente laua, aut si ne id quidem datur, vespere linteo sicco & aspero diligenter terge, & si libet manu: Intus autem habe soccos ex pan-

no tela laneo vere, hyeme panno laneo si potes, æstate ex tela, sæpe mutandos & lauandos, & per pantophella aut crepidas pedes à terra longius abstine. Si ne sic quidem frigus vincis, stude digitos intendere, flecte, & extende, & pedes moue, & si licet, inuicem allide aut ambula, si ne hac ratione quidem malum id declinare potes, solo caligarum insperge puluisculum tenuissimum ex foliis aut baccis, lauri, ex foliis saluiæ, rorismarini, & similibus bene siccatis. Si calceus est, sarta térque quatérque cute, modo non interhiet, ferendus est: si rimosus limum ducat, consue vel obtura, si non corio idoneo, at quouis, vel etiam lineo aut laneo pāno. Si tibi alia sunt attrita, multo exesa & foraminulenta, panno cōsue, si non adest, corio, vel etiam pergamena, atque adeo papyro, qua materia tibiam totam caligæ modo circundare possis. Quum enim ea sit densa, nec frigus intro illabi, nec internum calorem foras exspirare permittit. Qua ratione, & ventriculo frigido & partibus aliis non satis calentibus, vel papyrum sed paulò crassiorem, ne sæpe mutanda sit, qualis chartacea est impone, vel pergamenam

pergamenam quantumuis vilem ac veteratam. Pileolo eandem hac fine multi imponunt, & mulieres ſuo capitio precipuè è regione coronalis ſuturæ, qua ſcilicet frigus maximum frequẽter ſentiunt concreta eo loci, tanquam corporis totius in fumibulo, pituita.

Exercitatio.

VBi aut legendo, aut etiam audiendo feſſus eris, ſi nõdum frigus in totum abiit, omnium corporis partium confricatione, aut exercitatione alia, primum elemẽti, deinde etiam celeri, & interdum robuſta, nonnunquam etiam vehementi, reliquias non modo expelle, ſed etiam calorem natiuum auge, & partes ſolidas robora, partiúmque ſingularum excrementa, quæ in ipſis pigra ceſſant exturba: aſuo & vrinis prius ſi potes redditis. calor enim partium labore quæſitus, & minimo conſtat, & nobis maxime familiaris eſt, ac diutiſſime durat, cum igneus calor tenuis, valens magno conſtet & mox vaneſcat: vt interim non addam ab eo noſtrum calorem, vt ab aëre æſtiuo, diſſipari. Cùm igitur tibi non ſit tam larga ſupellex, vt die toto tibi ſplendeat ſo-

cus perennis, nec is adeo sit expetendus (nisi sis perfrigeratus vt ipse egeas igni elemento ad frigiditatem summam mox euincendam) immo (vt dixi) corporis tui valetudini noxius, calorem motu omnium corporis partium quære, quem vt paulatim celeriorem, robustiorem, vehemẽtiorémve reddes, ita paulatim harum motus differentiarum vigorem remittas. Si in eo sudabis, sudorem terge, si tergere non datur, diutius clementiam laboris foue: vt paulatim sudor in vaporem solutus corporis calore, vanescat, nec humidum tibi & perfrigerari aptũ indusium relinquat. Vbi iam ad te redieris ac æqualitati cuidam corpus restitutum erit, ita vt amplius insigniter non caleat, ientabis, aut potius prãdebis, si habes quod edas: nec calor excitatus alimento sufficienti destitutus languescat, aut sanguinem vrat, aut corporis reliqui excrementa in ventriculum & partes singulas trahat, hísque meliorum penuria fruatur.

Cibi parandi facilitas.

TIbi autem, cibos & salubres, & paratu faciles, parúmque sumptuosos ita instrues. Panem habe, aut sili-

gnitem, aut semidalitem, vel saltem his affinem, probe subactum, fermentatum modice, minime salsum, & eum teneri ac duri medium. Eo ex aqua cocto pulticulam tibi parabis: si pingui, vt lardo pauco, vel adipe porcino purgato, vel alio, vel etiam butyro, condire potes, fuerit palato iucundior.

Pulticulæ condiendæ ratio ex pane & aqua.

Triticum panis loco ex aqua coquere, tibi non suadeo. Potes tamen ipsum & hordeum purgatum, vel orizam vel auenam excorticatam ex aqua & aceto pauco cum oleo aut butyro, anetho, porro, coquere, vel milium vel panicũ. Aquæ loco aut potius cum aqua ipsa, lac vaccinum fuerit salubre coquendo pani, vel hordeo, aut cereuisia si tibi est familiaris, aut carnium bonarũ ius ex olla carnulenta corrogatum, sed aqua initio addita, ne salsius euadat coctione lõga, nisi nõdum salem id ius acceperat, quale esse consueuit ex quo cœnæ carnes elixant collegiorum scholasticorum coqui, ne his adeps sale vitietur, & candelæ inde factæ implacatius crepitent. Condire ius tuum cæpa potes, aut allio, aut porro, nisi capitis metuis grauitatem, aut totius calorẽ, aut ab his abhorres. Inter coquen-

Ex frumentaceis.

Du ris.

Ex lacte iure carnium aut cereuisia.

dum hæc frumentacea, si noua aqua est sufficienda, sit calida, ne illa ægrius coquãtur, vt præcipit Galenus in libris alimentorum. Si frigus est vehemens puluere saluiæ, hyssopi, satureiæ, rorismarini, foliorum & baccarum lauri, aut ipsis virentibus, & ius & salsamentum condire possis. Si carnibus per facultates vesci potes, quãdo aliæ sunt cariores, suilla sit, & ea pauca, & ex porco non vetulo, nec admodum valenter aut diu salso. Bubula si vescendum erit, ea sit recens & ex boue iuuene, nam salsa & vetula coctu cõtumacior, & sanguinem gignit melancholicum magis. Potes eitam panis & hordei, vel orizę, & similium frumentaceorum loco, ipsorũ farinam cribro denso tenuissime cretã, sacco canabino impingere cum sale exiguo, & si voles pauco puluere modo dicto, ídque totum ex aqua percoquere, vento aut etiam sole siccare, ne acescat aut corrumpatur: eius farinę cochlearia aliquot aquæ immissa coquantur, donec nonnihil crassescat pulticula, cui pingue aliquid prædictum miscere potes. Ex caseo, prę sertim pingui & glutinoso aquę incocto, sunt qui pulticulam parant, sed cum caseus om-

Carniũ esus.

Farinæ seruãdæ ratio ad vsũ pulticulæ.

Caseo vsus.

nis, quicquid similiter crassum ac lentum, gignat calculum, ea pulte quãquam multũ & diu nutriente abstinebis, nisi caseus sit cõsuetudine tibi factus innocentior, & sępissime exploraris ab eo & similibus alimẽtis venas, in hepate, liene, renibus, exiles non obturari. Hęc de pulte multum nutritoria & paratu facili. Si autem ius appetis simplicius, cępa aquę incocta, & paucus sal etiam sine aliis latrãtem stomachum leniet, aut si calorẽ metuis, spinacia, beta, lactuca, portulaca. Possis ex aqua ac omphacio pauco, aut vino & sale & butyro pulticulam coquere, & in ea si friget cęlũ, satureiam, hyssopum, thymum, maioranam, roremmarinũ, saluiam adhec condire ius tuũ, &c.

Ius simplex.

Radices quoque esculentas, iuribus incoquere fuerit optimum, vt cęlo frigido pastinacam, daucũ, sisarum, carũ, arum, hipposelinum, raphanos: calido autem, naporum genus omne vescum, adiecto pręd ictarum radicum vel herbarũ pauco, vt flatulenti esse napi desinant: qua ratione etiam pisis, & fabis, eadem incoquimus, & castaneis. Ex quibus tribus, vti & lupinis dulcoratis, ciceribus pręcoctis, cicerculis, & alis plęrisque legu-

Radices Carotes priuees & sauuages, cheruis. Carui, vit de prestre. petrosel, macedonicum. Raues. Legumina.

cominum generibus probe in cremorẽ coquendo rabescentibus, alimentum capere possis: etiam paulò frequentius pręsertim fabis & castaneis: hę enim fructuum solę galeno sanguinẽ laudatum gignunt. Illę vi detersoria & nutrimenti bonitate hordeo non cędunt. Compunctas igitur acubus, aqua si potes repentè macera nocte vna, postridie nõ ita multa coctione mox in cremorem plurimum dissoluuntur, multum & diu nutrientem.

Cucumeris et poma. Ex cucumeribus quoque, & cucurbitis & similibus, pomis, item & pyris cũ aqua & pane coctis, adiecto sale exiguo & butyro, non ingratum alimẽtum nec insalubre effeceris, si per hyemẽ portio idonea pulueris tui misceatur. Is tamen cibus & frequens & vsu largo, pręsertim hyeme, succum crudum appellatum genuerit.

Pisces. Ex piscium quoque cyprinorũ, & nostrarum alecum desalitarum decocto ius paraueris: si autem ab alecum nostrarum salsugine reliqua metuis, post coctionem à dorso diuisis butyro recenti insulso farci, adiecto vel aceti vel omphacij memento. Idem in ichthiocolla (moruam vulgus vocat) faciendum, & aliis, piscibus salsis tibi censeo. Merlangi

vulgò eppellati pisces, carne omniũ nostratium maximè leui & molli, & friabili prediti, quia insipidi sunt viles habentur: si tamen exenteratos sale pauco sarcias, & horis aliquot infumaris, deinde leuiter in craticula assaueris, cibum effeceris palato & ventriculo gratissimum, coctu facilem, & succi bonitate saxatilibus non cessurum. Oua recentia ex aqua cocta vt sint mollia & sorbilia, cum pane sumpta sunt optima: Eadem cum pane tribulata & ex butyro modice cocta, nõ contẽnenda. Castaneę assatę aut elixę, amygdalę, auellanę, pruna, vuę passę, ficus passę, vsui esse possunt, quibus pręsertim diebus ichthyophagia imperatur. Opus pistorium, quia carius & insalubre, tibi fugiendum censeo, & multò magis fungorũ genus omne, quod hęc omnia, succum etiam crudum vocatum, generare consueuerunt, præcipuè ventriculis parum valentibus.

Oua.

Castanee.

Potionis ratio.

POtus autem fuerit aut vinum imbecillum, nisi ventriculi imbecillitas generosius requirat: vini loco, immo præcipuè si carum est, cereuisia, aut biria tibi

assueto, aut saltem nō auersanti, nec eius potione ante offenso, fuerit. Interdū lac aquæ mistum, aut aqua ex pane cocta, vel passis tum prunis, tum vuis, glycyrrhiza, hordeo, & similibus. Quin & pruna passa confixa acu passim, & aqua macerata, postridie potionem tibi iucūdam effecerint, præcipuè si sint dulcia, sin minus vuis passis adiectis. Serum lactis & butyri, aëre calido bibatur, aut ptissana (cuius cochlear ore diu contentum, à siti omnium maximè & diutissimè vindicat, etiam si iter agas aut febricites) aut apomeli, aut oxycraton seu posca, quæ est aqua tam pauco aceto diluta, vt citra molestiam bibi possit. Ius quoque carnium, aut quod vis aliud ex dictis, liquidum sed refrigeratum, potionibus etiam præstantissimis bonitate non cedit, præcipuè si carnium est bonarum. Hyeme verò, in magna vini pænuria, bibe mesue hydromeli, aut mellis vinum à Plinio celebratum, quod paratu est facillimum minimè sumptuosum, & vina etiam generosa saporis gratia & caloris vehementia æquans, si rectè erit pararum: vt in Mesue docuimus. Pomatium, pyratium, sorbatium, cerasatium, cornatium, moratium,

lotatium vinum, & quod his est simile, vbi in doliis coctum erit vtendum permitto, præsertim vel assueto, vel nullam inde noxam sentienti.

Secundæ mensæ.

IN mensam secundam, si tam laute viuere possis, pruna & vuæ aut passæ & crudæ, aut ex ptissana coctæ, poma item, aut pyra cocta, aut butyro post cõcoctionem imbuta & fœniculata, aut puluere tuo cõdita fuerint optima. Item prunorum, cerasorum, persicorum nuclei, crustum panis, panis tostus pulueratus, fœniculatus, aut anisatus, interdum casei aliquid æstate recentis, hyeme vetusti, si es à calculi suspicione securus.

Colloquium sodalitium.

INter epulas sermo tibi sit literatus, de re tamen quæ magnam ingenij contentionem non requirat, vt de lectis vel auditis à præceptore, non tamen ita multus, vt cibos mandi prohibeat.

Cibi & potionis quantitas.

CIbos ede bene coctos, teneros, præcisos, præmansos, quantos ventricu-

lus tuus nulla omnino molestia percoquere possit. Potus parcior, nisi largiorem aluus astricta, aut causa alia exigat.

Calefaciendi corporis ratio.

IGnem verò excitabis in media bibliotheca, aut cubiculi parui area, & eum sublimem, vt eius sphæra tota fruaris, non quomodo publica hominum socordia hodie struit sub camino ad parietem apposito. Eius enim ignis non porcio quarta nobis est vsui, cum sphæræ etiam partem quartam nobis reliquam camini (vt vocant) tibiæ vitient, & intercipiāt. Concludes autem ingniculum testa figulina bene cocta, ne malè oleat, aut ferrea, sed ea vt dixi sublimi, à qua per emissarium fumus foras efferatur extra cubiculum. Ignis tui nutrimentum paratu facile & diuturnum, est carbo terræ, & corticū quibus coria densantur magmata seu panes (turbas vulgus vocat) sed vtrumque odore tetro displicet, ac halitu crasso & maligno suffocat, alimentáque his excocta vitiat. His ergo non vtēdum vti nec fimo putrente, nisi caloris causa, tuncque vapor omnis diligenter longius deducatur.

Coquendi cibi ratio.

SEd neque carbones lignei vti nec ligna viridia in coquendis alimentis sunt idonea, quod ea etiã, fumo graui implent, ac ingrata reddunt. Sint igitur hi ante semiusti quam coquendum his alimentum tradideris, cúmque haud ita multo post defecturi videntur, alij si potes pariter in foco alio semiusti substituantur, aut potius ignem perpetua lignis, si potes siccis, & nihil male olentibus. Minus illa nocere solent si ollæ tantum latus non etiam fundum perreptant.

Hypocausti ratio.

OB id hypocausto mediocri, sed sublimi, medium cubiculũ, ac idem exiguum calefac, impositis si libet carbonibus ligneis aut lignis ipsis, sed foras effumantibus, ori vero eius ollam tuam adhibe multis communem, qui tecum sumptum hunc, fecerint. Si vero hypocaustis cubiculum caleat, parum vestitus in eo versare, si foras tibi exeundum veste idonea corpus tuum à frigore defende, quòd in corpus calore rarefactũ promptè penetrat. Ne autem pectus, &

ventris partem ac genua quorundã more aëri aperta habe, sed diligenter occlusa frigente parte præcipuè.

Officium ab æpulis.

AB ępulis, gratias Deo vbi ritè habueris, manúsque & os laueris aqua pura, vel minimum vinata, dentes diligẽter expurga ramo rorismarini aut calamo, non acicula nec festuca, ne dentium radices, aut neruos, aut gingiuarum vasa conuulnerent. Omnium autem pręstantissimum tibi dentifricium fuerit herba hippuris, id est equi cauda sicca quod ea, quam lentiscus veteribus commendata dentes potentius tergeat, & astringendo magis etiam lentisco dictas partes omneis roboret. Post hæc ambula clementer, & cum docto congerrone aliquid meditare, leuiculum quidem, non tamen sordidum: spina interim non minus recta quam inter ępulas aut musas ipsas. Ad horas vsque duas post cibos audi si potes: nec lege nec scribe horis duabus, aut tribus post ępulas, in literas (vt prius est præceptum) incumbe, rectus tamen & in luce tibi familiari. Postea corpus exerce, vt labor cibum præcedat ex Hippocratis præcepto.

cœna.

COEnam, quomodo prādium, transiges, maiori tamen sobrietate. A cœna te vt à prandio geres, si quid aliquandiu post erit legendum, nec multa id contentione fiat, nec diu, sed potius diei totius rationem abs te exige, studiorúmque memoriam tibi refice.

Accubitus præparatio.

VBi corpus lecto ad spiritus animalis quietem, & instaurationem erit tradendum, si friget, ambulatione recalefiat, quæ si non sufficit, igniculum ex farragne excitato. Cuius beneficio si neque satis caleant pedes, caligarum tuarum parte calidissima (quale est quod fundum vocant) immissos lecto trade. Si nocturnum frigus metuis, infernos culcitræ angulos funiculo adductos committe (galeam facere vulgus id appellat) grauia quædam, si vis, strangula circumpone, & pro strangulo pannus aliquis canabinus farragine sicca, aut palea, aut fœno fartus, fuerit magno vsui. Indusia in id aliquot, vt interdiu sic noctu induisse, magnum est, aduersus frigoris iniuriam,

munimentum, vt pellitum quiduis, aut coriaceum, non in veste talari laxum, sed in angustis & strictis vestibus appressum corpori: vtque citius incalescas pedes etiam in nates reduces, in lectum inspira, manus ventriculo aut cubitos carnosos applica, cuba primùm in latus sinistrum, aut dextrum, nisi consuetudo aut aliud quid reclamet, & postquam Deo vnice te commēdaris, somnum tranquillus imbis. Nocte si expergisceris, tussi, & exspue, quod inter epulas & ab epulis faciendum quoque tibi est, vt pulmo & cor exerementis vacet. Sub auroram, aut aliquandiu antequam tibi sit, aut legendum, aut surgēdum, bis in septimana post multam corporis totius ex manu tua calente frictionem, sudasse, vel saltem maduisse fuerit saluberrimum etiam hyeme: nisi exercitatione diurna citatus sudor suffecerit, quam celerabis & augebis, si onere vestiū vel alio grauatus ambules; aut aliter corpus moueas, præsertim celeriter quod per hanc celerem simul & robustam, hoc est vehementem exercitationē maior fit in articulis omnibus ossium & cartilaginū attritus, caloris author: qui inde in ligamenta, ten-

dones musculos, & per horum arterias & venas in cor & hepar, ac ex his in corpus vniuersum distribuatur: quando cane peius & angue vitandum, tibi frigus, aut internum, pota aqua aut sumptis fructibus crudis & externum corpore parum vestito, aut frigenti aquę lapidi, terræ tradito.

Si vis incolumen, longuam quoque ducere vitam:
Musarum myste, hæc præcepta sabubi in totus
Obserues, in cauto antẽ si morbida causa
Immineat, medicum mox consule, eúmque peritum.

FINIS.

I. Philocœnus.

Corporis optatam, si vis retinere salutẽ,
Et tibi sufficiens quærere vile penum.
Hic breuiter lectus monstrabit vtrũque libellus,
Vim magnam exiguum mole volumen habens.

IACOBI SYLVII AMBIANI, PROFESSORIS Regij, Medici Parisiẽsis, de parco ac duro victu libellus elegãs.

PRAEFATIO.

HOminem ea lege natum esse háecque luce suauissima frui diuino numinis beneficio nemo nescit, vt quoad liceret & quantum cuiusque fortunæ conditio pateretur non suis tantum inseruiret commodis, sed & ad iuuandam tuendámque hominum societatem suas omnes cogitationes, omniáque studia cõferret: quo nomine ego infinitorũ pene pauperum (quorum alios domi delitescere præ pudore certo scimus, alios hostiatim victũ quæritare ac diuagari per hanc turbem cernimus) calamitatẽ miseratus, omnem adhibere operam decreui, vt qua arte, quóve consilio facili possim eorum mendicitatem grauissimam alioquin subleuem, illisque salubrem victus rationem (potissimum quod ad cibos, potus, & ad frigoris propulsandas iniurias attinet) præscribam, qua instructi atque admoniti suam posthac inopiam multo lenius ferant,

caueántque ne in morbos incidant, aut si inciderint quibus præsidiis se ab illis vindicent intelligant: vt tandem vitam minus laboriosam, ac diuturniorem salui ac incolumes possint traducere.

Cibus.

POtissimus & maximè familiaris, ac consuetus pauperum cibus, est panis ex tritico similagine, hordeo, metello, & aliis huiuscemodi confectus: de quo vbi pauca dixerimus, de reliquis ciborum generibus verba faciemus. Et quoniã panis diuino supremi numinis beneficio omnium ciborum vilissimus existit, ex eo multa eduliorum genera salubria, palato grata, & parum sumptuosa in frequẽtem pauperum vsum parari possunt. Inter cætera, panis satis durus ac aliquandiu asseruatus, friatus ac velut in minutissima frustula comminutus, in aqua purissima, aut lacte vaccino optimo, aut iusculo pingui vt carnis, lardi, vel adipis suilli, aut birea, aut lidratio, aut pomatio coctus, optimum plurimíque nutrimenti edulium suppeditat, dummodo diutissimè & ad iustam spissitudinem coquatur, & inter coquendum si aqua sit opus af-

Panis.

Insculæ.

fundatur cocta & calida: id sane multo vtilius palatóque iucundius futurum, si illud condiatur vel butyro aut oleo oliuarũ aut oleo nucis indito, aut seuo aliquo pingui iniecto, necnon insperso aliquo puluere aromatico: At specierum seu aromaticorum loco conficere poteris puluerem aliquem speciatum ex rorismarino, saluia, hyssopo, satureia, thymo, maiorana, foliis & baccis lauri, capitibus eryngij omnibus seorsim siccatis diligentissimè ad solis æstiui vmbram & in puluerẽ minutissimum redactis: Loco croci aut alterius huiuscemodi aromatici pulueris, vsurpare potes grana aliquot nigellæ romanæ, aut vtriusque cardamomi, aut cubebarum, aut aliquantulum terrę meritę quę apud pharmacopęos vilis est precij: cuiusmodi puluere monspessulani vtuntur.

Vice panis, macerabis per noctem integram, triticum, hordeum, auenam, pisa, fabas, caseum veterem & pinguem, quę omnia transmittes simul per tamisium aut setaceum, ac tandem lento igne in clibano concoques, vt inde fiat massa panis formam referens, è qua friata vti antea de pane friato dictum est, pulticu-

lam conficies condîtam puluere speciato nuper descripto, in cibum salubrem tibi futuram.

Potes quoque poma ac pira minutim consecta sub cineribus calidis lentè coquere & eadem detracta pelle vna cum pauco pane friato ac comminuto lento igne cōcoquere in formam placentę cuiusdam.

Grualdum quoque, quod est auena leuiter pista, plurimum valet ad inspissandum iusculum. *Grualdum.*

Longum foret recensere quot iusculorum formas parare sit facile ex herbis, cucumere scilicet, cucurbita, anguriis, cępis, porris, napis, & aliis huiuscemodi radicibus esculentis, incoctis vna cum lardo, aut carne bouina, & cęteris huiusmodi carnibus quę quoniam tibi minus familiares ac consuetę sunt ob precium: lardo, carne bouina omasis ouium, veruecum, porcorum, boum vesci poteris, & ex illorum visceribus potissimum iecoribus, renibus, pulmonibus, lienibus, cordibus, asperis arteriis iuscula hoc modo cōficere: Contere in mortario ligneo pistillo ligneo partes supradictas adhuc crudas, easdem incoque in aqua fluuial

aut fontana puriſſima cum tantillo aceti & aliquantulo pulueris ſpeciati antè commerati : ſub finem coctionis adde panis friati portiunculam aliquam, aut aliquot reſegmenta cruſtacea panis.

Sãguis. Sanguis veruecis, vt & porci inſpiſſatus ac concretus, tandémque coctus & ſi velis in ſartagine frixus cum cæpis & aliquo ſeuo pingui aut butyro non omnino contemnendus cibus eſt. In eandem vſum poteris vſurpare ſanguinem bouis adhuc iuuenis (bouillũ vocat vulgus) maxime vero vituli, quorum vterque in ſucci bonitate ſecundas poſt ſanguinem porci partes obtinet.

Neque negligendus tibi eſt ſanguis auium ac volatilium, vt gallinarum, caponum, pullorum, gallinaceorum, & ſimilium: quin potius quilibet ſanguis reponendus aliquo vaſculo terreo & ſale conſpergẽdus ne corrumpatur, corrumpi alioquin facilis ſimulatque è venis propriiſque conceptaculis exiliit.

Priapi. Priapi boum, vitulorum, boum humilium, veruecum tempeſtiuè caſtratorum, minutiſſime inciſi, piſtillo contriti, deinde tam diu cocti vt inſculum ſpiſſum ac viſcoſum reddant plurimum nutriunt,

ſuccúmque in ventriculo procreant qui non facilè diſſipatur ac diſcutitur: ob id iſtud edulij genus vtile ac commodum eſt potiſſimum ruſticis hominibus & qui in opere ac negotio laborioſo vitam ducunt: ſi tantum laboris in iis conterendis impendere pigeat, eos per taleolas ſectos abſque vlla contritione coquendos curabis: Eodem modo pręparabis iecora, renes, teſticulos, lienes, corda, & huiuſmodi viſcera animalium in victum tibi familiarem.

Ventres, exta, omaſa pecorum vt veruecum, vitulorum, porcorum ſi diligenter coquantur non parum nutriunt: inteſtina quoque humilium boum, veruecum, boum, bene cocta nutriunt quidem plurimum, ſed difficulter admodum coquuntur, ob id operariis, pugilibus, athletis ac ruſticis vtiliora, potiſſimum ſi decoquãtur addito tantillo aceti & inſperſo pauco puluere ſpeciato proximè deſcripto: adiectis quoque radicibus vrticæ ſi eorum decoctionem paulò tardiorem accelerare libeat. Exta autẽ eiuſcemodi non tam fœtent quam inteſtina porcorum hoc vel maximo argumento quod ſtercus veruecum ac boum minus male

Ventres, inteſtina Exta, omaſa.

oleat quam stercus porcorum: quæ tamen si paulo duriora extiterint, quod illis inter coquendum admiscebitur, nempe acetum & puluis aromaticus, omnem istam duritiem emolliet, & iucundo quodam sapore obliterabit.

Cerebella. Cerebella porcorum aliorúmque huiuscemodi animalium cocta eo apparatu quo & intestina, vtilia operariis, pugilibus & his qui difficiles quósque cibos cōcoqunt, non stomachis delicatioribus.

Medullæ. Ossa crurum & spatularum maiorum animalium, potissimum boum confracta ac conquassata reddunt plurimam medullæ ac pinguedinis copiam, parādis iusculis vtilissimam & maxime idoneam.

Cartilagines. Cartilagines, ossicula teneriuscula, tendones, nerui eorundem animalium concisa minutim, contrita & diligenter cocta, dentibúsque apprimè molita operariis ac rusticis plurimum nutrimenti, sed difficillimi suggerunt.

Glandulæ. Omnes glandulæ dummodo vitiatæ non sint, laudabiles, potissimum vaccarum, ouium, aut caprarum lactantium: glandulæ suum nuper fœtarum maximo in precio erant apud antiquos: quemadmodum apud nos glandulæ intercordia-

les phagoæ dictæ.

Iecur porci ficubus ex arbore delapsis aut quouis modo maturis nutriti, suauissimum ac delicatissimum præbet nutrimentum. *Iecur porci.*

Testes pullorum prouectiorũ aut gallinaceorum nutritorum pane macerato in lacte, aut sero lactis, inter cibos delicatissimos habentur. non minus probantur testes auserum, cuniculorũ, ac leporum, cæterorúmque animalium quorũ carnes in escas quotidianas veniunt, dummodo iuuencula illa sint, nec adhuc nisi raro suas femellas inierint: matrices quoque femellarum quæ nondum aut nisi semel atque iterum fœtarunt, suauem ac cõcoctu facilem nutritionem exhibent. *Testes.* *Matrices.*

Caro vulpeculæ vuis vindemiarũ tempore nutritæ, carnosæ & corpulentæ non omnino contemnenda. *Caro vulpis.*

Auium multa genera præter eas quæ in escas quotidianas veniunt, quales sunt corniculæ, bubones, pici, milui, passeres, sturni, picę, carduelles & aliæ quamplurimæ iuuenculæ ac pingues edi possunt: quæ si duriusculæ fuerint aut nescio quid ingrati saporis redoleãt, quẽadmodũ colũbi nemorales, vulgò bizeti dicti, prius *Auium caro.*

in aqua de coquēdæ, qua abiecta, iterum decoquendæ cum herbis aromaticis, aut cum caulibus albis.

Limaces escargots Limaces vinearij omnes, paulo post quam è terra egressi fuere suúmque fœtorem omnino deposuerunt, in aqua salita, aut in claro lixiuio cineris sarmentorum aut coryli decocti, purgati suis cœnosis viscidisque excrementis, deinde iterum decocti in aqua cum pauco aceto & herbis odoratis, addito butyro aut pinguedine aliquà, multùm ac diu nutriunt: aut si frigantur in sactàgine cum butyro & pinguedine.

Lūbrici. Lumbrici quę è terra nullo fimo subacta ac connutrita prodeunt, diligentissimè ab omni sorditie depurgati, in aqua tepida multoties abluti, nec non in aqua cum satureia, hyssopo, saluia, maiorana, roremarino decocti, non edendi nisi extrema pene vrgeat necessitas, etsi non omnino praui sint nutrimenti.

Angues. Angues fluuiales ac nemorales exenteratę, liberatæ sua senecta, & quibus caput & cauda ad quatuor digitorum latitudinem abscissa fuerint, item multoties, lotæ ac diligentissime depurgatæ sua sorditie in aqua aut lixiuio supra-

dicto quibusdam elephanticum morbum metuentibus in deliciis haberi consueuerũt, idque multo securius quam viperæ. *Viperæ.*

Ranæ licet omnes cacochymæ, meliores habẽtur quæ in aquis fluuiorum aut fontium degunt quam quæ in lacubus aut stagnis, quemadmodum & testudines: Pessimæ iudicantur quæ in fossis aquisque pacatis quietis, & vitiatis coaxant: Earum præparatio nota est omnibus: Excoriantur, altius corpus abscinditur, crura creseruantur quia carnosiora, depurgantur sedulo, multoties lauantur, tandem friguntur in sartagine cum butyro aut oleo addito pauco pane friato aut farina si libeat. *Ranæ.* *Testudines.*

Quod ad dies esui piscium dicatos attinet præter limaces vinearios ac ranas iam commemoratas, occurunt nobis pisces marini & fluuiales aliquot viliores, quales haleces, morutæ, sepiæ, merlangi.

Si haleces satis desalitæ non fuerint, coquendæ veniunt in aqua satis copiosa ad multam aquæ consumptionem, & inter coquendum parum butyri & cepæ addendum vt inde iusculum optimum *Haleces.*

paretur: aut si libeat coquendæ in eo condimenti genere (vulgo dicto stuua) quod ex vino, aceto, sale, aqua, butyro, omphacio vulgariter parari consueuit: Quod si adhuc satis desalitæ non fuerint, comedendæ erunt cum butyro recenti non salito, addito tantillo aceti aut omphacij. Si in craticula asses, simulátque assatæ fuerint, eas per dorsum findito, ac condito cum butyro non salito, addito si libeat tantillo omphacij aut aceti: Iste præparãdi modus eas delicatiores, gratiores, magisque salubres reddet, nec tantã sitim excitabũt à pastu.

Morutæ. Morutæ recentes ac candidæ multo meliores quam rufæ aut nigræ & fœtidæ. Hæ elotæ diligenter, deinde coctæ in aqua purissima cum pauco vino, butyro & herbis odoratis, accommodatissimum cibum exhibent operariis, ac iis quorum ventriculus vel natiua constitutione vel ob assuetum laborem atque exercitationem durissima quæque nullo negotio conficit.

Sepiæ. Sepiæ omnium generum & ex quibusuis littoribus petitæ: Lardũ quoque quadragesimale, eiusdẽ sunt generis, sed sepiæ propter fœtorem viscidámque consi-

ſtentiam diligentiſſime, abluendæ, coquendæ in aqua, deinde in ſartagine vna cum butyro, aut oleo & cæpis frigendæ: tandem puluere ſpeciato inſpergendæ.

Merlãgi. Merlangi, omnium noſtratium piſciũ carne maxime leni molli & friabili, quia inſipidi ſunt viles habentur: Hos exenterabis relicto intus iecore, & iniecto pauco ſale in ventrem: deinde horis tribus aut quatuor in camino infumabis, poſtea leniter in craticula aſſabis: inde butyro recenti, aceto aut omphacio condies: Sic eos effeceris delicatiſſimos, ſalubres, ac ventriculo gratiſſimos. Quod ſi adhuc delicatiores experis, appone eos ignitis carbonibus, à quibus remoue ſimulatque pellis rugas cõtrahere incipiet, qua detracta, aſſato leniter, & butyro illine.

Oſtrea. Oſtrea elota diligentiſſime, cocta in aqua cũ butyro recẽter ſalito, paſſulis, & prunis tenerrima fiunt palatoque ac ventriculo iucundiſſima. Quod ſi dulcedo tibi diſpliceat, adde tantillum aceti cum aliquot caryophillis integris.

Sulmo. Sulmo ſalitus vbi optime deſalitus fuerit & coctus in aqua cum butyro recenti, paſſulis ac prunis damaſcenis ſucci bonitate ac gratia non cedit per-

nis etiam moguntinis.

Legumina. De leguminib⁹ qualia sunt pisa, fabæ, lenticulę: De fructibus qualia sunt poma, pira, tam mollia quam siccata, pruna, passulę, auellanę, amygdalę, nuces, ficus, non est opus multa proloqui: quod horum vsus satis familiaris sit vulgò in insculis, pulticulis, & cęteris condimentis.

Ex quatuor vnciis ficuum, & pauco pane simul optime coctis paratur edulium spissum optimum, delicatissimum & salubre.

Potus.

IAm dicendum de potu salubri, paratu facili, ac minime sumptuoso.

Vini loco quod carissimum esse solet pauperibus, vtendum birea, cereuisia, pomatio, pyratio, carisio, sorbatio, prunellino, cerasatio, cornatio, moratio, lotatio, vino secundario, hydromelitę aut vino mellis parato ex melle cocto cum aqua ad ignem primum, deinde soli ęstiuo ardentissimo per dies quadraginta in cado exposito aut admoto iuxta ignem tãtum, tamen valétiore facto addito pauco fermento: vtendũ etiã aqua cocta cũ pauco melle,

melle, aut saccaro, vel passis, tum prunis tum vnis, glycyrhiza, hordeo, aut cum pauco aceto, aut cum melle & aceto simul anixtis: aut aqua cocta cum furfure valentiore reddita fermento pauco adiecto: aut aqua cocta cum pauco pane, aut cum roremarino, satureia, saluia thymo, maiorana: aut pipere, caryophyllis, nuce moschata, zingimbere, & aliis huiuscemodi aromaticis mixtis cũ aqua cruda aut cocta, aut birea, cydratio, piratio, maxime si tui ventriculi imbecillitas ac frigus id postulet: aut aqua cocta mixta cũ tartaro vini alicuius valẽtissimi ac generosi: tartarum autem est fęx illa vini quę adhęret lateribus dolij vino depleti: Hoc artifitio Pauper omnia aquę crudę vitabit incommoda, suámque valetudinem sartam tectam retinebit ac tuebitur aduersus iniurias quascũque, quę corpori sano plurimum negotij facessęre cõsueuerunt ob vitium in victu paulo maiori aut prauo, aut intẽpestino.

Exercitium.

DE subeundo labore aut exercitio nulla lex hic pręscribenda, sed ineunda ac retinenda à consuetudo quę

cuique familiaris ac propria, & quam vitę cuiusque fortunarúmque conditio postulat: vitabis interim omnes morborum febrium, aliorúmque symptomatum occasiones, si, dum a vehementi exercitio ac labore violento, toto corpore etiam ad sudorem vsque incalueris, aëri paulo frigidiori subito non te obiicias: nec potu aquę frigidissimæ, aut esu fructuum fugatium crudorum, aut alio quouis intemperantiæ genere refrigerium tam cito quæras, sed lentè ac paulatim sudorem exhauriri finas, potissimum si ad cõsuetum laborem statim tibi sit redeundum: Quare in tanto calore ac sudore totius corporis ne vestes exue, eas auge potius nouis, nec te aëri frigido expone, aut super terram, herbaceum solium vel lapideum locúmque aliũ frigidũ sede aut recumbe: Si sitis vrgeat, os aqua frigidissima collue tantum, nec vlli potui gelido indulge donec sensim ac paulatim totum corpus tibi refrixerit: Hinc enim vestræ valetudinis potissima calamitas, hinc vitæ vestræ ante diem funestus exitus, non aliter quam videas equos cursu aut equitatu aut alio labore vehementiore plus æquo excalfactos si ad

aquas gelidissimas paulo citius ducantur, letali torminum cruciatu statim præhendi, indéque sæpius commori.

Vide igitur ne tam repentina ac subita mutatione à calido in frigidum, ab opere ad ocium, tuæ valetudini negotiũ plurimum facessas, vel etiam vim inferas. id si agas optime tibi tuæque valetudini consultum putato.

Vitandæ iniuriæ frigoris.

FRigoris molestissimi iniurias propulsabis motu, alimentis calidis, omnibúsque externam cutim corporis excalfaciẽtibus: Motu quidẽ, si citissime validissime ac diutissime suscepto labori ac operi te totum adhibeas, si partem parti vel cuipiam rei durissimæ, confrices, palpes, attrectes, concutias, & commoueas: Vt manus manibus, brachia brachiis aut tori spinæ, pedes pedibus. Alimentis vero potissimũ calidis actu vt vsu specierũ, puluerũ aromaticorũ, pulueris aromatici ex herbis antea commemoratis confecti: haustu aquæ vitæ aliquoties in mense nisi reclamet febris, aut partis alicuius in intimo corpore delitescentis intemperies calida repugnet: Quæ cutẽ extimam excalfaciũt sunt frictiones mu-

tuæ manuum, aut agitationes durorum & calidorum corporum, vt si ferro, aut ligno excalfactis manus aut totum corpus diutissimè confrices.

Aër calidus solis, ignis, fimi, aut halitus animalium potissimum hominum etiam vim habet excalfaciendi: Qui tamen ab halitu hominum, fimi, & animalium expiratur nec tutus nec salubris esse potest si per os excipiatur.

Thermæ, vaporaria, hypocausta in cubiculis aut secretiore domus parte, indumenta, tegumenta, stragula, lodices cutem nostri corporis excalfaciunt & ne noster natiuus calor impendio refrigeretur ab aëre gelido aut foras dissipetur obsistunt: Quod si tegumentorum huiuscemodi lodicum, ac stragulorum ex lana aut bombace confectorum non tibi suppetat copia, ea poteris ex panno cannabino, farragine sicca, aut palea satis densa, aut storea aut tegete stramineo aut papyro, aut membrana pargamenea, aut fœno, aut glumate loco lanæ at bombacis farto & interbastato contexere: & his totum corpus dormiendo ab omnibus frigoris iniuriis tueri.

Vitabis quantum poteris omnes ani-

mi perturbationes, mœrorem potissimũ, ac tristitiam: Quibus si aliquando imperare nequeas præ doloris vehementia ob varios fortunæ casus tam diu tibi molestissimos, vnicum solatium quære in deo, qui solus afflictæ menti potest mederi.

FINIS.

IACOBI SYLVII PROFESSORIS REGII, MEDICI Parisiensis, cõsilium perutile aduersus famem & victuum penuriam.

PRAEFATIO.

SI vt præclare monuit Ciceræ nõ solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem parentes, partem amici, partem patria sibi vendicant: nullàque re propius ad Deum accedere possumus, quàm si communem mortalium societatem omni officiorum beneficiorúmque genere nobis deuinciamus:

mirabitur nemo (credo) si quantum ingenij ac industriæ mihi à supremo opifice omniúmque bonorum authore Deo concessum est, id totum vtilitati publicæ deuouere ac cōsecrare lubentissime studeam. His ergo beneuolentiæ ac beneficentiæ mihi consuetæ vestigiis insistere dum pergo, anno superiore multorum ex nostratibus mendicitatem pene incredibilem, calamitosámque pauperum scholasticorum (quales quamplurimos ista fouet Academia) vitam ac summam pene inopiam miseratus, vtrisque prophylacticen quandam methodum descripsi qua edocti se suámque vitam ac valetudinem aduersus quosuis morborum imminentes impetus tuerentur: Sed ecce malum malo accreuit, nobísque iam diu variis morborum ac penuriæ publicæ casibus iactatis, nouus subortus est dolor ex inaudita annonæ caritate quam diuturni bellorum tumultus per totam ferme Galliam his temporibus inuexerunt: ista communis calamitas me proculdubiò impulit vt facili aliquo ac perutili consilio nostratium pauperum dolores ac molestias lenirem, illísque remedia præscriberem quibus in tanta rerum angustia se solarentur & suam valetudinem sartam tectam retinerent: donec huic ærumnosæ penuriæ finem exi-

tumque faustum ac felicem diuini numinis benignitas adferat: nosque omni fecunditatis fertilitatisque genere toties sperato recreet ac pene exanimatos exuscitet: Quanquam nullũ meliꝰ nullũ iucũdius nullũ cõmodius magisque salutare dici, excogitari aut præscribi potest consilium, quam si tot rebus afflictis, tanta victuum angustia, Deo omnis consolationis anthori pia vota faciamus, eiusque prouidentiam admiremur ac suspiciamus qui neminem nisi meritæ calamitatis flagello castigat.

Si quid ergo consilij in medium contulerim vnde conceptum iam diu dolorem lenire possis: id non meæ industriæ sed diuinæ supremi numinis beneficentiæ acceptum deputato, è cuius ditissimo penu hæc deprompsi quæ tibi mœsto, penè iacenti ac omnium ferme rerum penuria, laboranti solamen ac leuamen non mediocre allatura spero: In quibus si nihil politum, nihil facũdum, nihil elegans, nihil denique quod Ciceronianam eloquentiam redoleat reperias, id meæ ignorantiæ non diuino numini ascribito, meque hominem esse perpetuoque futurum scito, id est, natum in tenebris, educatum in omnium rerum caligine, nisi sol ille exoriens suo lumine me illustrauerit, & in me docilitatis quosdam scintillas ac igniculos scientiæ accenderit: quales (mihi crede) recognosces quam-

plurimos in his quæ tibi mox scripturus sum, maiores vero ac multo plures in nostris maiorum vigiliarum operibus: interea quæso diligenter expende quid ego consilij tibi sim daturus, illudque æqui ac boni consule: quod si facias prodibunt in lucem propediem quædam ex nostra tenui officina, ex quibus mirabiles eruditionis medicæ fructus comparare poteris.

Caussæ famis & sitis.

SAnitas vitaque hominum quemadmodum & cæterorum animantium consistit in duobus iusta nimirum ac debita quantitate & qualitate triplicis substantiæ, solidæ, spirituosæ, & humidæ: ex qua pars quælibet nostri corporis ortum conformationemque nacta est: iusta est & inter sanitatis limites sita quantitas, cum nulla ex illis tribus substantiis modum suæque naturæ conuenientem mẽsuram excedit, nec vlla ex parte ab illa deficit, sed tanta est quãtam & natura cuiusque postulat, & diuini numinis prouidentia præscripsit. Qualitas spectatur in eo, cum nulla ex his tribus substantiis vel paulo calidior, aut frigidior, aut siccior, aut humidior, aut craſ-

ſior, aut tennior exiſtit, aut alterius huiuſcemodi qualitatis quocunque modi exuperantis vt odorum vt ſaporum eſt particeps: Subſtantia ſolida conſideratur velut in carne neruoſa portio, in oſſe quod durius eſt, in neruo fibra, aut ſtamen. Subſtātia humida, eſt caro propria, humores & ſucci, tum primigenij, tum alimentarij, tum elementares in qualibet parte contenti, & ſi libeat, ſanguis ipſe: Spirituoſa, eſt vapor tenuis ex duabus prædictis ſubſtātiis elatus vi caloris. natiui in hac triplici ſubſtātia optime temperata reſidentis. Porro calor hic natiuus quantumuis temperatus extiterit, triplicem illam ſubſtantiam in ſui alimoniam ac vſum, noſtræque vitæ conſeruationem aſſidue depopulatur ac diſſipat: modò quidem amplius ac copioſius cum temperati limites exceſſit qualis cernitur in iuuenibus, bilioſis, in aëre feruentiſſimo, in exercitio vehementi, in febribus, aliiſque morbis calidis: modò vero minus, nimirum cum remiſſus admodum extiterit qualis ſpectatur in multis mulieribus cādidis, in ſenibus, & cæteris huiuſcemodi naturis contrariis, potiſſimum ſi tres illæ ſubſtantiæ ob ſui tenuitatem & humidi-

tatem facile aut ob sui densitatem non admodum facile dissipari possunt: Ab ista triplicis substantiæ dissipatione fames atque sitis nascuntur: cogimurque ad restauratione͂ huiuscemodi triplicis effluxus, quem natiuus noster calor peperit, cibos ingerere, potu vti & spiritum ducere: vt cibis quicquid potissimum è substantia solida effluxit restauretur: potu, quicquid ex humida deperditum est restituatur; spiritu ceu auhelitu quicquid ex spirituosa exhalauit rependatur: addidi potissimum, quoniam nullus tam simplex potus cibus aut spiritus est qui triplicis huiusce substa͂tiæ non sit particeps, ita vt potus & cibum & spiritum contineat. plus tamen humidæ quam solidæ aut spirituosæ substantiæ. Quò fit vt ad tempus solo cibo, aut potu aut aëre viuere possimus quemadmodum mox docebimus: sed quoniam spirituosa quæ inest nobis substantia ob sui tenuitatem aëream quam habet plurimam, subtilitatemque igneam assidue à nostro calore dissipatur, assidua quoque inspiratione atque expiratione, pulsationeque perpetua arteriarum, potissimum quæ vicinæ sunt cuti, reparatur: At insolidam sub-

ſtantiam quod ea denſa cõcreta & compacta ſit admodum non facile noſter calor poteſt vim ſuam exercere, ob id non tanta nobis neceſſitas cibi ſumendi impendet. Humida mediæ cuiuſdam naturæ eſt inter vtranque, quod ad eius effluxum reſtaurationẽque attinet: Quò autem craſſior aër extiterit, ſi modo poſſit facile digeri & in ſubſtantiam cerebri, pulmonum, & cordis conuerti necnon ſpiritus fouere, eo valentius calori depopulanti reſiſtet, nec tam frequenti inſpiratione opus erit, niſi alia cogat neceſſitas: Item quò cibus craſſior viſcidior, compactior aut magis glutinoſus, eò potentius calori depaſcenti repugnabit, ſi modo ſtomachus & hepar illum poſſint euincere: ob id tam frequenti cibo opus non erit. Idem cogitandum de Potu: Habes igitur cauſſas famis & ſitis (nam quod ad eam reſtaurationem attinet quæ aëris inſpiratione fit nullum adhuc illi nomen eſt inditum) & quomodò in vniuerſum cauſſæ huiuſcemodi ſint oppugnandæ: Nunc accipe propria ac peculiaria cuiuſque cauſſæ remedia.

Remedia generalia famis & ſitis.

CVm sitis & fames, vera quidē vtraque & non mendosa, nil sit aliud quā dissipatio ceu effluuiū quoddā perpetuū nostræ triplicis substantiæ à depascente nostro calore excitatū: vel potius deperditæ substantiæ restaurādę appetitus, fames quidem siccæ, sitis humidæ, præpedienda proculdubio huiuscemodi dissipatio, aut si omnino impediri nequeat, saltem ne tanta ac tam assidua fiat, obsistendum, aut si ne id quidem facile fieri possit, reparanda ea necessariò, potu, cibo, aëre inspirato: Dissipationem impediemus, si omnes poros ac meatus corporis occludamus, exceptis iis quæ excernendis superfluis corporis excrementis à natura sunt dicati, quales sunt meatus per quos fæces, vrinæ, & mucus expelluntur foras: per quos etiam inspiratio ducitur: Item si temperemus aut minuamus calorem natiuum quem effluuij istius authorem esse constat. Occludemus poros, si roboremus ventriculum, ne reuomat, sed citius potum cibumque digerat ac cōcoquat: Si astringamus intestina roborantibus, ne cibus cōcoctus in vētriculo tam cito elabatur & antequam hepar suxerit & ad se pellexerit omnem

ſuccum optimum in ſanguinem conuertendum ad totius corporis nutritionem: Si cutim totius corporis obſtruamus, ne per poros paulò patentiores tam facilis ac expedita fiat triplicis noſtræ ſubſtantiæ diſſipatio: Si occludamus vias excernendo ſemini deſtinatas, ne ſemen vna cum magna ſpirituum copia euacuetur: Si venas atque arterias contrahamus per quas aliquando apertas ſanguis effluit.

Temperabimus vero ac minuemus calorem diſſipantem, ſi vitentur omnia quę excalfaciunt, qualea ſunt longum ieiunium, in biliоſo corpore potiſſimum: vehemens exercitium in aëre calido, ira: frequens, longus, ac immodicus veneris vſus, viua potentia, ac generoſa, cibi aromatici, ſaliti aut quouis modo excalfacientes, velut ſaccharum, mel omnia dulcia in homine bilioſo. Aut ſi in feruentiſſima tempeſtate aëris refrigerium quocunque modo queramus, vel aſperſione aquæ gelidiſſimæ, vel expauſione per cubicula aut triclinia ſubterranea. herbarũ & ramorum refrigerãtium vt violarum, foliorum vitium, nempharis, ſalicũ, quercus & ſimiliũ. Aut ſi cibos potuſque ge-

lidissimos ingeramus: Aut si abstineamus à ieiuniis, vigiliis, omni exercitio vti dictum est: nam qui non laborant nō vsque adeo famelici sunt quam qui in assiduo versantur opere: Qui frigidi sunt natura pituitosisque excrementis abundant non sunt famelici, nisi quod frigus humoresque frigidi tandem deprauatum appetitum excitant: sed ij tantum concoquere nequeunt quantum ingerunt.

Quæ animantia solo habitu viuunt.

NVnc vero doceam' quēadmodū homo & cętera animantia quāplurima si nō semper, aliquo saltē spatio tēporis viuere possunt solo aëre substantiaq; aërea, aut solo potu, aut solo cibo absq; potu: Vt de primo primum dicam vrsos, glires, testudines, angues, serpentes, viperæ, & multa alia animātia in suis delitescentes speluncis viuunt absque potu & cibo, solo auhelitu; sine quo ne momento quidem temporis viuere possimus: multi apoplectici ac lethargici dies aliquot transegerunt absque potu & cibo: multi carceribus inclusi, aut in foueas dati precipites, aut in nemoribus abstrusis delitescentes, aliquo temporis spatio sola inspiratione aëris contenti vixerunt: Scribit

Plinius.7.Nat.hist.cap.2. quosdam populos astomos halitu tantum viuere & solo flagranti odore pomorum syluestrum quem naribus trahunt: Experimur quotidie quamplurimos resurgere ac velut reuiuiscere solo vapore panis, carnis elixę vel potius assæ, aquæ stillatitiæ rosarum, caryophillorum, nucis moschatæ, & similium, huiusque vaporis ope syncopem etiam lethalem præsentem sanari vel imminentem arceri: quod vapor is naturæ nostræ familiaris spirituosæ subæ effluuium restaurat eademque opera alias plurimum reficit: contrà fœtidus, malignus ac veuenatus vapor aut odor facile nos de medio tollit: Quo fit vt qui ex morbo vel alia ex causa debiles sunt, multo promptius odore quam vlla re alia restaurentur: quin etiam si cui producenda ac protrahenda vita sit qui nec cibo nec potu iuuari amplius potest, nullum præsentius remedium tibi suppetit, quam si illi pene examinato quidpiam odoratū admoneas, naribus, aut Ori aut cuti extimæ corporis, quod inspiratione & pulsatione arteriarum attractum spiritus vitales penitus collapsos reparet.

Quæ animalia solo potu viuunt.

ET quemadmodum vapor qui eſt humor ſubtilior ac tennior factus, vel potius optimo odori iunctus, ſolus, ſi modo familiaris fuerit, per multos dies vitam ſuſtentat: Ita & potus (quanquam multò abundantius) potiſſimum qui liquorem habet cuique familiarem ac aſſuetum, qualis eſt aqua, birea, Gutalla cereuiſia, bromica, ptiſana, hydromel, oximel, Apomel, cidratium, pyratium, potus horum ſecundarius, vinum omnis generis, eiuſque ſecundarium, lac, ſerum, aqua caſei, cremor lactis, ſanguis, & omne ſuccorum genus qui ex decoctis plantarum aut animantiũ eliciuntur, qualia ſunt inſcula carnium & herbarum, reſtaurantia ſtillatitia. Videmus multos ægrotos abſq; vllo cibo diutiſſime viuere & ſolo potu vel aquæ vel alterius huiuſcemodi liquoris recreari. Senes nihil aut parũ cibi ingerũt ſed ſolo potu contenti viuunt. fœtus vtero matris concluſus puriore ſanguinis materni portione viuit, editus in lucem duos, tres plures annos, etiam ſi velis per totum vitæ tempus victitat ſolo lacte quod ſanguis eſt dealbatus in mammis confectus.

Aquilæ vbi extremam ſenectam attigerunt,

gerunt, quia rostrum superius aduneum habent ita vt os amplius adaperire, ob idque prædam suam deuorare nequeãt, solum eius sanguinẽ sugunt, quo multos adhuc menses aluntur ac viuunt.

Quæ animantia solo cibo viuunt.

CIbus vero solus in multò longius tẽpus vitã prorogat ac producit (nam halitus, potus & cibus iuncta simul caussas potissimas longissimæ vitæ suggerũt) maximè vero si cuiusdam humiditatis & odoris iucundissimi sit particeps.

Videmus oues animaliaque huiusmodi quæ pascendo victum queritant nullo aut paucissimo vti potu, nisi vehemens vrgeat æstus. Rapaces quoque ac venaticas aues non indulgere potui.

Obseruamus plurimos multitudine humorum scatẽtes, potissimum Phlegmaticos, dies aliquot sine vllo potu, cibos ingerere, imo vero assatum panem ceu biscoctum comedere. Multi mortis supplicio damnati, ac carcere detẽti vt ibi extremũ diem peragerent, non alio cibo quam pane simplici vel etiam panis crustis vt citius vitam finirent absque vllo potu, ex pœna illis indicta, victitarũt, & tamẽ cum

eo victus genere diutissime vitam protraxerunt, quandiu nimirum ex pane illo crustaceo viscosum quendam humorem ad sui humidi primigenij restaurationem calor natiuus in illis attrahere potuit. Vt ne addam quod omne hominum genus imperante potius consuetudine quam vlla naturæ necessitate cogente, potui indulget, hoc vel maximo argumẽto, quod quæ ex eius corpore prodeunt excrementa fœtidiora sentiantur quam quæ ex cæteris animantibus.

Syluestris ac effera gens scotorũ crudis carnibus vescitur idque per longum tempus absque vllo potu.

Nostrates viri heremitæ olim radicibus ac herbis victitabant pauco solius aquæ potu vel etiam nullo contenti.

Qui homines vixerunt absque cibo & potu.

Visi sunt nostro tempore nonnulli homines in Germania potissimum pituitosi & melancholici ex natura qui mẽses aliquot absque vllo cibo ac potu vixerũt: licet Hip. lib. de carnibus, per hebdomadam homini lethalẽ inediam asserat: Plinius vero non vtique septimo lethalem esse dicat, quum & vltra diem vndecimum plærique durauerint.

Audio nunc Auenioni esse hominem sexagenarium, qui rarò & per maxima interualla, quinque, sex, decem & pluriũ dierum comedat.

Albertus lib. 7. de animalibus scribit fuisse fœminam quæ sine cibo dies quandoque viginti transmiserit sæpe vero & triginta: virum quoque melancholicum se vidisse ait qui absque cibo perseuerarit septem hebdomadas, alternis tantum diebus aquam exsorbentem.

Timonis Amita vt refert Achæneus quot annis in spelęa vrsarum more bimestre tempus absque vllo alimento delituit semianimis vt sola inspiratione viueret, ac ægre dignosceretur.

Visa est in Hispania puella quæ comederet nihil ac haustu solum aquæ vitam consolueret & annum iam ageret secundum ac vigesimum.

Visa quoque in gallia Narbonẽsi puella, & altera in Germania quarum vtraque tres annos nullo præter aërem cibo potuque vitam salubriter traduxit.

Normana quædam per decem & octo dies nil comedit vt refert conciliator.

Sacrificus quidam Romæ vixit annos quadraginta sola aëris inspiratione vt

scribit Hermolaus barbarus.

Et ne in re tam manifesta exemplorum multitudine ocium ac tempus conteram, de famis remediis iam agendum.

Vt odores soli nutriunt.

SI, vti supra demõstratum est, Halitus, Cibus, Potus, vicem alterutrius supplent, vnunque ex illis tribus nutriendo corpori satis est; licet duo magis, & tria maxime nutriant, Sane si cogat necessitas, adsitque ciborum penuria, vapores odorati commodissimũ alimentũ suggerere poterunt, qualis ex aceto, vel potius ex vino exhalat optimus: Intingatur ergo linteum aliquod in vino, aut in aceto potissimum rosaceo vel sambucino: aut lintei loco spõgia, quæ, vt assidue circunferri possit & presens adferat remedium si quãdo sit opus, includatur pixide cornea, aut plombea, aut ęnea, aut alterius metalli, nõ lignea: neque manu contineatur, ne lignũ quod porosum est ebibat vinũ aut acetum, manus vero illud partim ebibat, partim suo calore exhalare ac euaporare sinat. Idẽ prestare potest & citra vllũ sumptum malum Aureum, citreum, aut cortex horum siue recens, siue siccus, sacchаro sicco aut humido cõditus, siue non cõ-

Odorata

Odorata

ditus, Caryophillũ, nux moschata, cinamomum, grana iuniperi, rosmarinus, saluii, hissopus, satureia, rosæ, & omnia odorata tam nostratia quam extera, aut sola aut mixta & in formam pomi odoriferi redacta ea cautione ne pl' æquò excalfaciãt. Confert quoque odorari panem recens coctum, carnem assam potiusquam elixam: Verum quemadmodum odorata citissime nutriunt, ita inconstans, fluxilis, minusque diuturna est nutritio quę ab iis nascitur: Itaque frequentissime ea sunt iteranda & olfacienda.

Vt Potus solus nutriat.

QVòd ad Potum attinet, aqua fluuialis omnium promptissima facillima ac commodissima, qualis est aqua sequanæ, Isaræ, ligeris, Baronæ, & similes, quã sola ad aliquot dies salubriter potes viuere: nolim tamen vt eam magna copia haurias, sed sensim, frequenter & pauca admodum quantitate: nimirum primis diebus cochleare vnũ altera quaque hora, Deinde vbi assueueris binis quibusque horis duo aut tria cochlearia, & ne quid detrimenti tuus ventriculus capiat ex nimia aquæ frigiditate, præstat eam *Aqua.*

aliquantulum excalfieri, aut coqui ad ignem aut solem æstiuum, vel in vitro aut phiala inter manus tuas alioquin calidas aut tepidas: melior autem euadet si coquatur cum tartaro id est crustis adherẽtibus dolio vino depleto: retinebit enim colorem odorem saporem & vires vini secundarij: vel cum fece recenti vini alicuius generosi: aut cũ nucibus, vel amygdalis aut aliis fructibus vel seminibus, de quibus mox mentio, contusis aut contritis aut cum herbis escariis nimirum oxalide, spinaciis, lactucis, buglosso, borragine, portulaca, æstiuo tempore eoque feruentissimo: Tempore vero hyberno cum saluia, roremarino, hyssopo, satureia, aut huic aromatica ceu speciata admiscere: Quod si æstiuo tempore ab eius vsu, plus æquo refrigescat stomachus, adde aliquantulum cinamomii, cariophyllorum, nucis moschatæ, aut maioranæ, rorismarini, saluiæ, satureiæ, aut hyssopi viridis: nam siccus paulo amarior est: Porro cum ieiunas aut sola aqua victitas caue ne corpus vehementi aliquo labore aut exercitio sollicites aut torqueas: omnium vero minimè si solo vapore te nutrias. Quod si Potus multæ nutritionis extite-

rit, quale est lac, vinum crassum, birea, poteris aliquantulũ labori teipsum accingere. Inscula ex herbis parata plus nutriunt quam aqua sola: Plus item insculа ex piscibus: Plus inscula ex carnibus, potissimum bouina aut porcina coctis integre aut ad dissolutionem ossium. Birea plus nutrit quam cydratiũ aut piratium: quæ quantò melior magisque medullosa ac crassioris substantiæ fuerit eo plus alimenti suppeditat: Apomel qui Potus est ex fæcibus ceu subsidentia & crassiore substantia mellis ac velut secundarium hydromel, minus nutrit quam hydromel quod ex purissima melle cum aqua purissima sufficienti paratur: quam etiam oxymel quod ex hydromelite fit addito tantillo aceti: quorum trium vnumquodque quãtò plus mellis aut sacchari (quod mellis species quædam est) accipiet, tanto plus nutriet.

Birea. *Apomel.* *Hydromel.* *Oxymel.*

Hydromel paratum ad solem vernum vel potius æstiuum quadraginta dierum spatio omnium optimum est, viresque saporem ac odorem vini corsici aut maluatici vetustate acquirit

Hydromel.

Vinum secundarium ex cydratio, piratio & vino minus alimentosum est quã

veri ſucci & ex viuis piris, pomis expreſſi: inter vina, quod album eſt minus nutrit quã vinum rubellum, & rubellũ minus quàm purpureum: quò autem vinum craſſius ac magis atrum fuerit eò plus nutrit & diutius, potiſſimum quod naſcitur in regionibus calidis, vt in Vaſconia aut Hiſpania, aut Narbonenſi Gallia.

Vina.

Serũ lactis.

Serum lactis minus alit quàm cremor, & lactis cremor quàm lac, & lac minus quàm caſeus à quo butyroſa ſubſtantia ſecreta non eſt.

Sãguis.

Sanguis nutrit quidem potentiſſimè ſed quia facile, ídque non citra ſanitatis diſcrimen, in ventriculo ſolet concreſcere quemadmodum & lac, eo ſi vti libeat, illi admiſcendum ſalis aut mellis aut ſaccari tantillum, & recens effuſum ex animalis vulneribus, vtpote porcelli, veruecis, vituli, bouis humili, ſorbendum: aut vbi concretum ac glaciatum fuerit coquendum vel frigendum cum aliqua pinguedine: quemadmodum ex eo, aromatico puluere cæpis & pinguedine condito inteſtina farciri ſolent, quæ vulgò ſanguiculi aut buldones vocantur.

Bullo.

Bullo qui eſt aqua cocta cum furfure, incluſa frigida dolio cum pauco fer-

mento, parum admodum alit, plus tamen quàm simplex aqua, potissimum vbi huic facta est assuetudo: multis enim tormina excitat eáque vi detergente ac mordicante quam habet, citissime ex aluo deturbatur ac effluit.

Quoniam autem potus omnis generis vt & cætera omnia liquida maxime quæ pinguia, oleosa atque vctuosa sunt imbecillitatis ac laxitatis noxam nō mediocrem adferunt ventriculo & intestinis, ita vt humiditatem illam diutius perferre nequeant, his sensim ac paulatim assuescendum, quemadmodum de vsu aquæ dictum est: eáque cautione si te in potu humorum ac liquidorum geras non mediocre famis tolerandæ solamen ac leuamen senties.

Et quia corporis animíq; labor ac exercitium paulò vehementius ieiunis nullísque cibis vtentibus plurimū detrimenti vitæ ac sanitati pariunt, His somno & quieti indulgere plurimū conducit, dummodo nō sequatur sudor, si forsan in aëre calido aut stragulis pluribus tecti dormiant aut quieti se dedant. Verum ne ex somno ac quiete paulò diuturniore interim marcescat, aut nimio ocio torpe- *Exercitium.*

ſcat vis ingenij, cerebrumque omnino
Somnus. hebes ſtupidum ac velut effœtum reddatur, vltra modum dormiendum non erit ſed mediocri, placido minuſque profundo ſomno, cerebro totiuſque corporis vires inedia pene collabentes recreare ac velut refocillare: nil enim æquè (inquit Poëta) vires reparat, feſſaque membra lenat quam ſomnus: vt ne addam quod per ſomnum curæ, cogitationes mœſtitiæ, omneſque animi perturbationes conſopiuntur.

Vt cibus ſolus nutrit.

Panis. CIbus omnium nutrimentorum in fouendo, augendo, ſuſtinendo, recreãdoque corpore primas ac potiſſimas partes ſibi vendicat, maxime vero panis ac carnium optimarum eſus: Herbæ enim
Herbæ. parum admodum nec multum diu nutriunt, quod paulò humidiores ſint eaque humiditate præditæ quæ plurimum excrementoſa eſt, nilque aut parum ſubſtantiæ, noſtræ naturæ familiaris conti-
Fructus net: fructus quoque omnes niſi deſiccati ſole aut vmbra aut quouis alio modo, nil aut paum alendo corpori ſuppeditant quemadmodũ pruna, pira, ficus, paſſulę,

dactyli desiccati in sole aut clibano. Qui tamen ab exteris regionibus potissimum calidis ad nos aduehuntur siccati in sole multo meliores existunt: inter passulas, quæ damascenæ vocantur omnium optimæ habentur, post has quæ vocantur cassinæ, quibus cabacinæ succedunt.

Dactyli multum, glãdes coctæ plus, castaneę plurimũ & optimè omniũ nutriũt. Pira magis quã poma, & dulcia aut acceto dulcia magis quam acetosa. *Dactyli* *Castaneæ.* *Glandes* *Pira.* *Poma.*

Nuces minus quã castaneæ, nucuscula magis quam nux: Pinei minus quam nuces: amygdalæ dulces æquè ac nuces. *Nuces.* *Pinei.*

Caseus ex lacte, secreto butyro, minus quam ex integro lacte confectus: omnium delicatissime & citissime nutrit qui ex lacte verno: diutius quidem sed multò ingratius qui ex lacte Augusti aut Septembris mensis: Omnium minimè qui ex lacte hyberno, nisi vacca optimis granis alatur: quod in extrema victus penuria & summa rerum angustia fieri non potest. *Caseus.*

Idem de Butyro & sanguine æstimandum: porro tàm lac quàm sanguis pecorũ admodũ iuuenũ min⁹ longũ sed celerius alimentũ suppeditat, quam lac animaliũ

prouectiorum: ex senioribus vero ac iam vetulis nec optimæ nec multæ nutritionis est. Lac & id omne quod ex lacte

Lac muliebre.

paratur melius est muliebre quam cuiusuis alterius animalis: vnde mulier in victus penuria seipsam proprio lacte lactare poterit, si illud è propriis mammis sugat aut per tubulum in os alliciat, ne moretur in aëre vbi facillimè corrumpitur. Neque verò lactis adustio metuenda est mulieri ob tot circulationes & tam frequentes per corpus mulieris traiectiones, nam in mammis pituitosum cùm fiat ibi

Lac vaccinum.

refrigerari certum est. Post lac muliebre, lac vaccinum secundas bonitatis partes obtinet, maximè verò si è vacca nigra & ætatis mediæ sugatur: ob id commodissimum futurum alimẽtum hac victus ino-

Ouinũ. *Equinũ.* *Caprinum.* *Asinĩũ.* *Suillum.*

pia: Ouinũ huic succedit, deinde equinũ, postremo chamælinum: caprinum neque mulum neque diu nutrit: multò minus asininum, ideo hæc sæpius sorbenda. Lac suis & si in vsum frequentem non veniat, propius tamen ad lac muliebre accedit in succi bonitate & multiplici nutritione quam vllum aliud lactis genus: hoc vel maximo argumento quod caro suilla inter cæteras vicinior ac proximior nostræ

existit, copiosiúsque alimentum suppeditat quam vllum aliud carnis genus quod ea viscosa sit substantiámque habeat nostræ carni persimilem: huic ergo sensim ac paulatim assueścere non abs re fuerit, nec ab eius vsu abhorrescere quod salubre ac necessarium est.

Lac caninum. Lac canis iuuenis & candidæ tolerabile nec contemnendum: quod citra vllam valetudinis iacturam alimento esse potest, dummodo canis cibariis liquidissimis ac multum refrigerantibus educata fuerit.

Oua. Oua recentia sorbilita tremula, parum cocta, præcipue rufa optimum ac plurimum sanguinem generāt: nam candida phlegmatica sunt ac diutissimè alunt. Quæ vero nimium cocta sunt, dura, frixa, vt coctu magis cōtumacia ita multum ac diutissimè nutriunt: pręterea oua quarumcūque auium quæ in mensas nostras veniunt, cibaria sunt non contemnenda qualia anserina, anatina, pauonina, struthiocamelina, testudinea, licet hæc duo postrema vt febrientibus magno malo esse, sic sanis febrem excitare putentur.

Herbæ. Ex herbarum genere lactuca om-

nium plurimum nutrit, his vicinæ scariola, endiuia, cichorum domesticum, borrago: spinacia & oxalis parum nutriunt, portulaca paulo plus & diutius vt & buglossum ob succi viscositatem: brassica quoque plurimum nutrit, si primum eiusdem iusculũ quod laxatiuum est tollatur.

Vrticæ, mercurialis, beta, attriplex, maluæ etiam soluunt aluum, & fermè omnes herbæ frigidæ escariæ & in iusculis vsurpari solitæ, quales quæ iam dictæ sunt. Quare non abs re fuerit eas decoquere plus solitò vt ex his maior eliciatur nutritio posteaquam substantia aceris ac serosa ab iis longa decoctione secreta fuerit.

Chærefolium ab odore suo aromatico vires magis roborat quam petroselinum, quàm etiam herbæ odoratæ quæ finissimæ vulgò dicuntur, hæ enim plus nocent suo calore paulo vehementiore dissipante nostrã substantiam quam prosint, nisi forsan ventriculus nobis refrigeratus plus æquò fuerit aquæ vel aliorum eduliorum paulò frigidorum antea commemoratorum vsu immodico.

Naporum radix copiosissimum præbet alimentum, si modo non in solo hu-

mido ac paluſtri, ſed potius in ſicco ortum incrementúmque ſuſceperint: ſiſeres minus quidẽ nutritionis ſuggerunt ſed ſanguinem tenuiorem ac ſubtiliorem generant: carus & paſtinaca minus nutriunt, ſed diutius quod plurimum terrenæ ſubſtantiæ contineant. *Cherui.*

Radix petroſelini eaſdem habet nutriendi vires quas & carus: Radices dauci, fœniculi & multarum aliarum herbarum ſimili odore præditarum iiſdem pollent alendi facultatibus.

Radix cardui vulgaris ſucci eſt delicatiſſimi: eius verò cardui qui eryngium & vulgò centum capita nominatur radix plurimũ habet in ſe aromaticis ſubſtãtiæ.

Radix ari decocta in aqua aut ſub cineribus feruentibus vt eius tollatur acrimonia ac mordacitas nutrit plurimum: allia, cæpe, aſphodeli, bulbi, porri decocti in aqua aut ſub cineribus calidis vt ſua deponant acrimoniam multò ſalubriores ſuccíque melioris exiſtunt.

Grana ficuum, acini vuarum parum alunt ſi contuſa ac conquaſſata fuerint. *Semina.*

Semina prædictarum herbarum iiſdem pollent facultatibus, quibus & herbæ ſuæ.

Semina pirorum ac pomorum plurimum alimentum suppeditant.

Semina cucurbitæ, citrulorum, melonum, peponum, papaueris albi contusa aut diligentissimè dentibus contrita refrigerando mediocriter nutriunt.

Nuclei prunorum, cerasorum parum quidem, sed satis diu & excalfaciendo nutriunt.

Cucurbitæ, cucumeres, citruli, melones, pepones decocti in aqua deinde frixi in sartagine cum butyro aut pinguedine aliqua mediocriter alunt ídque citra vllam iacturã aut incommodũ valetudinis.

Cynara. Cynaræ seu articalli tum sua medula tum foliis & trunco multo plus & melius nutriunt.

Omnes medullæ carduorum decoctæ non contemnendum succũ exhibẽt, imo vero laudabiliorem quàm noui ac tenelli palmites arborum aut arbustorum: excepto lupulo: asparages tamen recentes parum coctæ omnium maximè nutriunt. *Asparages.*

Legumina. Pisa. Fabæ. Ciceres. Pisa, fabæ, lenticulæ, ciceres, phaseoli & similia legumina mediocriter nutriunt & satis diu, sed qui ab iis gignitur sanguis laudabilis non est, ob siccitatẽ maximam quam habent natiuam, quæ temperanda

peranda ac corrigenda venit aqua, lacte, sero lactis, aqua lactis & cremore lactis. sed quando adhuc viridia sunt, citius alunt, sed minus diu.

Oriza potentissime nutrit quemadmodum & alica, sed crassiorem sanguinem gignit. *Oriza.*

Vicia minus quam triticum sarracenium appellatum, trilaterum, vtrunque tamen calidissimum sanguinem generat ac feruidissimum: quinetiam suo sapore ac vsu tantam capitis grauitatem excitat vt ebrietatem quendam inducere videatur, potissimum triticum sarracenicum: quare ex vsu fuerit addito hordeo & siligine illorum prauitatem emendare. *Vicia.*

Auenatum siue grualdum optime paratum, optimũ est nec refrigerat vti hordeum mundatum. *Grualdum.*

Auena multo plus nutrit quàm vel milium vel panicum, sed tam laudabilẽ sanguinem non generat. *Auena.*

Hordeum satis quidem belle alit & sanguinem probum generat, sed eius nutritio tam constans, firma ac stabilis non est, quam ea quæ ab vsu siliginis manat, & tamen sanguinem crassum creat. *Hordeũ*

Purum triticum diutissime nutrit ob *Triticũ.*

viscosam eam substantiam quam habet laudabilioremque ac meliorem sanguinem generat ob eam similitudinem ac substantiæ familiaritatem quæ illi cum nostro corpore intercedit: Ex tali tritico qui panis optimus omnium cōficitur canonicus ceu capitulinus vulgò dicitur; is quidem plurimum nutriēs pauca quantitate quod puriore farina tritici purioris constet,& si plurimum negotij ventriculo adferat:minimè omnium nutrit æqua portione panis furfuraceus ceu panis canum:reliquæ panum differentiæ ex puro tritico confectæ quo candidiores sunt propriusque accedunt ad panis canonici bonitatem, eò plus nutriunt, & exigua quantitate: quò vero nigriores ac magis atri, & propius ad panem furfuraceum accesserint, minus nutriūt etiam magna quantitate. Qui mediæ sunt naturæ, quales qui ex farina non depurgata neque depurata fiunt, mediocrem inter cæteros nutritionem exhibent: coctu autem admodum difficiles sunt, azymi aut semazymi, siliginei, hordeacei: insalubres tiphynus, orizaceus, fabaceus, miliaceus, panicaceus, castaneaceus atque cæteri huiuscemodi panes, quibus tamē ob ino-

piam veſci erit vſu ídque citra noxam vllam vẽtriculo aut corpori illatam ſi aliquid tritici puri his admiſceatur.

Triticum turcicum appellatum proximè accedit ad triticum noſtrate: quemadmodum & triticum illud quod ſpicis craſſis, corpulentis quadratis barbatis & non barbatis exurgit: & triticũ illud quod nouem aut vndecim ſpicas gerit appellatum vulgò cẽtigranum: ſpelta item, olyra, zythum proximè accedunt ad triticum noſtrate purum: nam ex ſpelta & zytho melior & candidior panis conficitur quam ex noſtrate tritico: ex aliis, minus: notandum verò quod panis qui fit ex tritico prognato in ſolo petroſo, ſabuloſo aut loco alio ſicciore magis nutrit quàm qui ex tritico prognato in ſolo humido: item quòd panis durus ac aliquandiu aſſeruatus plus alit quàm recens: panis optimè fermentatus, & ſalitus minus contumacem ac diuturnam nutritionem parit quam non fermentatus. *Triticũ turcicũ.*

Quod ad dulciaria & placentas attinet qualia ſunt itria, liba, gaſtelli, turtæ, flaminicæ, gohieræ, ratones, talmoſines, turtellæ, quia omnia ventriculam appri- *Placẽtæ.*

mè grauant, neque tam citò percoquuntur, ideo plurimam quidem, sed cõtumacem nutritionem adferunt hócque tantum vtilitatis habent quod pondus subiectis cibus adferunt, vt cydoniati vice aluum cõprimant. Crustæ & resegmenta crustacea panis nutriunt diutius quàm medulla, sed in coquendo laborem maiorem adferunt ventriculo.

Pisces. Pisces marini salubriores sunt & vt plurimum melius nutriunt quàm pisces fluuiales eiusdem aut similis speciei.

Alburni *Gardones.* *Vendosiæ.* *Cyprini.* *Anguillæ.* *Testudines.* Alburni citissimè nutriũt, sed non diutius: diutius verò gardones, vẽdosiæ: diutissimè trutæ & lucij pro dẽsitate suę substãtiæ: cyprini seu carpi mediocriter: diutissime anguillæ pro viscida sua substantia, cuius quidem ratione limaces omnis generis præcipuè escargotti vulgò dicti diutissimè etiam alunt, minus diu ranæ ipsæ. Testudines garricæ & nemorales ob carnis viscosam substantiam plurimũ probatæ, sic in præparatione apparatæ vt ablatis pedibus caudis ac capitibus pullos gallinaceos dixeris: aquaticis verò testudinibus non ita fauere solemus, quanquam ad veneris illecebras quidam etiam

his vti soleant. Cacochymæ sunt testudines marinæ omnium amplissimæ.

Alosa citissimè, sed non diu nutrit.

Lampretæ tardissimæ & diutissime. ita dictæ à saxorum linctu, aiunt tamen cum serpentibus illis esse commercium: quæ maiores ac cordatæ ob carnis viscosum succum minus quidem gratæ, sed tamen plurimum nutriunt: pusillæ suauiores, sed minus succulentæ. Hoc tantum vno extollendæ quod anguillis paulò magis solidæ sint. Anchelli optimè desaliti citissimè quidem nutriunt, sed parum diu: his succedũt sparleni argẽtei coloris violam olentes pisces, post has merlangij siue merlani, deinde limandulæ ac flauij. *Lãpretæ.* *Anchelli.*

Rubelliones, grunoti, esglusij, merlusij, congri, lupi, canes, omnes duræ carnis ac coctionis sunt ac proinde diutissimè nutriũt: his etiã adhuc diutius, sulmo, raya, moruta: Sepia lardum quadragesimale, thunnus, cœtæ magis nutriũt q̃ moruta. *Rubelliones.* *Grunoti.*

Haleces recentes citissimè nutriunt, sed non diu: haleces saliti diutius, soreces adhuc diutius. Alaudæ & his similes auiculæ in dumetis degentes citissimè nutriũt, sed nõ diu: turdus, rusticula, sturnus, diutius. Aues aquaticæ magna ex parte *Aues.*

difficilimè concoquntur ob id prauum ſanguinem ac ſuccum, ſed tamen contumacem procreant, quales ſunt anates noſtrates, ſarcellæ, halbranni, vannieri, gallinæ lacuſtres, fluuiales ac marinæ, mergi ſiue pliugeones, anſeres, cygni, butorti, ardeæ ſiue herones, roſtrulæ grandiores, & qui curlitij neuſtriis oris appellãtur

Caro auium.

Ex quadrupedum animalium carnibus nulla laudabiliorem ſanguinem nullàque diuturniorem magíſque contumacem ſuccum procreat quàm porcina caro ob viſcidã ſuam ſubſtantiam & magnam ſimilitudinem ac familiaritatem quæ illi cum noſtra carne intercedit.

Caro porcina.

Veruecina caro ob humiditatem plurimam eámque non viſcoſam quam habet, citius nutrit ſed non tãdiu: caro arietina caſtrata præſertim francica ac biturigica coctu facillima. Sed neuſtrica, aruernica, Allobrogrica, minus ſunt ſuaues, fibríſque longioribus ac durioribus præditæ ſunt, ob id diutius nutriunt.

Hircus omnéque animal non caſtratum, & quod cum femellis ſuis frequentiſſimum habet cõmercium conſtat carne mordicante, acri, fœtente ac proinde peſſimi nutrimenti.

Animalia suos fœtus lactantia & alia quæ macra sunt & seniora constant difficilis coctionis carne, sed quæ plus ac diutius nutriat, quam caro iuniorum aut crassorum aut non lactantium huiusce-modi animalium.

Carnes omnes tum piscium tum cæterorum animalium elixæ, multò citius alunt quam assæ, sed non tam liberaliter neque tam diu, quod earum substantia succulenta abeat in iusculum & in aërem dissipetur assarum vero carniũ substantia tantum euaporetur: Ob id cibaria elixa biliosis, melancholicis ac gracilibus : præpinguibus ac pituitosis assata conueniunt magis : Verum ne elixæ ac assæ carnes inter coquendum suæ substãtiæ iacturam faciant, præstat dum elixantur carnes vasi elixationi destinato operculi loco apponere stillatitij alãbici capitellum terreum aut plumbeum, & eo aqueum vaporem excipere qui tam tenuis & succulentæ substantiæ est vt totus abire possit in nutritionẽ: ob id nõ citra damnũ maximũ eius iactura fieri potest ; potissimum in lautissimis ac amplissimis culinis: Dum verò assantur carnes, ex vsu fuerit, eas foliis vinaceis,

Carnes elixæ. *Carnes assæ.* *Modus optimus elixationis & assationis carnium.*

aut duobus vitreis densis & compactis in eam rem commode efformatis inuoluere, quibus assæ carni suus restituatur succus nec in vaporem abeat: aut in clibano assare carnes, illisque superponere capitellũ in quod vapor recipiatur: aut quauis alia industria obsistere ne substantia carnis quæ optima ac subtilissima est exhalet, ac euaporetur.

Exhortatio ad Diuites.

EA est omnium nostri corporis partiũ conspiratio, is consensus, ea demum affinitas vt si qua ex illis malè habeat, aut dolorem vel aliam quamuis molestiam patiatur, cæteræ in sympathiam ac consensum trahantur: Id licet sole clarius animaduertere, si quando vel detrimentũ vel vulnus vel offensionem aliquã pars aliqua exceperit, ad quã videas singulas de suo aliquid transmittere, sanguinem nimirum, spiritus & calorem: & velut citissime accurere vt parti afflictæ quas possint suppetias adferant: Hæc si vera sint, quis nisi omnis humanitatis ac rationis expers non sibi persuadeat quãdiu hac luce suauissima fruimur & tan-

quam perigrini in his terris versamur, eam inter nos seruandam ac retinendam beneuolentiam ac amicitiam, vt si quando res tempúsque ac occasio postulet mutuis nos iuuemus auxiliis, mutuásque in rebus afflictis tradamus operas: quin potius omnem moueamus lapidem, ne quid detrimenti, damni, egestatis ac inopiæ (nobis audientibus ac videntibus) patiantur pauperes quos pater ille cœlestis omnis pietatis author nobis tantæ curæ esse voluit: vos igitur vos inquam (optimi ac diuites viri) hortor & per deū optimum maximum obsecro & obtestor, vt pauperum tantopere vobis commendatorum curam agatis: memores estote vos homines esse in eandémque calamitatem vos posse incidere: Non permittite vt in luctu mœrore ac angustia rerum omniū degant pauperes dum votorum omnium estis compotes, dum felicissimo omnium bonorum euentu vos beat fortuna, dum loculis locupletissimis fruimini, quos alioquin fluxiles caducos, ac tandem perituros scitis: Erogate ea pauperib⁹ quorum momentanea non perennis neque perpetua futura est vestra possessio: Thesauros conquirite in cœlo non in his

terris? At nullus amplior ac ditior est thesaurus, quàm is qui charitate comparatur: non sinite vt insana ac inexplebilis habendi cupiditas, vel quæstus nescio cuius aucupium, vos transuersos rapiat aut vllomodo auocet quò minus pauperes omni officij beneficiique genere prosequamini, centuplam mercedem pro leniusculo munere in cœlo percepturi: Quòd si ea vestros animos fascinet auaritia, vt ne vel obolum quidem de vestris loculis elargiri permittat, saltem id erogate quod referam, quod tantum abest vt vestris loculis iacturam adferat, quin potius eosdem augeat vestrámque valetudinem firmiorem ac cõstantiorem efficiat: Hoc nimirum est, vino generoso ac potenti indulgetis, illud larga manu sumitis, piscibus, carnibus, panibus plurimã nutritionem corpori suggerentibus vescimini: sensim ac paulatim quæso de demenso vestro aliquid subducere assuescite: discite vestrũ aliquantulum defraudare geniũ, donec ad dietam victúmque mediocrẽ deducta res fuerit, vt tandẽ aliquid ex vestris opiparis mẽsis reseruetur quod cedat in pauperum alimoniam: Loco panis candi-

dissimi paulo atriorem & parciore manu sumite, tantũ tamen quantum sufficere possit carnibus consuetis comedendis: Hac parcimonia si vtamini, publicis expensis consuletis, & inde maior reditus pecuniæ, minórque sumptus ad vos redibit. Quare panis pridie coctus ac aliquandiu asseruatus sit vobis cibarius: hic parua quantitate vobis gratior ac salubrior futurus quam recens coctus, nisi alia obstet ac impediat occasio: Relinquite vero pauperibus, quæ illis consuetæ ac familiores sunt carnes, nec illis tam liberaliter vescimini, vt maiori copia sumptuque minori ac viliori plebeculæ suppetant: Plebs enim pondus æstúmque diei tolerat, noctésque ac dies ducit insomnes quietis omnis ac ocij expertes, vt res vestras procuret.

Hanc victus rationem si sequamur summã hanc annonę caritatem quæ toti populo plurimũ grauis ac molesta est leniorem reddemus, nostræque valetudini sobrio ac parco victu cõsulem⁹: Est enim intẽperans gula omniũ prope morborum mater etiã si ali⁹ sit genitor: Ad id nos inuitat vernũ tẽpus quo ex hip. cõsilio inedia plurimũ cõducit præcauẽdis infinitis

pene morborū agminibus, quorū fomes in intimo delitescit corpore, is quidem hyberno tempore sensim ortus ac auctus tum ab aëris paulo frigidioris ac humidioris inclementia, tùm ab ingluuie quæ plurima existere solet eo tempore, id postulante ocio & compellente caloris intro coacti per antiperistasim vi facta maiore ab externo frigore: A quibus caussis magna humorum putridorum colluuies suboriri consueuit: Hortatur quoque nos æstas ad sobrium ac temperantē victum: Hac enim tempestate si saluberrimis ac prudentissimis medicorum monitis vel potius præceptis sit obsequendum, plus bibendum & minus comedendum, cibariisque frigidioribus ac humidioribus non aliis vtendum, vtpote herbis, fructibus, acetariis, lacticiniis, non crassioribus, corpulentioribus, calidioribus &in quibus plurima subest succulenta nutritio.

Permittamus ergo fortunæ tenuioris hominibus & quibus res est angustissima domi vinorum crassorum, austerorum, fugiētium, atrorum, purpureorum, vsum, reseruemus nobis vina rubella, alba, tenuia, generosa, potentia, paleacia, faler-

na, beluensia, vasconica.

Plebs per nos victitet carnibus crassioribus ac vilioribus, nos vero vescamur delicatioribus ac tenerioribus non ad voluptatem, sed parciore manu sumptis quam fieri poterit.

Relinquamus populo secundarium, ciuicum medianū panem nō vsque adeo atrum ac nigrum simusque contenti pane minus candido.

Et quoniam potissima hominis (qui frater est & nostri similis) nobis cura debet incumbere ex lege ac mandato summi illius patris, ex nostris mancipiis ablegemus ac abigam⁹ equos, canes, aues, cæteraq; huiusmodi animantia, quę in fastū ac ambitionem, quam ad vllam commoditatem domi sæpius educamus: Hæc enim cum homine victitant & de eius demenso ac victu assueto plurimum detrahunt: Quod enim canibus & auibus potissimum venaticis in victū familiarē porrigitur, pauperibus alendis potest sufficere: Si tamen canes & aues tibi sint in deliciis, alium illis victum delige qui pauperum victui non obsit aut grauiorē sumptum adferat, sin minus canes & aues abige in aliud tempus paulo felicius.

Detrahe quoque aut saltem minue auenam equis cuius loco herbas gramineas suggere, aut alias huiusmodi quæ homini in alimoniam cedere nō possunt: cui auena, quemadmodum dictum est vt auenatum ceu grualdum salubre ac cōmodissimum alimentum esse consueuit.

Nolim hic theologum agere, ne sutor vltra crepidam, a theologis tamen audies nil gratius magisque acceptum munus deo à nobis offerri posse, quam si eius nomine miserrimam pauperum egestatem subleuemus: nil vero quod magis iratum infensum ac minus propitium reddat deum in nos quam si pauperes eósque omnes qui nostra ope indigent negligamus.

FINIS.

SYNOPSIS REMEDIORVM PARATV FACILium ad quosuis morbos, Thesaurus pauperū vulgò inscriptus, à Petro Hispano medico præstātissimo primùm editus: Nunc verò factus penè nouus, & altera parte auctus à Ioan. Liebaultio Parisiensi medico.

PRAEFATIO.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis, quæ omnia creauit, & quæ singula donauit virtutibus propriis, à qua omnis sapientia data est sapientibus, & scientia scientibus. Opus super vires aggredior, ipsius adiutorio confidens, qui per nos operatur omnia opera nostra, veluti per instrumētum: Et hoc Thesaurum inscribam, pauperum perplacet, illi opus assiduans, qui pater Pauperum vocatur. In quo (si attentè legatur) omnium ferè infirmitatum inuenietur faciles efficatésque medicinæ.

si illum habuerint cooperatorem Medicum, qui de terra creauit Medicinam. Consulo autem, et hortor huius libri lectorem, ne ea quæ sibi incognita forsan legerit, condemnet, & ne prius medendis corporibus applicet, quàm considerauerit morborum speciem, et naturam patientis. Et studeat diligenter scire naturas rerum et complexiones ac substantiam et quantum poterit virtutem occultam rerum. Cætero quin enim Medicus, quasi cæcus præcipitaret infirmum et patientem cæcum in mortis foueam. Et ne datorem sciētiæ Deum, scientia impugnet: caueat diligenter, ne seductus pretio aut amore fatuo alicui reuelet medicamen aliquod per quod aut menstrua aut aborsus prouocentur, aut impregnatio auferatur. Dicta autem Philosophorum, quorum tota materia in hoc opere est, ita quisque accipiat, acsi ipsos autores è quibus descripta sunt lege. Fideliter siquidē congregatis omnibus quæ à me potuerunt inueniri in libris antiquorum Philosophorum, & modernorum experimentorum siluas diligenter iduestigans, studio et labore aßiduò, vel propria verba, vel sensum genuinum sub aliis faciliòris intelligentiæ verbis doctorum hic recensui, ita vt si præsentes illorum libros aliquis habuerit, haud alia in illis quàm hic inuenturus sit. Characteres vero et de collo

suspendenda,

suspendenda, quorum interdum à Philosophis fit mentio, nemo arbitretur superstitiosè tradita esse, sed ideo quia immediatè operãtur, vel magis, per ἀντιπάθειαν, si nunquam deponuntur, vel à simili, sicut si aliquando dextrum dextro, vel sinistrum sinistro, vel masculum masculo opponatur. Eapropter in nomine Iesu Christi supremi Medici, qui sanat omnes prout vult infirmitates nostras, quoniam ipse est caput fidelium: ab infirmitatibus capitis exordiemur vsque ad pedes descendendo. Et primò de vitiis capillorum, qui nonnunquam auferuntur interdum corroduntur, vel in colore alterantur.

Casus capillorum. *Cap. I.*

SI capilli cadant, fac lixiuium de puluere cineris fimi colũbini, quo abluatur caput.

Experimentator. folia quercus, & medium eiusdem corticem coque in aqua, ac laua caput.

Idem auellanæ coctæ cum axungia vrsi capillos euulsos restituũt. Idem cinis paruarum ranarum combustarum alopecam citò sanat. Idem inungatur locus cum melle crudo, & superspergatur cinis lacertæ viridis combustæ, & mu[illegible] genera-

buntur pilli. Idem sanguis testudinis inunctus multos procreabit capillos. Ex eodem. Pellem capitis vulpini cum labiis eius combure, ac puluerem asperge, vbi volueris pilos nasci, inuncto prius loco oleo, in quo lacerta viridis amputato capite per diem fortiter bullierit.

Isaac. decoctio radicis maluæ in aqua, capite inde loto, statim furfures cadere facit. Ryranis. cinis fimi caprini cum oleo inunctus, multiplicat capillos.

Conorum cupressi & vnguium mulorũ cinis ex myrtino oleo illitus: vlmorum radicum mucago illita: humor defluens è medulla dissectæ tiliæ: ladanum inunctum: syluestris oliuæ oleum: Rhois foliorum decoctum ex lixiuio paratum: Viperæ senectæ cinis inspersus: cæpa affricta

Macer. Petrosilinum tusum cum sanguine porci bulliat in vino albo, ac postea coletur per pannum super aquam frigidam, & pinguedo, quæ supernatat, collecta commisceatur cum vitello oui cocto, mastice & cimino, hisque inungatur locus, & citò pili renascentur.

Galen. de facult. Aqua decoctionis medij corticis vlmi, si caput ea sæpius laue-

tur, idem efficaciter præstat. Idem ibidem. Absynthium tritum ac superligatum, breui sanat. Idem. Cinis vngulæ caprinæ cum pice compositus, alopeciæ medetur.

Galen. in dioscor. Euphorbium cum oleo appositum, mirabiliter valet. In eodem. Testudinem viuam super vites puluerisa cum 3. vnciis aluminis, ac tantundem medullæ ceruinæ cum vino coque, caluitiem inunge. Ibidem. Idem efficit cinis apum, cum oleo inunctus.

Secundum Auicen. Pilos nasci faciunt: oleum, in quo cantharides decoctæ sunt, inunctum desiccat cutem, iis postea appositis quæ sequuntur, vt oleum & cinis priapi asinini, & splenis eius, & ventris leporis, ladanum vstum: cinis abrotani vsti, capilli veneris, nuces combustæ, oleum raphani, baccarum lauri. Idem Auicen. Lacertæ virides & sanguisugæ conficiantur cum oleo ladanino, & inungatur locus, & certò renascuntur pili expertiss.

Sixtus ad Octauiam. Caput lauetur cum vrina canis, & non fiet caluitium. Idem. Fiat lixiuium de cinere lignorum hæderæ decorticatæ, & lauetur caput,

& erunt capilli flaui..

Giraldus super viat. Panis hordei cum sale combustus, & cum axungia vrsi mixtus inunctúsque, vbicúnque nasci volueris, pilos facit.

Abrotoni cinis cum oleo veteri, aut lentiscino inunctus: oleum è collocynthide illitum: Vinum baccarum myrti illitum: Persici nucleum contusum: Abrotoni cinis cum oleo raphanino, aut sicyonio illitus.

Prohibitio ortus capillorum. Cap. 2.

VT capilli nunquam renascantur, euelle eos, & inunge locum cum sanguine vespertilionis, vel sanguine ranæ paruæ, vel oleo hyosyami.

Item. Accipe sanguinem vespertilionis, succum iusquiami, oua formicarum, papauer nigrum, vel loco eius (si haberi non possit) semen iusquiami, & ex his contritis fac massam cum sanguine vespertilionis, remedium enim est certissimum: vel sanguisugas de lacu tritas cum forti aceto pone desuper. Item. cinis stipitis caulis cum aceto mixtus, ortum capillorum tollit. Item. Succus cicutæ cum aqua diligenter mixtus, ponatur super

locum depilatum.
Limatura ferri decocta diligentissimè in aceto, & ex eo aceto locus faciendus parti: Vel recipe lachrymam seu gummi hederæ, auripigmentum, oua formicarum, & acetum: ana ac commixta, loco depilato impones, & nunquam pili nascentur. Eodem modo lac canis inunctum nõ finet capillos nasci. Puluerem ranæ viridis combustæ insperge aquæ, in qua velis lauare, & quidem omnes pili eorum, qui in ea lauabunt, decidẽt. Farina lupinorũ apposita faciet eos cadere, & alios non permittet crescere. Item, farina fabæ posita in inguinibus puerorum. Sanguis itẽ testudinis efficaciter impedit ortũ pilorũ.

Dioscor. Succus fumiterræ mixtus gũmi Arabico, & euulsis prius capillis, appositus, non permittit eos renasci.

Liber de natur. rerum: Puluis ossium cygni super caput alicuius positus, statim facit pilos cadere.

Prohibentia insuper ortum pilorum hæc sunt: Opium, mucilago psilij, oleum in quo coquatur lacerta minor, sanguis ranarum lacustrium, Testudinis aquaticæ & Vespertilionis, terra chymolea, cerusia, plumbum, lythargyrium,

puluis ostrearum, puluis margaritarum, vermis qui de nocte lucet, & dicitur stella, si inungatur.

Decoratio capillorum. *Cap. 3.*

AD denigrandos capillos hæc conferunt: Folia cupressi, Gallæ non perforatæ, cortex arboris tremulæ, radix aut cortex nucis arboris, cortex palmæ, folia myrti decoquantur omnia simul in aqua pluuiali, deinde in suo decocto sinãtur madescere dies aliquot, tandem foue partem tepidè, addere poteris hederæ corimbos. succum acaciæ, corticem radicis ilignæ.

Succus corticis nucis iuglandis, lythargirum tritum, omnibus cum lixiuio mixtis capillos abluito.

Lixiuium è corticibus ficus, gallarum rubi, cupressi, quo abluantur capilli. Lixiuium in quo baccæ myrti, sumach saluia nuces cupressi, balanstia baccæ myrti, alumen rochæ, sal gemmæ decocta fuerint. Nuces iuglandes virides integræ, & minimè conquassatæ, ad libras duas, infundantur per tres dies & noctes in libris sex lixiuij facti ex cineribus corticis arboris tremulæ, & alumine

in aqua cisternę, in vase plumbeo aut stãneo super cineres calidos, addendo in fine aquæ vitæ & vini albi optimi cuiúsque quart. 1. Postremò coletur istud lixiuium per tamisium, & reponatur ad vsum.

Ad capillorum flauitiem.

FLores genistæ, tapsi barbati, stechades, & lupini crudi conquassati, radices rubiæ tinctorum, chelidoniæ, alkãnę gentianæ, cortex medianus sambuci, cortex citri, rasura buxi, rasura sandali citrini, cortex & lignum berberis, ligustri seu alkannæ folia, rasura ligni loti, sal nitri, palea auenæ omnia hæc lentè decoquantur in lixiuio sarmentorum vitis, è quo abluãtur capilli per plures dies cum spongia in eo lixiuio madefacta, & pectine eodem decocto imbuto: postea sinantur per se siccescere.

Pictauiẽses, xantonicæ, lemouices & petrocerenses mulieres solent abluere capillos decocto florum genistæ: aliæ infuso aut decocto rhei: aliæ in qua maduerit crocus aut ochra.

Ad crispandos capillos.

APhodeli radices deraſo capiti affrictæ: caſtanearum echinorum cinis deraſo capiti ex melle illitus.

Decoctio radicum altheæ, ſeminis lini, ſeminis pſyllii, qua capilli abluantur: vel decoctio farinę fœnugręci, hyoſciami, lithargici auri, facta in lixiuio cineris ſarmentorum: vel decoctio radicis ſilicis, foliorum betæ, gummi arabici, in aqua ſufficienti, ad tertiæ partis conſumptionem, qua abluantur, poſtea illinantur oleo myrtino. Radix ebuli teratur cum oleo, & indè caput vngatur, & cum foliis eiuſdem ſuperligetur caput.

Succus betæ, ſuccus myrti cum oleo communi illitus.

Vnguentum ex cineribus nucleorum pini vſtorum, & tritorum oleo myrtino exceptis, quo illinantur capilli.

Spuma ſalis, quæ bulliendo colligitur, myrrha trita mixta ſimul in formam vnguenti ad litum capillorum.

Vnguentum ex myrrha, gummo Arabico, oleo fœnugræci, oleo hyoſciami, quo capilli illinantur.

Puſtulæ & ſcabies capitis.
Cap. 4.

AD pustulas capitis sanandas, lauetur sępè caput cũ aceto, vel aqua, in qua chamomilla cocta sit: nihil enim est meliùs.

Macer. Nasturcium tritum cum axungia anseris apponatur, rascam sanat. Item folia violarum cum melle trita citò sanant. Item decoctio cicerum omnem scabiem capitis, sicut & cęterorum membrorum tollit. Item semen staphisagriæ bulliat in aqua, in qua distemperetur bona quantitas tartari electi, & cum hac aqua bis vel ter lauetur scabies.

Isaac. Radix ciclaminis coquatur in aqua & cum illa lauetur rasca: deinde inungatur oleo, in quo fuerit cyclamen coctũ efficaciter sanat. Itẽ aceto, in quo bullierit tartarum rascam prius mundatam inunge.

Dioscor. Lauetur impetigo cum aceto forti; postea aspergatur cinis corticis caprifici, absque dubio omnem scabiem & impetigines sordidas curat. Item folia quercus, & medium eius corticẽ in aqua coque, & caput laua. Collige ramos & folia ficus viridis, & tere fortiter cũ aqua, si noua sit rasca: si autem diuturna sit, cum aceto, tam diu, donec fiat instar

medullæ, & vnge. Viatic. Amygdalas amaras mundifica cum aqua calida & pista, vt vnguentum fiat, & rasum caput inunge. efficaciter valet.

Constant. Radices enulæ, & folia ramósque ficus, & amygdalas amaras fortiter tere cum oleo & aceto forti: hinc adde cinerem radicis caulis, & testarum alliorum, lythargyrium, argentum viuū, cerussam, sal, atque his contritis & inuicem mixtis vtere, mundato prius loco cū aceto vel vrina. Item. Gallam contusam accipe, & acetum, fel tauri, & amygdalas amaras, coque donec inspissentur, & his caput inunge. Item. farinam fœnugræci cum vino & nitro confice, & vnge. Item, Fimus asini siccus, & bouis, & porci, ac tartarus ante puluerisatus cum lana imponantur loco prius fricato cum vrina vel aceto ad sanguinis vsque effusionem.

Item, Lappa inuersa alligata ad idem, est efficax.

Cir. instans. radix cucumeris asinini cum aqua frigida multum mundificat. Item, ad scabiem prosunt folia raphani cum axungia veteri mixta. Item, scabiosa cum axungia trita, phlegma salsum, & ex hoc natas pustulas tollit.

Ad idem efficax valdè remedium, pix naualis resoluatur per integram noctem in aceto forti, eique manè addantur nucis oleum, auripigmentum, & carbones quercus, benè agitentur, adiiciatúrque aliquantulum argenti viui, & caput rasum & expurgatum inungatur.

Experimentator. Radix enulæ campanam bulliat in aceto forti, & cum colatura caput lauetur, & radices non coctæ terantur cum axungia porci, addatúrque aliquid de argento viuo & tartaro, & locus vngatur. Item absynthium tritum, & capiti appositum citò prodest. Item, puluis de formicario, cum oleo mixtus, & ad solem inunctus, scabiem & rascam capitis potenter curat. Item, Recipe tartarum lythargium, & cum aceto confice tota nocte & die, super ignem apponens de oleo nucum, ac si benè confectum fuerit, tolle & vnge. Item axungiam veterem, chelidoniam, sulphur simul tere, & locum prius depilatum inunge. optimum est.

P. Lu. Recipe aluminis vncias octo, salis vncias duas, dissoluantur cum aceto forti, & caput inungatur. Item elleborum album tritum cum axungia porci pone

ſuper totum caput.

Galen.in dioſcor. Hepar porci crudum capiti ſuperemplaſtretur 20. diebus, hinc lauetur cum aqua frigida, & ſanabitur.

Valent etiam ad ſcabiem hæc omnia: Therebynthina, reſina illita, lixiuium cinis iuniperi, vino paratum, oleæ ſylueſtris oleum: Aqua in macreſcentiū quercuum cauitatibus reperta, Poma Adami per medium ſciſſa ſulphuris puluere aſperſa ſúbque calenti cinere calefacta, & ſcabioſis affricta membris. Nucū iuglādiū, oleum vetus, fœnigræci farina cum ſemine Naſturtij aceto excepta: aſphodeli radices ex aceto elixæ & illitę, ſcabioſę decoctum, & eius ſuccus in vnguē tis admixtus: xyridis ſuccus illitus: ſenæ, & florum lupulorum decoctum, vel dilutum, hauſtum frequenter: eupotorij vulgaris, & fumariæ è caprino ſero decoctum, potum ſępiſſimè: Eupotorij eiuſdem ſuccus cum aceto & ſale: ellebori nigri dilutum, ebibitum: E vino, ſulphure, ſale, oleo laurino, & axungia porcina fiat vnguentum, vel è therebinthina veneta benè lota in aqua fumiterræ, butyro loto etiam in eadem aqua, ſale ſucco limonum, vitellis ouorū, oleo roſato fiat

vnguentum. Ex ſucco chelidonii contuſi, & pauco ſale communi fiat litus: macma verò emplaſtretur parti. Poſt deraſum capillitium abluatur caput aceto acerrimo, aut vrina patientis ieiuno ſtomacho, poſtea inſpergatur puluere tartari.

Pediculi & lendes. Cap. 5.

LEndes occiduntur cum omnibus amaris mundificātibus & conſumptiuis. ad pediculos & lendes limatura cornu cerui potui data cum vino, vnicè prodeſt: multò autem fortius operatur, ſi fiat inde vnguentum. Staphiſagria, nitrū, auripigmentum cum oleo vel aceto confecta & iniūcta, pediculos enecant. Item ſtorax, coſtus & ſanguiſugæ ſimul incendantur, & ſanguini porcino admiſceātur, & caput inungatur. Lēdes, pediculi, vermes & cimices hiis occiduntur: Ex lupinis, nitro, fellibus, ſtaphideagria, parietaria, cicla, ſaponaria fiat decoctio ad lotionem capitis: Vnguentū ex ſandaraca, veratro, ſtaphideagria, oleo & aceto paretur: Vnguentum ex oleo laurino, oleo ex ſemine raphani pipere & croco.

Dioſcor. ſemen ſtaphiſagriæ, cum oleo

mixtum pediculos & lendes necat. Item argentum viuum extinctum, & staphisagria cum oleo & aceto confecta pediculos perimunt. Hic addo ego cum experimentatore, quod si filum ex eo inunctum tingatur, fugantur & moriuntur, omnes in 6. horis. Argentum viuum extinctum, & cum butyro illitum: piper in puluerem tritum, & ex saliua illitum.

Girald. super viatico. Caput muria grossi combure, & cum adipe vrsi vel porci inunge. Item, staphisagria puluerisata & in panno ligata, & circa carnem portata, omnes pediculos ad se trahit, & moriuntur.

Capitis furfures. *Cap.* 5.

OLeum amygdalarum amararum, lupinifarina confricata, syluestris oleę oleum.

Vnguētum ex farina ciceris, farina fœnugræci, baurac. furfure, myrtillis, synapiti, aceto & pauco aquæ: illinatum caput derasum.

Cutis faciei vitia omnia prohibenda solis adustio in facie. Cap. 6.

PVlpa melopeponis & auguriæ, aut mucagine seminis maluæ, altheæ psillij cydoniorũ malorũ, ex recẽti butyro facies illinatur, vel liquore foliorum vlmi, aut succo vuę pręmaturæ foueatur. *Ne facies à sole vratur*

Leporinus sanguis pro litu vsurpetur. decoctio radicis illiricæ & ellebori pro fotu: mucago seminis lini ad litũ: ciclamini succus, & melia terra proliti. decoctum corticum amygdalarum amararũ pro fotu. Thus cũ lacte pro litu: vuæ immaturæ, succus ex lacte humano pro litu. *Facies vsta à sole.*

Vnguentum, fiat ex succis plantaginis & solatri, lithargyro auri & argenti, plũbo vsto. thutia præparata, oleo rosato & cera, addito pauco caphurę ad litum.

Ad faciei nitorem.

AQua stillatitia cochlearum terrestrium prodest pro litu. Item, aqua stillatitia è succo limonum & aqua stillatitia ex phaseolis. ad idem est efficax hæc aqua stillatitia: recipe micam pannis tritici, cucurbitam virentem sectam per talceolas, phaseolos albos, semina melopeponũ, nucleos persicos, nucleos pineos *Nitor faciei.*

delibrati. macerentur omnia simul in lacte caprino nocte vna, conterantur in mortario lapideo, addatur pullus columbinus, exenteratur dissectus cum plumis in particulas, ex quibus fiat aqua stillatitia per alambicum. Item perfundatur facies decocto lupinorum, vel aqua stillatitia radicum atri, vel earum succo insolato, & cum eiusdem ari stillatitia aqua illinatur. Succus florum primulæ veris: vel dilutum florum verbasci, & radicum poligonati per alambicum distillatum ad idem est efficax.

Ad pustulas sanguineas.

Pustulæ sanguineæ.

VNcia vna caphuræ cum pari sulphuris portione trita, additis mirrhę thurisque cuiusque quaternis drachmis, & aquæ rosarum libra, in vitreo vase, per dies decem insolata fiat vnguëtum pro litu. fraxini aqua stillatitia. vinum è fragis illitum. Aqua stillatitia florum verbasci, addito caphuræ momento. vsurpentur pro fotu.

Ad rugas faciei.

Rugæ faciei.

LItus frequens ex oleo mirrhæ suffitus eiusdem, ex cādenti patilla: aqua stillatitia conorum pineorum recentium

facies fouenda. Pepones secti in particulas, radices ari & bryoniæ vnà cum succo limonum, & lacte caprillo distillata per alambicum vitreum in balneo mariæ, pro litu faciei. idem præstant: aqua stillatitia, vel succus insolatus radicum ari. Succus florum primulæ veris: aqua stillatitia florum verbasci, & radicum Poligonati, addito succo limonum pro fotu ac litu totius faciei.

Ad faciei maculas.

AQua stillatitia terebinthinæ venetæ, addito oleo è fece vini parato: aqua stillatitia succi limonum. oleum ex vitellis ouorum. oleum è tritico: auenæ farina in aceto decocta: fabacea farina eodem modo præparata: lupini decoctum pro litu ac fotu faciei, rapi syluestres semine, vel aqua stillatitia, lāpati acuti illinatur facies. Oua hirundinum decem, salis nitri semivncia, tartari albi vnciæ duę, trita & macerata in sufficienti quantitate aquarum stillatitiarum radicum oxilapati, & melopeponis præmaturi, deinde distillata per alambicum vitreum, tandem faciei litū præstantissimum exhibent. Item sinapi *Faciei maculæ.*

aqua subactum. dracunculi radix contusa, aqua stillatitia radicum ari, vel earum succus. aqua stillatitia gentianę. Semen nigellę falsæ in farinam tritum, & melle addito, litum non minus efficacem præstant. Boni Henrici succus: cum aceto vinum quod è fragis elicitur. succus florum primulæ veris, aqua stillatitia florum verbasci cutem detergent, si illinantur, aut in fotum adhibeantur.

Ad ionthes & varos.

Ionthi vari. Cæpe succus cũ sale. apponatur aqua stillatitia radicum oxilapati, & altera modo commemorata. Decoctum centaurij magoris, scabiosæ succus cum farina chrysocollæ & caphurę momento vsurpantur commodè ad istos effectus.

Ad lentigines & Neuos.

Lentigines, & Naui. CAssia ex melle illinenda, sanguis lepotinus calidus inungendus: tritici farina ex aceto mulso. Raphanus cum lolij farina odmonenda. Therebinthina distillata, addito oleo ex fece

vini illinenda. Nux miriſtica, & eius oleum: Item oleum ex ouorum vitellis illinendum.

Auenæ farina in aceto decocta admouenda. fel muſtellæ ex melle & ari farina imponendum. Rapi ſylueſtris ſemen affricandum. hordei farina ex aceto & melle ſubacta, itémque fabacea farina in formam emplaſtri. Fœnugræci farina cum ſulphure & nitro apponenda, fotus quoque faciendus faciei ex decocto lupinorum, aqua ſtillatitia oxilapathi, & aqua modò commemorata. Emplaſtrum quoque eidem parandum ex melopeponum pulpa: ex dracunculi radice elixa, ac contuſa ex ari radice elixa. Fabacea farina defruto ſimul ſubactas: fouenda quoque facies aqua ſtillatitia gentianæ, ſucco aut decocto cẽtaurij minoris, ſucco mentæ græcæ. Illinenda etiam ex ſecuridacæ vtriuſque ſemine, & melle ſimul mixtis: item ſucco xiridis & aqua ſtillatitia florum verbaſci. perfundenda quoque lacte copioſo, ac plena manu mulcto ex ſcropha.

Ad cicatrices delendas.

Cicatrices. FAcies tegenda cataplasmate ex farina fabarum vnà cum adipe anserino, aut illinenda ceruina vel oleo mirrhæ, vel medulla bubula. addita caphura & chrisocolla simul tritis, aut erucæ semine trito cum felle bubulo: aut sudore qui exhalat ab ouo, dum assatur.

Ad vitiligines.

Vitiligines. INungenda facies sanguine leporino, aut cinere allij vnà cum melle aut succo gentianæ, aut oleo ex vitellis ouorum: aut succo radicis chameleonis nigri tritæ & expressæ.

Ad lichenas & Impetigines.

Impetigines. VEratrum nigrum ex aceto illinendum: vitis viniferæ gummi cum nitro illinendum, loco tamẽ prius perfricato: Sulphur ex therebinthina veneta inungendum: sal ex oleo & aceto perfricandum: triticeus recens panis ex muria imponendus: Allij cinis

ex melle: ſinapi ex aceto allinendum: tithymali. lac illinendum: aqua maris per fotum adhibenda: Pix cum melle illinenda. Oleum ex ouorum vitellis inungendum: rapi ſylueſtris ſemen perfricandum: Saliua humana affricanda ieiuno ſtomacho: aqua ſtillatitia oxilaphati & aqua nuper commemorata ex oxilaphato diſtillata fouenda: Aſphodeli radix ex aceto decocta imponenda: Menthæ ac marrubij folia trita in aceto admouenda: ſcabioſæ maioris decoctum potandum quadraginta dierum ſpacio, & earundem radicum puluis quotidie drachmæ pondere ex ſero hauriendum: Ellebori nigri diluto vtendum ſæpius cũ decocto lupulorum & fumiterræ.

Ad papulas.

FOtus faciendus parti, vel ex vrina humana inueterata, vel ciclaminis ſucco: ea quoque illinenda ſtaphis agria, aut rubigine ferri, aut ſanguine draconis ceu cinnabrio. *Papulæ.*

Ad alphos.

THapſiæ ſuccus cum melle illinendus: aut cucumeris ſylueſtris radix. *Alphij.*

aulueriſata commodè apponitur, aut cini vitis ſylueſtris illinitur: Item bryonia cum eruo & fœnugræco: melopeponum pulpa, aut cæpa cruda affricantur vtiliter: aut radix elixa, & cum fabacea farina defruto ſubacta admoueatur. Et multa alia, quæ ad maculas conferunt.

Ad Pſoram.

Pſora. STaphiſagria trita ex oleo illinatur: aqua marina fotu adhibeatur: ſal & ſemen bryoniæ affricatur: lupinorum decoctum affundatur.

Ad pruritum.

SVlphur ex nitro: ſal ex oleo & aceto perfricatur: alumen cum aqua aſpergitur: betha nigra in aqua decocta illinitur. Boni Henrici ſuccus ex aceto illinitur. Sennæ decoctum cum ſero lactis, aut decocto eupatorij vulgaris fumariæ, & florum lupulorum vſurpandum ſæpè.

Ad clauos, callos, & verrucas.

Cinis corticis salicis admisto aceto maceratus illinendus: ouillum simũ ex aceto: nigella ex vetere vrina apponẽda loco prius scarificato. Erugo admouenda: Vitis sarmentorum viridium incensorum emanans aqua illinenda: ramunculi radix trita admouenda: lacertæ caput concisum apponẽdum: saligni corticis cinis aceto maceratus imponendus: cicorium verrucatum apud Mathiolum in acetario deuorandũ: eiusdem semen. 3. diebus drachmæ pondere, ante nocturnum decubitum sumendum: chelidonij maioris succus illinendus: cantharides tritæ, addito aceto & fermento: item thus ex aceto & pice, succus thitimali, sal cum seuo vitulino illinendum. *Claui. Calli. verrucæ.*

Ad alarum tædia.

Mirrha cum liquido alumine trita: asphodeli radices cum hyosciamo feruefactæ, pice liquida exceptæ illimendæ: alumen ex vino affricandum, absynthium recens admouendum. *Alarũ tædia.*

Ad rimas labiorum ac manuum.

Rimæ labiorũ. ADeps anserinus & gallinaceus illinendus, fagi folia admouenda, oleũ ex ouorum vitellis, pomata, oleum è tritico, oleum stillatitium saliuæ illinenda.

Dolor capitis ex frigore. Cap. 7.

PErsicorum nucleorum cremor ex aqua verbenacæ paratus, fronti temporibúsque illinendus: amygdalarum amararum lacteus cremor eodem modo paratus illinendus: cæpe squama ferueñti cinere tosta & calida in dolentis lateris aurem introducẽda, additis rosaceo laurino & succida lana: hederæ folia 7, totidémque ossium persicorum nuclei à cortico delibrati ex oleo & aceto cocta, temporibus & fronti illinenda: graminis genus septem intermodiis distinctum capiti accommodandum: rhodia radix recens contusa ex amaraci aqua fronti & temporibus illinenda: verbenacæ aqua aut oleum capiti adhibendum: verbasci aqua stillatitia fronti illinenda: fungi qui ad imam sambuci sedem oriuntur, in aqua rosacea macerati illinendi: Galanga, lauandula, moschus ambarum zibetum naribus indenda.

Dolor capitis ex calore. Cap. 8.

MVſcus arboreus aut lapideus recens roſaceo imbutus fronti admouẽdus: betulæ aqua, quæ per ſe è perforato caudice fluxit, fronti admouenda: liguſtrinum oleum illinendum: roſæ, & præſertim purpureę auſtero vino incoctæ illinendæ, & in formam emplaſtri fronti admouendæ: pomorum acidorum ſuccus cum ſantalis adhibendus: cochlearum viuentium mucus fronti ex roſaceo illinendus: punicorum acidorum vinum in potu & fotu vſurpandum: anguium ſenecta aceto decocta fronti adhibenda: oui recentis vitellus, albúmque ex roſaceo, & roſacea aqua pro frontali: mica panis tritici amygdalino papauerinóque oleo imbuta fronti adalliganda: portulaca cõtuſa fronti imponenda: cucurbitæ & cucumeris recentis ramenta fronti adalliganda: lactucæ ſuccus cum roſaceo & aceto, imponendus: fabaria contuſa in aceto, admouenda: folia recentia nimpheæ capiti ſuperponenda: poligoni maiori ſuccus illinendus: folia recẽtia hyoſciami fronti admouenda: mucago ſeminis pſillij cum roſaceo illinenda, ſolani

hortensis succus fronti illinendus, folia recentia mandragoræ capiti superimponanda: sedi cuiuscunque succus aut herba ipsa contusa admouenda: momordicæ fructus amygdalino oleo insolatus contusus illinendus, oleum, in quo flores cucurbitæ insolati fuerint, illinendum.

Hemicronia. Cap. 9.

THuris & mirrhæ puluis oui albo exceptus temporibus illinẽdus: mumia ex amaraci aqua naribus immittenda: sagapenum ex bethonicæ decocto hauriendum, cucumeris syluestris radix in aqua elixa tusa & oleo subacta cum absynthio admouenda: agaricus & colocynthis in potionibus sumenda: decoctum ligni gapaci aut salsæ parillæ per dies 30. aut 40. vsurpandũ: cienda quoque sternutamenta ex floribus ptarmicæ, radice ramunculi sicca, & in puluerem redacta, puluere radicis ellebori albi, semine synapi triti, pipere trito, radice ciclamini naribus admotis: expurgandum cerebrum succo brassicæ, iridis, amaraci, battariæ, bethæ, chelidonij mai, ciclamini naribus infuso: ad eundem vsum masticanda ac continenda ore diu Cæpa,

piretrum, staphisagria, vua passa cum pipere, mastice vua cum cera adorata: radix imperatoriæ, sinapi, nasturcium, vtendum quoque frequenter decocto aut diluto fenuę: nec non sagapenum in catapoliis deuorandum.

Cerebrum imbecillum. Cap. 10.

Agallocum potandum: cubebę deuorandę, aqua stillatitia cinnamomi vsurpanda, muscus zibetum odorandum, ambarum, carpophilliorum puluis capiti inspergendus, flores cariophilli saccharo conditi frequenter deuorandi, mentha græca, stechas, saluia, senna in capitis perfusionibus addenda: rosmarinum, atque saccharum ex eius florib⁹ paratum in frequenti vsu esse debet: caryophillacę radix, rhodia radix olfacienda, vel quomodo libet vsurpāda.

Cerebrum catarrosum. Cap. 11

GVmmi iuniperi nares suffiendæ, & caput cōspergendum, bytumen naphta suffiendum, santalum rubrum capiti inspergendum, cariophili aromatici suffiendi, fumo naribus excepto: nigella Romana, vernix, rosæ siccæ, saluia, ros-

marinum, masticum, carabe, thus, sandaraca vsurpata in suffitu, aut puluerata inspersa capiti.

Ebrietas ac crapula. Cap. 12.

PVnicorum aut baccarum myrthi succus hauriẽdus: brassica postremo cibo sorbenda: absynthium ante cibos alios sumendum: acetum testiculis cum linteolis adhibendum: florum croci aqua stillatitia potanda: amygdalæ amarę sex ante potum deuorandę.

Vlcera manantia capitis. Cap. 13.

FOuendum totum caput vrina inueterata, fœnugræcum illi apponendum, malua ex vrina humana emplastranda, auij cinis ex melle inungẽdus, acida muria inspergenda, bulbi cum cremato nitro adhibendi, hędere helicis folia in pileum consuta capiti imponenda, centaurij minoris, aut menthæ succus illinendus.

Syriasis phlegmonosa capitis. Cap. 14.

CVcurbitæ aut peponis ramenta sincipiti apponenda, heliotropij folia fronti adinduenda, vnguẽtum rosaceum, aut populinũ, aut oxirodium, addito oleo

papauerino, aut nempharino fronti illinẽdum, santala, omnia ex aceto rosaceo, oleo & caphuræ momento addito, inungenda.

Lethargus. *Cap. 15.*

LEthargus est oppressio cerebri cum obliuione & somno, vnde lethargus est vitium, quo compelluntur quasi ægri ad falsum somnum & obliuionem: ideo dicitur lethargus.i.obliuionis captura.

Ad lethargum accipe rutam, si symbrium, & cum aceto fortissimo trita naribus applica.

Constant. Capilli proprij vsti conficiantur cum aceto & modico picis, & apponantur naribus. potenter enim excitãt lethargicos. Sic enim Macer quoque docet, nihil melius fumo capillorum vstorum lethargicos excitare. Item sanguis testudinis inunctus fronti patientis multum valet. Item pulmo porcinus capiti raso applicatus mirè valet. Item fumus galbani cum cornu ceruino naribus immissus super omnia confert. Item anacardinum in potu datum, propria est medicina huius morbi: Item oculos & cor philomelæ sub ceruicali pone, insomnes

hoc tenet super eo iacentes, & qui ea biberit, nunquam dormiet. Item fel gruis tepefactum in vase plumbeo citò excitat lethargicum, si illius caput ex eo inungatur: fumigium factum de corio hædi lethargicos, sicut etiam epilepticos, & mulieres suffocatas excitat. Item, Saturnia trita coctáque, & occipiti emplastrata, altè dormientes excitat: idem facit saluia & lauandula.

Regerius. Odor peucedani somnum tollit, nécnon peucedanum cum aceto & rosaceo inunctum.

Dioscor. Semen sinapis teratur cum aceto, & cum hoc fortiter fricentur plantæ pedum, & lethargicus excitabitur. Idem. Caput vespertilionis abscissum, & in panno nigro ad dextrum brachium alligatum si quis habuerit, non dormiet, donec deponat illud. Idem quoque præstat cor eius gestatum.

Ego Hispan. Tota pellis leporina cum auribus & vnguibus comburatur, puluis iste detur cum calida: perfectè siquidem lethargicos sanat.

Aqua stillatitia cinnamomi pota, flores cariophilli saccharo conditi & deuorati. Saccharum ex floribus saluiæ paratum,

saccharũ ex floribus rorisinarini. Radix imperatoriæ & fronti admota & sumpta: oleum ex floribus & foliis hyssopi illitũ.

Phrenitis. *Cap. 16.*

IN principio phrenitidis repercutiatur materia cum succo plantaginis & aceto, vel succo morellæ & similibus, positis supra frontem & tempora, nunquam verò in vertice: sed huic apponatur cera terebinthina cum lacte, ne tam citò effluant ista repercutientia, vt tandem fumi possint exire: materiáque calida infrigidetur, & subtilis ingrossetur, & somnus prouocetur.

Ego: Pòst litum huiusmodi reuellatur deorsum fumus cum clystere vel suppositorio, & cum leni frictione volarũ manuum, & plantarum pedum, non cum forti, quia spiritus sic inflammarentur: in statu ponantur euaporatitia super caput, vt spongia infusa in aqua decoctionis herbæ betonicæ nenupharis iusquiami, &c. vel catulus fissus per medium ventrem, vel gallus, vel pulmo porci: similiter brachia fortiter ligentur ad dolorem vsque & crura, vel tibiæ. Item æger odoretur caphuram, iusquiamum opiũ, cro-

cum optimum. Item oculi, nares & labia vnguantur cum myrrha aqua rosa excepta, & lacte papaueris, opio & iusquiamo decoctis inmulsa. Et statim quiescet.

Con. fiat vnguentum de peucedano costo,& oleo rosato,& vngatur caput, & statim dormiet. Item semen herbæ, quæ vulgò dicitur canela potui datum, confestim somnum prouocat (pro costo ponit experiment.castoreo.) Item. Recipe opij drach.2.frumenti vncias tres,terantur cum melle & aceto, hísque omnes pulsus inungãtur,& quiescet. Itẽ opium, semen lactucæ,& iusquiami & saccharũ commixta,cum succo lactucæ emplastretur super frontem. Vel opium confice cũ oleo violarum,& fit suppositorium. Item papauer album, semen iusquiami albi distemperatum cum albumine oui & lacte mulieris,somnum leuiter inducit.

Cir instans. Aperias venam quæ est in medio frontis vt multum sanguinis effluat:dolórque cessabit,id expertissimum nobis est.

Heremus.Fronti apponatur vesperi sequens emplastrum Recipe.Opij thebaici drac.1. iusquiami drac.2. papaueris nigri

gri

gri dra. 3. terantur & incorporentur cum populeone, distemperenturque cum lacte mulieris puellam nutrientis.

Exper. decoctum aut succus maluæ octo vaccarum pondere potui datus somnum prouocat. Item fel leporis cum vino bibitum tandiu dormire faciet hominem donec dederis illi acetum. Item. Recipiantur Mandragora, crocus, storax & opij pars aliqua, puluerisatáque aspergantur capiti patientis, Idem Gal. in pass. Item spongia in calido vino madefacta super mãmillam sinistram apponatur sæpius. Item, si fomentetur facies sæpius cum aqua decoctionis papau. inducitur somnus, aut æger moritur. Item. Cicuta bullitas in aqua capiti ægrotãtis deraso apponatur, efficaciter materiam furoris extrahit, nec solùm subtiles, sed etiam viscosos humores elicit. Item folia iusquiami sub ceruicali posita, phreneticum dormire cogit: contra summam angustiam succus hæderæ naribus immittatur, & mẽta in aceto decocta capiti prius raso imponatur. Item, castoreum capiti inunctum, phrenesi laborantem quiescere facit.

Si velis aliquem profundè & altè

dormire. Rec. Opij, papaueris, iusquiami succi folior. Mandragoræ, hederæ arbor, sem. hederæ maturor. mororum, celsi, lactucæ, succi cicutæ, singul. aua vnciam vnam: Conterantur omnia in mortario, & in his ponatur spongia, vt succos imbibat, Deinde ad solem exsiccetur, siccaque naribus apponatur. Si excitare rursum velis, aliam spongiam in aceto forti madefactam naribus oppone.

Galen. in pass. calidus pulmo pecoris capiti alligatus, multum valet. Item, iusquiamum eoque in vino dulci, & cum hoc vnge labra, nares & statim cum magna admiratione dormiet. Item, inungatur frons cum oleo rosato & sanguisugæ venæ frontis apponantur mirabiliter siquidem hoc confert.

Giral. super Viat. Opium Mandragora & auri pigmētum, an. capiti raso contrita superaspergantur.

Dolor capitis inueteratus. Cap. 17

AD dolorem capitis tollendum: Recipiatur succus hederæ albæ, id est terrestris, naribusque infundatur. Optime enim pugat caput, eiusque dolorem mitigat. Et nigræ hederæ succus im-

missus putredinem narium tollit.

Dy. Caputpurgium istud pretiosum esse fertur in omni causa: Mastix, Sinapi, Pyrethrũ, Nasturtium, Nigella, Staphisagria, Ellebor⁹ vterq;, Zinziber, Cinnamomũ, an. subtilissimè trita ponãtur in sacculo lineo paruo, quẽ patiẽs teneat in ore & masticet ieiunus per aliquã moram ac quandiu masticauerit, lauet os cum vino & melle calidis commixtis.

Gui. Contra Rheuma capitis ex frigida causa, Calamentha vel Serpyllum tritum torrefactum & calidum capiti appositum multum prodest.

Diosc. Suffumigatio vini decoctionis rorismarini tollit dolorem capitis.

Cir. Faba excorticata, cocta tritaque & emplastrata dolores capitis tollit. Item, hyssopus torrefactus & capiti appositus multum valet contra dolorem capitis ex Rheumate. Item, fimus columbinus, sinapi, mentastrum, & semen rutę cõtrita torrefactáque capiti applicentur, Rheuma enim frigidum multum siccant & antiquum dolorem tollunt. Item, miliũ, sal, anethum sępè in sacculo adhibita multum consumunt rheuma: Item, puluis. Cubebarum & masticis cum Lauda-

no, storace, & olibano cõficiatur fiatque ponum quod sæpè odoretur patiens: Et fiat suffumigium super prunas in ingressu lecti. Item. Semen. dracontij gestatum omnem tollit dolorem capitis.

Exper. Mastix, macis, cubebæ masticentur, & diu in ore teneantur.

Macer. succus portulacæ fronti illitus caput optimè purgat. Item. Acedula trita cum oleo rosato, antiquo capitis dolori medetur.

Vertigo. *Cap.* 18.

MAcer. fomentetur caput cum aqua decoctionis trifolij, posteáque herba ipsa emplastretur temporibus ac fronti, & vertigo fugabitur. Item, corona verbenæ capitis imposita omnem dolorem capitis extirpat: Idem, præstat medulla panis pistata cum succo coriandri. Item, succus cæpæ naribus inditus attractúsque caput optimè euacuat. Item coque in aqua & oleo cucumerem asininum & absynthium, & tali decoctione lauetur caput.

Exper. Phlebotomia de vena frontis plures infirmitates capitis sanat. Item,

pecten factus de dextro cornu Arietis, aufert dolorem capitis in dextra parte: de sinistro, in sinistra parte. Item, pellis arietina calida & recēs capiti tota die ac nocte circumuoluta, eius doloribus medetur. Itē, semen psylij eiúsque mucilago si frōti illinatur, statim sedat dolores: Item, succus porri naribus inditus in introitu lecti plurimas capitis ægritudines aufert: Peucedanum ex aceto & rosaceo illitum & Galbanum olfactum. Item aqua stillatitia cinamomi: mumia ex aqua amaraci naribus immissa: cubebarum grana quinque quotidie sumpta: saccharum ex saluiæ floribus paratum: saccharum è floribus rorismarini: radix imperatoriæ pota aut sumpta: conserua florum caryophillorum. Sagapenum in potu sumptum aut admotum: sennæ decoctum vel dilutum potum. Amaracus tum pota tum illita: Gattaria potui data & admota. Itē. Succus arnoglossæ & herba metipsa trita, & cum vrina patientis emplastrata, capitis lāguores celeriter, aufert. Eādem habet efficaciā attriplex tritum & emplastri loco adhibitum.

Ego vidi quandam mulierem quæ longo temporis interuallo capitis dolore

affligeretur inunxisse temporas frontem cum Diadchæa, & ex templò sanitati restitutam fuisse.

Dolor frontis. Cap. 19.

BEtonica, agrimonia, pulegium, serpittum & origanum bulliant in aqua & inde caput lauetur: Licebit etiam ipsas herbas instar emplastri adhibere. Vel rutam cum sale tere & additto melle frontem illine. Item sola betonicę folia emplastrata mire frõtis & oculorum passiones placant.

Dioscor. Absinthium, ruta, hedera terrestris conficiantur cum albumine oui, melle, & emplastrẽtur. Item, Chelidonia prius trita & decocta, capiti, velut emplastrum imponatur.

Exper. frons & tempora inungantur oleo in quo flos anethi, vel semẽ eius decoctum sit: vel etiam pulegium. Item, balsamus auribus ad solẽ infundatur tribus vel quatuor vicibus: & æger sanabitur. Itẽ, succus hederę terrestris, oleo & aceto cõmixtus, cum lana vel bõbace apponatur. Item, succus hederę cũ vetusto lardo mixtus & inunctus mirè confert. Itẽ, Recipe tertiã partẽ succi hederæ terrestris,

olei partes tres, ſimul mixtas auribus infunde. Itē, Corona de arbore corno capiti imponatur. Item, viſcum naſcentem in arboribus tritum fronti alliga. humores enim extrahens dolorem tollit: Eodem modo mentham contritam fronti applica.

Vigilia. Cap. 20.

Contra vigilias fiat ſuppoſitorium ex Opio & oleo violato.

Con. Opium, ſemen papaueris, mādragorū, ſemen iuſquiami, an. cum oleo violato confice, fiat vnguentum quo frons inungatur. Itē, ſi dolor capitis nimiū intēdatur: opium & caphura, an. cum oleo ſalicis reſoluatur, &c.

Raſ. oleū violatū cū lacte muliebri miſceatur: mirum hoc contra vigilias exiſtit. Item parum mixę tamarindorum detur: non enim habet parem efficaciam.

Galen in Dy. Cinis cornu cerui vſti cū oleo roſ. inunctus, ſuauē ſomnū inducit, adeoq; omnē capitis dolorē tollit. Succus chelidonię naribus infuſus, caput purgat. Semen ſinapis torrefactum ſi ſucelletur, antiquum dolorem capitis ſedat, cautè tamen hoc agendum, quia cutem vrit.

Dy. fumus radicis chelidoniæ decoctæ in vino per os receptus: vel ipsa decoctio sæpè gargarisata caput purgat, & vuulam pendentem desiccando releuat. Item caputpurgium factum cum oleo fisticorũ, Hemicraneum tollit dolorem.

Cir. puluerem pyperis nigri, hellebori albi, euphorb. Castor. mixtum, naribus immitte (materia prius digesta) cum suffitu decoctionis calamenthi, & ruthæ, aureum & expertum est caput purgans.

Aur. Radix cucumeris agrestis vel cyclaminis trita cum absynthio in oleo coquatur. fiat inunctio de oleo, & emplastrum de fæce, omnem hemicraneum dolorem tollit. Item. semen mandragoræ dolorem capitis qualemcunque tollit.

Ra. ad antiquium capitis dolorem non est commodior medela quàm sit emplastrum de sinapi: Ad idem solenne medicamentum hoc est. Recip. gummi rutæ agrestis, cort. rad. capparis, squillæ, euphorbij, an. tere cum vino odorifero. Item, rec. aloen tritámque cum oleo ros. & aceto distempera, ac inunge frontem.

Macer. Recipiat patiens tres pilulas ad modum fabæ factas ex aloë & succo caulis, & vix amplius à dolore capitis

vexabitur. Idem. Recipe cinerem radicum caulis, vrticæ maioris, & vitis albæ id est brioniæ. fiat lixiuium quo caput sæpè lauetur. Certissimum est remedium contra dolorem (maxime hemicraneum) capitis. Lactuca in cibum sumpta: papaueris erratici quinque sexvè capita decocta & potui data: dilutum musci arborei aut lapidei ex vino paratum, potum: Colium potum idem præstant.

Exp. succus foliorum hederæ cum aceto & oleo mixtus illinatur.

Gal. in Dy. Idem faciunt folia hederæ terrestris, trita & emplastrata fronti cum albumine oui: Idem quoque prȩstāt, persicorum nucleorum cremor fronti & tēporibus illitus.

Itē, Salicis recentia folia in lotionibus addita. Amygdalæ dulces cum aqua ros. illitæ: lactucæ succus ex rosaceo fronti & temporibus illitus.

Epilepsia. *Cap.* 21.

CORnu cerui puluerisatum & cum vino potum caducos sanat. Item cor cerui cum aqua potum.

Dios. cerebrum vulpis infantibus sæpè

datum, facit vt nunquam epilepsia corripiantur. Idem. Testiculi Apri vel verri, cum vino sumpti, caduco prosunt. Idem, Fel vrsi cum aqua calida sumptum idem præstat. Item, Testiculi vrsi comesti mirè prosunt: Lac equæ potum ad idem efficax: Liquor qui distillat à pulmone Arietis dum assatur datus, sanat. Testiculi Galli triti cum aqua calida potu assumpti caducos curant, si abstineant à vino 9. diebus. Puluis factus de castoreo, opopanaco, antimonio, sanguine draconis quocunque modo exhibitus, absque dubio prodest. Et ego (inquit author) antiquum epilepticum sic curatum vidi G.Pla.

Solum antimonium datum cum aqua pæoniæ vel cũ aqua cerasorum vel etiam cum solo Castoreo, idem facit. Oua corui sumpta valent. Polytrichon tritum potenter idem efficit.

Puluis osium hominis combustorum (maximè cranei quod inuenitur in terris multis suturis peruium & porrosum) datus, epilepticum sanat virum. Idem non porrosum, sed densum & compactum (quod creditur esse mulieris) curat mulierem, vt ait Auicen.

Experimentat. Lapis rubeus qui inuenitur in ventriculo pullorum hirundinis potus vtilis est. Item, puluis de lapide eiusmodi chelidonio factus. idem habet Plinius.

D. Et. 9. Dum ęger est in accessione in principio aperiatur vena in aure, vt multus effluat sanguis, de quo detur patienti haustus vnus tepidus: & liberabitur.

Experiment. fimus Ciconiæ datus potui cum aqua, statim à morbo liberat. Cor Ciconię coctum in aqua æger comedat, & aquam illam bibat, multum enim valet. Aristolochiam quam diu portauerit patiens, epilepsia non infestabitur. Cingulum de corio lupi gestatum idem operatur.

Experimentat. refert id quod ego quoque à viris expertis audiui, quod cor lupi comestum vel pars eius bibita, caducos sanet.

Viscum quercinum si bibatur certò curat hunc morbum. Cinis talpę combustæ in rudi olla bene sigillata: Puluis mustelę viuę combustę & hirundinis potu exhibitus: Sanguis mustelę in aceto seruatus & potui datus perfe-

ctè sanat, Epilepticus bibet succi marrubij & mellis. an. cochlearia tria vna vice & liberabitur: Sanguis agni albi immaculati non leue remedium existit. Puluis iecoris milui itidem summum dicitur medicamentum: Succus herbæ paralysis per. 9. dies potatus efficax est. Et hoc (autor adiecit) dæmon mulieri cuidam significauit, quam forma hominis vestitus stuprare solebat. Si dederis medietatem vmbilici catheti vel: Ericij marini epileptico cum melle statim alleuiabitur: Sic epar asini syluestris assatum & comestum, eundem effectum præstat: coagulum leporis datum 30. diebus magnitudine orobi epilepsiam sanat. Item sanguis leporinus confectus cum speciebus aromaticis, vel cum solo milio perfectè curat.

Di. Pentaphillon bibitum diebus 33. perfectè liberat. Item. Vermes qui inueniuntur in tuberositate quadam pilosa in bedegarda ter primo die, ter secundo, ter tertio cum aqua pæoniæ distemperatos exhibe patienti. Item sanguis porci vel porcæ, qui vnicus vel vnica nascitur in primo partu, epilepsiæ medetur. Item, blancha byzantia suffita vel pota: Cere-

brum cameli cum oleo rosaceo inunctũ ante & retro, admirabile & expertum est. Item docent probati medici, quod mus assatus & comestus prosit.

Constant. Pili canis omnino albi collo suspensi, efficaces sunt ad Epilepsiam.

Viat. herba quæ vulgò lingua passerina dicitur pota prodest.

Macer. puluis vngularum asini combustarum datus, maximo est adiumento: Item, quod si ceciderit æger confestim canem interfice, eiusque fel calidum Epileptico propina. Item succus coriandri potui datus non permittit humorem ad caput ascendere, maximumque caduco morbo adiutorium existit.

Gilbertus. Pyrethrum collo (præcipuè pueri) suspensum vel naribus appositum, sanat. Stercus cati masculi vel femellæ cum vino datum, valet. Lapis inuentus in capite cerui tritus, & cum vino datus prodest.

Gal. in dy. Pæonia ligata ad collum patientis, securum reddit à caduco quam diu portatur. Item, puluis de araneis in parietibus factus, cum stercore canis & acacia, datus cum aqua calida in accessione, statim liberat: Item, cor. Hepar &

pulmones vulturis ad prunas exſiccentur vt puluerifari queant & puluis detur cum oximelite: Et iecur vulturis ſolum cum ſanguine eiuſdem tritum. & poſt 9. dies bibitum prodeſt.

In thuſcia plurimi liberati fuerunt à quodam ruſtico ſolo odore rutæ agreſtis. Item, balſamitam tritam cum oleo, tepidè fronti appone.

Alexander. accipe ranam, & diſcinde eam per medium dorſi cum cultello, vt accipias iecur eius: idque folio caulis inuolutum combure in teſta noua probè lutata, puluerémque illum epileptico in potu exhibe: Et ſi vna vice non curatur, idem tentabis cum alia rana, & ſic vltrà donec ſanetur: Nec dubitabis de integra reſtitutione.

Aeſculapius caro leonis epilepticos ſanat. Item, armoniaci drachma vna cum melle data. Item, Si primo cadit, bibat ſuccum aquilegiæ.

Auicenna. Sanguis cygni cum vino potatus, tollit epilepſiam. Idem facit ſanguis cameli, & cerebrum cameli ſiccatum & ſumptum. Item, brionia pulueriſata, & cum cataputia data die mercurij Iouis & veneris, prodeſt: Si vta-

tur simul eger pane azimo, & aqua 13. diebus.

Roge. Quidam longo tempore epilepsia correptus, ac nullis vsus medicamentis, facta phlebotomia de saluatella statim fuit curatus.

Kyrannis. Hirundines comestæ epilepsiam tollunt. Item, in morbo inueterato multum dicuntur conferre cauteria super cerebrum.

Mustellæ ventriculus farctus coriandro deuoratus: mustellæ eiusdem sanguis potus.

Lapis in hirundinum pullorum primæ fœturæ ventriculo inuentus pro amuleto in cerui aluta suspensus.

Asarina & eius decoctum potum: aqua stillatitia cinnamomi: lapis in felle bubulo inuentus tritus lentis quantitate & in errhinis additus.

Aqua stillatitia humani stercoris pota: flores caryophillorum ex aqua betonicæ aut amaraci decocto poti. Iidem, sacharo asseruati frequenter deuorati prosunt.

Imperatoriæ radix in potionibus addita: galangæ succus sescunciæ pondere potus: Conserua rorismarini: sagapenum deuoratum, idem præstant.

Quercini visci lignum in tenuissimum puluerem redactum & diebus quadraginta potum: Vniceroxici radices tritæ, vna cum pæoniæ semine: aqua stillaticia cardui benedicti: filipendulæ radicis puluis cibis inspersus: Puluis seminis palmæ Christi drachmæ pōdere ex vino potus: Eiusdem radicum decoctum diutius vino mistum, potum: Pæoniæ semina filo traiecta, & collo circumligata: aqua stillatitia hyperici florentis: corallum suspensum & potum.

Ellebori nigri dilutum potum: Antimonium præparatum ad aliquot grana sumptum: Agaricum & colocynthis in pilulis sumpta: Acetum squilinum sumptum frequenter.

Melancholia. *Cap.* 22.

DEcoctum seminis ocimi, veratri nigri, Foliorum betonicæ & epithimi: succus pomorum dulcium, citriorum malorum: maluæ succus vnciarum sex pondere potus: Vniceroxici radices tritæ cum ocimi semine, aut cum citrei mali cortice, aut cum margaritis haustæ: Melissa quocunque modo frequenter pota melancholicos iuuant.

Ellebori

Ellebori nigri dilutum: Acetum squillinum haustum: Syrupus ex polipodio; Antimonij grana aliquot hausta: Argentum viuum præcipitatum octo granorũ pondere potum: Oleum è lapide gagate tum potum tum illitum iisdem prodest.

Conuulsio. Cap. 23.

CAstoreum inunctum & potum: Oleũ nucum inunctum: Oleum ex semine lini: oleum ex foliis & floribus hyssopi: oleum saluiæ stillatitium: Euphorbinm ex leucoij oleo: Vnguentũ è visci inpyro nascentis syluestris foliis & recẽti capi pinguedine paratum: Oleũ liliorum alborum: Cannabis radix decocta deinde tusa & illita: Oleum ex lapide gagate illitum: Balsami factitij liquores omnes.

Aqua stillatitia cinnamomi: Mumia tũ foris, tum intus assumpta: cyclaminus in potione, vel in clysteri sumptus, aut in errhinis: stechas, lauendula nardus, italica, pulegium, saluia, gattaria, amaracus, chamedris in balneis, fomentis & laconicis addita.

Aqua saluiæ stillatitia: radix imperatoriæ, radix pęoniæ cum sumpta tum ad-

mota. Agaricus & colocynthis in pilulis vsurpata: Antimonij præparati tria aut quatuor grana. Omnia hæc conuulsos iuuant.

Stupor. Cap. 24.

Stupori prosunt. AQua stillatitia vulgaris cinnamomi nuclei pinei frequenter deuorati: pulegij, stechadis, imperatoriæ, rorismarini, saluiæ, foliorum & florum hyssopi amaraci, chamedrys, chamepytis decoctum in formam hydromelitis vsurpatũ.

Oleum sinapinum: balsami factitij omnes liquores: Oleum ex floribus & foliis hyssopi, oleum saluiæ siue factitium siue stillatitium: euphorbium ex leucoij oleo exterius illita.

Paralysis. Cap. 25.

SAgapenum potum: cortex & semen capparis potus: rubiæ radix hausta: vitis nigræ viticulæ primæ recentes coctæ comestæ: vinum scyllinum haustũ: Asarinæ decoctum potum. aqua stillatitia cinnamomi vulgaris: farina radicis

Helenij pora: nuclei pinei frequenti deuorati: Castoreum cum mulsa potum: flores cariophylli ex betonicæ aut amaraci decocto poti: Saluię aqua stillatitia, aut succus potus: saluiæ, radicis imperatorię, amaraci, sennę, chamedrys, chamepitys, stechadis decoctum in formam hydromelitis: conditum seu conserua ex floribus chamepitys sumpta vesperi hora somni ad drachmas duas cum decocto radicis acori, & florum saluiæ: iridis radices conditæ deuoratæ: Conserua acori: conseruæ anthos, florum betonicæ, melissæ & saluiæ: conserua anacardiorum. Aqua stillatitia hyperici florentis. Pilulæ sequentes: sume chamepitys, betonicæ, stæch. flor. rorism. cuiusque drachmam: Turpethi sesquidrachmam, agarici drachmas duas, colocyntidis semidrachmam, zingib. salis fossilis cuiusque grana decem: Rhab. sesquidrachmam; spicæ indicæ grana septem. Pulueris hyeræ simpl. semiunciam, diacridij drachmam vnam: Excipiantur omnia succo chamepitys in mortario & in massam reducantur, è qua fiant pilulæ nouem pro drachma,

è quibus si sumantur tres quotidie vesperi hora somni, præsentaneum ferent remedium paralyticis.

Colocynthis ciclaminus clystere perfusa: Balsamum factitium: oleum sinapinum illitum. Oleum nucum cum calce lota: oleum ex foliis & floribus hyssopi: Oleum ex gagate inunctum.

Tremor. Cap. 26.

AQua stillatitia cinamomi vulgaris: nuclei pinei frequenter deuorati: decoctum radicis imperatoriæ. Omnia denique remedia quæ ad paralysim conferunt.

Neruorum ac iuncturarum dolor. Cap. 27.

ACcetum scyllinum potum: vinum de stechade: Vinum de thymo: nuclei pinei sæpius deuorati. Terebinthina resina, aut abiegna resina deuorata cum succo aut decocto Camepitis: conseruæ omnes dictæ in paralysi: nucis indicæ aut myristicæ oleum potum.

Oleum terebinthinæ, oleum nucis indicæ, aut myristicæ illitum: fabarum, caulium & siliquarum cinis cum vetere axungia illitus: Stechas pulegium, ama-

racus, aiuga in balneis, fomentis & laconicis: cortussæ herbæ flores in amygdalino oleo recenter presso & rosaceo completo pari pondere commisti diu insolati & illiti: aqua marina perfusa: Altheæ radix per se, vel decocta in vino aut in aqua mulsa emplastri modo imposita: lilij radix inassata melléque excepta & imposita.

Neruorum vulnera. *Cap. 28.*

GOlcheæ terrestres tusæ & impositæ: Terreni vermes tusi & impositi: Balsamum factitium; Oleum terebinthinæ venetæ, lariceæ, abiegnæ illitum: oleum nucum: Oleum stillatitium ceræ: cochlearum caro cum farinæ polline imposita: Oleum è terrenis vermibus addito præsertim factitio Balsamo, aut oleo terebinthina: Oleum hyperici: Oleum è fructu momordicæ illitum.

Contractio & durities neruorum. *Cap. 29.*

MVris montani pinguedo illita: taxi pinguedo inūcta: Oleum ex ouorum vitellis perunctum: Oleum ex semi-

ne lini : Medulla ceruina & vitulina: Adeps asini : axungia humana.

Neruorum contusiones. *Cap.* 30.

COchlearum terrestrium caro cum farinæ polline imposita.

Farina fabarum, cum oxymelite subacta.

Dracunculi radix cum melle & caprino fimo illita.

Oculorum passiones.

Cap. 31.

Oculorū dolor.

OVi vitellus tostus additis aqua rosarum & croco : lac muliebre & aqua rosarum in qua accensum thus trigesies extinctum fuerit oculis instillata : Cochleæ in nitido mortario tusę vna cum ouo gallinaceo incocto ex succida lana fronti alligata: Cyani succus instillatus : consolidæ regalis flores triti & ex aqua rosacea illiti : Solani hortensis cum foliorum tum baccarum succus illitus linteolis fronti adhibitus; Solani ha-

licacabi rubentes baccæ musto dilutæ & impositæ: lentis palustris aqua stillatitia indita: lapis Achates inspectus.

Dolorem oculorum sedat:

Fœniculum, verbena, rosæ chelidonia ruta,
Ex his confice aquam, quæ lumina reddit acuta.
Allia, vina, venus, fumus, faba, lumen & ignis,
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Experimen. Vitellum oui coctum in aqua, & cum aqua ros. vel ol. ros. mixtum appositumque. Idem, rosæ positæ in sacculo & tepefactæ ac appositæ dolorem tollunt & tumorem oculorum. Item, ad dolorem, fortem accipe cinerem foliorum caulium & vitellum oui coctum & lac mulieris, & parum mellis, oculisque impone. Item, decrescēte luna extrahatur radix Corrigiolæ, & de collo suspendatur, & non sinet oculos infirmari. Vel succus eiusdem radicis oculis immittatur. Idem etiam maculas delet. Pulmo leporis citò tollit dolorem. Omne lac mitigat dolorem & maxime cum vitello oui, & ol. ros. emplastratum. Betonica trita &

emplastrata, sanat ictus oculorum. Albumen oui tepidum oculis inunctum dolentibus salutem restituit.

Aqua mirabilis ad omnem oculorum passionem: qua mira Medicus efficiet. Efficax etiam est ad lepram & cunctam corporis maculam iuuentutémque conseruat. Et sanè (vt compertum habeo) maculam destruens, oculos ante omnia pulchros reddit. Sed reliqua huius secreta reticẽda: metuo siquidem ne resciẽtes illa nimium superbiant. Rec. limaturæ argenta æris, ferri, plumbi, chalybis auri, cadmiæ argẽti & auri, storacis, secũdũ opes vel inopias patientum: ponantur in vrina pueri virginis die primo, 2. die in vino albo cal, 3. in succo fœniculi, 4. in albumine ouorum, 5 die in lacte mulieris puellam nutrientis, 6 in vino rubeo, 7. in lib. septem album, ouorum, & hæc omnia ponantur in campana ad lentum ignem: & quod distillauerit reserua in vase argenteo vel aureo vel vitreo.

Oculorũ caligo. Oculi cornicis de collo suspensi sanant omnes infirmitates oculorũ: Caliginem oculorum fel perdicis impositum discutit. Idem efficit fel turturis, vt docet experiment. Item, succus rutæ mixtus cum

melle despumato paulatim oculis inditus antiquam eorum caliginem tollit. Ad idem accipe succum chelidoniæ, succum fœnic. & ex istis succis guttulas aliquot immitte oculo meridie & vesperi: Post detersionẽ verò accipe lac mulieris masculũ lactãtis, & inunge oculos. Itẽ, verbena cum albo oui trita, & apposita prodest. Vel folia verbenæ cum vino & sale trita, & posita super oculos die ac nocte, mirum habent effectum. Eodem modo succus arnoglossæ oculis immissus: vel herba supposita valet. Aloë trita cum albumine oui mirificè prodest.

Macer. Betonica vel eius radix bulliat in aqua, & inde oculi lauentur, Caliginẽ enim eorum & sanguinem ad inferiorem partem deducendo curat. Item, frequens vsus caulis viridis abstergit caliginem oculorum.

Lapidar. Succus acori clarificatus oculisque impositus eos restituit.

Platear. Lac corticum salicis inunctum eos clarificat, mollésque nimium confortat.

P. L. V. Vinum decoctionis tormentillæ sæpius bibitum sine alio potu, & herba cocta singulis diebus emplastrata

ſuper oculos per tres aut 4. vel plures menſes, viſum reſtituit illis qui habent oculos claros & non vident. Item, Atramentum diſtemperetur cum albumine oui, & fortiter agitetur donec ſpumeſcat: hinc reponatur, & quod inde fluit in oculos pone ſingulis noctibus donec ſanentur. Item, corticem ſpinę viridis cum modico vino tere, illiuſque vini guttulam inſtilla: & intra tres dies liberabitur. Item, accipe aloës maſtiches, tragacanthi. an. Drachmas. 2. fricentur cum aqua tepida & aqua fœniculi: Efficax enim eſt remedium ad clarificandum viſum.

Experiment. Panem hordeaceum calidum, medium diſcindens, ei puluerem carui ſuper inſperge, atque ante oculos tene, ad viſum clarificandum.

Conſtant. cinis roſar combuſtarum immiſſus oculos exſiccando ſanat. Item adipes fluuiatilium piſcium liquati, atque cum oleo & melle mixti oculorũ claritati plurimũ conferũt: item aquæ oculorũ.

Eliam. Oculi cancrorum decollo ſuſpẽſi, optimè medentur Ophtalmiæ. Idem, facit puluis ſilliginis ſylueſtris.

Gord. ſuper viat. Oculi lupi portati

ophtalmiam sanant.

Kyrannis. Fel galli cum succo chelidoniæ, & melle illitus oculis visum perfectè acuit: Item, oculi auis pici portati visum acuunt: Item, cinis Hirundinis magnæ cum melle immissus, caliginem oculorum dollit.

Ad visum clarificandum, collyrium nostrum: Succus radicis apij cum melle, & album Oui, an. misceatur. his adde puluerem caphuræ & cimini, fricentur fortiter & per pannum colentur, ac deinde colatura oculis cum penna instilletur. Vel thymum sæpius comede ad detergendam oculorum caliginem.

Const. Inunge oculos lippientes de succo satyrionis, quæ nascitur in montibus, vel in pratis. Semen dracontij potum visum acuit. *Lippitudo.*

Oculorum maculæ.

Hieracij succus item sarcocola asinino lacte macerata instillata maculas & cicatrices oculorũ delent.

Maculas oculorum deterget album oui, & succus parietariæ, si fortiter agitentur & spumentur, & vna gutta liquo-

ris remanentis in oculo ponatur. Succus absynthij, lac mulieris, aquæ rosacea mixta si emplastrentur super oculos dolorem mitigant, & maculam detergunt. Cinis limatiæ combustæ cum testa super maculam positus, tribus diebus illam auferre dicitur. Item zinziber fricetur super cotem cum vino albo, & vinum illud oculo imponatur: Similiter succus florum millefolij ac caprifolij tritus cum lacte mulieris, & colatus oculis immissus, maculam illorum delet.

Exper. Succus morsus gallinæ, maculā tollit, si purificetur. Succus centinodiæ ipso die maculam tollit. Idem facit puluis vngulæ caballinę & hæderæ terrestris appositus. Puluis factus de saccharo rosaceo & sale gemmæ maculas dissoluit.

G. in viat. Cerussa & tutia in aceto extincta, & sacchari parum continuè terentur, & de hoc puluere super maculam ponatur. Item radix fœniculi bulliat in aqua viol. cui imponatur peluis ænea, & aqua quæ super peluim adhærebit, reseruetur, eiusque guttula in oculum immitatur. Item cerussa, sarcocolla, tutia combusta, ante terantur cum vrina

clara: & siccata denuò terantur de quo parùm in oculos ponatur.

Ad maculam ingentem curandam, radices chelidoniæ macerentur in aqua rosacea, & consuantur in sacculum lineum suspensum: & quod distillauerit, super maculam oculi ponatur: Non tamen fiat hoc, nisi magna fuerit macula: quia aliàs oculus dissolueretur.

Exper. caphuram cum succo fœniculi confectam colatamque super maculam pone, præcipuè paruam: Oleum commune, purùm oculis immissum maculam statim delet.

Auic. Succus endiuiæ syluestris iniectus maculas oculorum curat. Item zizaniæ masticatæ succus expressus in oculis positus, maculas festinanter delet. Cerussa immissa, maculam curat, oculósque clarificat. Idem facit caphura. Vinũ decoctionis rutæ vsque ad tertiam decoctæ, oculis iniectum, ab omni sorde & sanie oculorum eos liberat. Item mel sublimatum per alembicum, miro modo clarificat & mundificat oculos. Con. cinis fimi humani iniectus, omnem maculam & tenebrositatem oculorum curat.

Item medulæ piperis tritæ, & suc-

cus radicis fœniculi: ſtentque illa infuſa in vaſæ æneo per triduum, & in oculos inſtillentur. Maculam in oculo delet lac papaueris albi, vel eius ſuccus. Cinis fimi columbini vſti confectus cum aceto exſiccetur, ac rurſum tritus diſtemperetur cum ſucco fœniculi vel morſus gallinæ, & ſuccus ille ſuper maculam ponatur. Summa medela.

Vnguentum precioſum, quod cum pluma immiſſum maculas delet, & lachrimas exciccando viſum acuit. Rec. lap. calam. eumque accenſum, extingue ter in aqua roſacea, & denuò accende, ac ter extingue in vrina pueri maſculi non poluti: Et tertiò illum ſimiliter in aqua roſacea tribus vicibus extingue: deinde eodem modo præpara Tutiam. hinc recipe lapidis calam. ſic præparati, drachm. 2. Tutiæ præparatæ drach. 6. Ligni aloës drach. 1. Roſ. drach. 2. Pulueriſata cribrentur per pannum ſericum duplicatum: poſtea macerentur in ſanguinis recentis porcelli vnius anni, vel minorennis lib. 2. aquę roſaceæ lib. 1. coquatur ſimul fermè ad aquæ & ſanguinis conſumptionem. ſinaturque refrigeſcere, vt fiat vnguentũ.

Aqua mirabilis ad omnem maculam, & visum confortandum: Recipe fœn. rutæ, eufras. beton. radic. acori, ros. rub. capil. ven. Poligoniæ, centaurij maior. & minor. hyperic. an. Trita ponantur in vino albo die primo, secundo die in vrina pueri virginis, postea distillentur per alembicum. aqua reseruetur diligentissime ad vsum.

Alia aqua maculas pannumque curans, & oculos clarificando visum acuēs. Recipe sem. fœnic. petros. apij, anisi, sileris montani, sem. gallitrici vtriusque, radic. chelidonij. acori. fol. fœnugræci. betonicæ, agrimo. euphrag. tormentillæ, rutæ, verbenæ, an. terantur omnia, & ponantur in vrina puerorum, secundo die in vino albo, tertio in lacte asinæ, vel mulieris, quarto distilletur, & vsui reseruetur, vt balsamus.

Puluis pretiosus maculam delens, sanguinem & lachrymas stringens: recipe tutiæ drach. 2. sanguinis dracon. drach. 1. Sacch. drach. 1. Trita cribrētur subtilissimè, & de his parùm oculis immittatur cum aqua euphrasiæ & fœniculi. Experimentum securum & sine periculo certissimum.

Rubedo oculorum.

Rubor oculorũ.

SAnguinem oculorum,& ruborem de quocunque humore fuerit, tollit absynthium recens tritum cum albo oui,& oculis impositum. Item caseus recens multoties in aqua lotus,&cum albo oui & aqua rosacea confectus, & oculo sanguinolento, vel calidis humoribus onerato impositus,multum confert.

Oculus sanguinolentus.

Exper. Pulmo ouis calidus positus super oculum,citò sanguinem curat. Item, succus apij immittatur cum albumine oui. Item, verbena trita cum oui albo nocte superligata, sanguinem oculis effusum tollit. Sanguis columbinus iniectus oculo sanguinem restringit.

Con. in Plat. Ruta cum cimino trita, & cum vitello oui mixta mirabiliter abstergit oculum à sanguine coagulato. Simili modo ciminum torrefactum non tamen combustum terratur: & cum albo oui & mica panis mixtum super oculos ponatur. Petroselinum cum albo oui sanguinem tollit. Fel vulturis cum felle arietis mixtum, & oculis inditum, humores & sanguinem reprimit: Vel ambo cum stercore humano in vino mixta, & benè colata,

colata, ad clarificandum visum prosunt. Item Aloë, apium & vitriolum album mixta cum lacte mulieris masculum lactantis plurimum valent. Idem facit pulvis carbonum salicis siccè immissus.

Oculi lachrimantes.

OCulorum lachrimas exciccant folia bethonicæ, & radices fœniculi, si elixentur, & de illa aqua oculi lauentur. Oculos item lachrimosos & quasi combustos citò sanat pannus lineus tinctus in mucilagine Psylij, & oculis impositus. Aqua decoctionis Serpilli, oculis sępè lotis lachrimæ siccantur. Moschus in puluerem tritus, & impositus: aqua florum ligustri instillata: Tragacanthæ lachrima in colliriis addita: crocus illitus cum lacte humano: thus ex oui albo impositum, vel ex eiusdem vitello: thuris aut picis fuligo imposita vel illita: butyri fuligo illita: Amylum impositum: Aqua in qua Psylium infusum fuerit vna nocte interius vel exterius lachrimas cum ardore & pruritu stringit & sanat. Idem facit suffumugatio cum aceto, in quo balaustiæ, vel folia Quercus, vel Arnoglossa incocta fuerit. Item, folia platani viridia

elixata cum vino, emplastrataque Rheuma & sanguinem oculorum restringunt. Tutia lauetur in aqua rosacea ad coloris vsque mutationem, & ponatur in oculo, fluxum lachrimarũ, sanguinem & ardorem tollit. Tutia super omnes medicinas, materiam ad oculos fluentem prohibens eos desiccando clarificat. Pompholix lota, Ebeni ramenta tenuissimè trita, Cornu ceruinum vstum lotum, plumbum elo tum singula hæc aut simul iniecta. Sarcocolla infusa: Corallum, Hæmatites iniectus: pumex impositus; hyoscyami seminis cremor expressus infusus.

G. in viat. Vitellum oui confectum cum aqua rosacea, & farina hordei, lacteque mulieris, mitigando repercutit.

Platear. Faba decorticata vel masticata, cum albumine oui temperata, & temporibus emplastri instar imposita, humores ad oculos fluẽtes retrahit. Item, Gutta vrinæ patientis potenter lachrymas desiccat. Pumex in igne accensus, vt incalescat, & ter in vino extinctus, ac denique puluerisatus ponatur in oculis, quos ardor lachrymarum lædit. Item, ruta cum melle acetoque teratur, deinde coletur: de hac colatura paulũ in oculos

instilletur, multum stringit lachrimas.

Ego: sapphyrus & smaragdus si oculos lachrimosos sæpè tãgãt, illos ipsos curat.

Oculorum ardor.

ARdorem & punctionem, albumen oui agitatum ac despumatum in oculis positum, curat. Si ardorem patiantur oculi, lac caninum cum succo Corrigiolæ misce, & inunge.

Exper. Vua acerba cremetur in olla rudi, & puluis cribratus cum panno subtili oculis imponatur, ardorem & lachrimas tollit. Ad pruritum accipe succum vel folia apij, misce cum vino albo optimo, & repone per vnum diem: deinde inunge cum eo oculos. Aloë in succo multo fœniculi resoluatur in pelui ænea tribus diebus, posteà instilletur oculis prurientibus. optimum est.

Ad superfluã carnem, succum coriandri viridis distemperatum & colatum, in oculum mitte. *Caro superflua.*

Vlcus & fistula oculi.

VLcus seu fistulam anguli succus Plantaginis cum bombace oculis immissus, intra 9. sanat. Acacia empla- *Vlcus & fistula oculi.*

ſtrata tumoribus & vulneribus oculorum mirificè prodeſt.

Iſaac. Faba maſticata cum vino emplaſtrata oculis percuſſis medetur. Solatrum impoſitum ſanat fiſtulam oculi. Item, cinis cornu cerui in olla rudi combuſti, vlcus & læſionem oculi curat. Folia maluæ agreſtis maſticata cum modico ſale appoſita, fiſtulam mundificant, & carnem creſcere faciunt. Contra fiſtulam in angulo oculi fiat puluis de thure, aloë, ſarcocolla, ſanguine draconis, balauſt. antimon. flore æris, an. Et, ſi neceſſum fuerit, fiſtula prematur, vt tota putredo exeat, & deinde ad latus ſanum iaceat: ac paululum de prædicto puluere diſſoluatur cum ſucco arnogloſæ clarificato, & læſo oculi angulo imponatur ad ſolem, & ſic iaceat tribus vel quatuor horis.

Vua. Ad vuam ſanandam collyrium valentiſſimum R. antimonij, acaciæ, an. vnc. 5. cadmiæ drachm. 1. Æris vſti loti drac. 2. ceruſſæ drachm. 1. Myrrhæ drach. 5. caſtorei, opii, gummi arabici, amyli an. drachm. 1. Temperentur cum aqua roſat. & albo oui, & iniice in oculum.

Albuginem oculorum vrina hominis (Experim. inquit) cum melle temperata delet. Item, ſuccus hederæ terreſtris in aure eiuſdem lateris, in quo fuerit albugo, immiſſus, capite vehementer reflexo manentem albuginem excludit. *Albugo.*

Vngula oculi.

VNgulas oculorum curat ſuccus radicis lilii oculis immiſſus, vt docent. Conſtant. & experim. Item, ſanguis anguillæ viuæ in oculum inſtillatus: Similiter puluis nitri multùm combuſti: Item puluis liquiritiæ inſperſus: tragacanthæ lachryma lacte macerata, & illita: Sæpiæ piſcis os tritum & impoſitum.

Telam oculorum ſuccus portulacæ agreſtis oculis iniectus, ſine dubio abigit. *Tela.*

Pannum, fel hircinum ductum cum ſucco rutæ ab oculo remouet, inquit kyrannis, & raſes probauit. Idem præſtat ſuccus papaueris rufi. *Pannus.*

Ordeolos in palpebris ſanat formica omnis decapitata & trita.

Palpebrarum affectus.

PAlpebrarum defluuium impedit lapis Armenius illitus.

Palpebrarum ſcabritiem ſanat omphacium impoſitum, aut fel perdicis vel galline albæ fel illitum.

Palpebrarũ ſcabiẽ deterget aloë, aut fici lac inunctum : tragacanthæ lachryma lacte macerata & illita : ſagapenum cum aceto ſuperpoſitum.

Palpebrarum inflammationes curat ouum gallinaceum crudum, admiſto roſaceo impoſitum : Solani halicacabi baccæ muſto dilutæ & impoſitæ: lentis paluſtris aqua ſtillatitia illita : aqua ſtillatitia Borrag. & bugloſſi vulgaris.

Albugo oculorum.

MYrrha : fel teſtudinis, perdicis: aquillæ, gallinæ albę & ſylueſtris capræ : vrina humana æneo vaſe decocta illita : lactucæ ſylueſtris lacteus ſuccus inſtillatus: Cæparum ſuccus perfuſus: loti domeſtici ſuccus cum melle illitus: moſchus impoſitus. Radix ebeni trita, & cum aqua inſtillata : Muſtellarum crematarum cinis oculis iniectus : Centaurij minoris ſuccus cum melle illitus: Hieracij ſuccus iniectus : ſagapenum rutæ ſucco, & auium rapacium felle diutius maceratum, & in collyriis additũ : Sarcocolla in cratere vitreo, aſinino

lacte quinque diebus macerata: & deinceps instillata: Scabiosæ succus cũ Chrysocolla & Caphurę momento illitus: Antirrhinum fronti alligatum.

Nubeculæ Oculorum.

EBeni tenuissima ramenta vino optimo macerata, & in collyriis addita: Cinis hirundinum in collyriis: Fœniculi succus: vrina humana æneo vase decocta, instillata: fel perdicis, aquilæ, gallinæ albæ, syluestris capræ: succus cęparum inditus: Centaurij minoris succus impositus: loti domestici succus infusus: hirundinariæ maioris succus æneo vase cum melle decoctus, inunctus: Viperæ totius cum thure & succo fœniculi combustæ cinis per se inspersus, aut collyriis inditus: leporinum fel saccaro exceptum & illitum: Mustellarum fel cum succo fœniculi instillatum: stercoris humani stillatitia aqua indita: Cariophilli in tenuissimum puluerem triti & inditi: Chelidonij maioris succus cum lacte muliebri aut hieracij succus instillatus: Sagapenum succo rutæ & auium rapacium felle diutius maceratum & in collyriis additum: Sarcocolla in cratere vitreo asinino la-

cte diebus quinque macerata & instillata: Vinum è fragis instillatum: Geodes lapis, saphirus lapis impositus: Eufragia quouis modo intus sumpta: Thyites lapis impositus.

Oculorum ictus vulnera, vlcera, erosi anguli.

Ictus oculorum. OCulorum ictus sanat lac humanũ cum thure iniectum: sanguis palumbi, columbæ, turturis, perdicis illitus: hemathites lapis cum lacte iniectus.

Vulnera oculorũ. Oculorũ vlcera siccat fuligo thuris aut therebintinæ aut butyri illita: thuris cortex, myrrha, cornu ceruinũ vstũ & lotum imposita: Amylum litum: antimonium iniectum: lapides sapphirus, galactites, samius cum lacte infusi.

Erosos oculorũ angulos siccat omphacium illitum: picis fuligo imposita.

Ægylopes sinus, oculi procidentes, & vue.

AD sinus & ęgilopas iuuat mirthi decoctum infusum: plãtago emplastri modo: solani hortulani concisa folia imposita: labruscæ flos impositus: Cadmia illita, æris spuma indita.

Procidentes oculos ſanat fabarũ farina cũ roſis, ouorum albo & thure, emplaſtri modo impoſita: Rubi folia trita & impoſita: Sapphyrus lapis admotus.

Inflammationes oculorum.

COtoneorum malorũ flores emplaſtri modo: caſeus illitus: ſaccarũ infuſum: cucurbitæ ramenta impoſita: auricula muris cũ polẽta emplaſtri modo adhibita: Sædi maioris folia impoſita: Apiũ cum pane aut polenta admotum: Papaueri liquor cum roſto oui vitello & croco: Hyoſciami ſemẽ & folia cum farina polentauè impoſita: mandragoræ folia recẽtia cum polenta: Verbaſci aureum florem ferentis folia adhibita: lac muliebre vna cum aqua roſacea, in qua accenſum thus trigeſies, extinctum fuerit oculis inſtillatum: Caphura in collitiis: cochleę in nitido mortario tuſæ vnà cum ouo gallinaceo incocto, & ex lana ſuccida fronti alligata: Cyami ſuccus inſtillatus: hieracij ſuccus cum muliebri lacte inſtillatus: folia bethonicæ contrita & fronti ad alligata: conſolidæ regalis flores triti, & ex aqua roſacea illiti: vinum è fragis inditũ:

solani hortensis, tum foliorum, tum baccarum succus, illitis linteolis fronti superpositus: solani halicacabi baccæ musto dilutæ & impositæ: Lentis palustris aqua stillatitia infusa: aqua stillatitia, buglossi & borraginis: lapis achates inspectus.

Oculi lusciosi, suffusi & lippi.

LVsciosi oculi iuuantur succo iecoris caprini & hircini, emanante dum assatur, & iniecto: Litu quoque sanguinis palumbi, columbæ, turturis, perdicis.

Suffusionem curat fel testudinis marinæ, perdicis, aquilæ, gallinæ albæ, capræ syluestris: succo ceparum, ciclamini infuso: sagapeno imposito: Hieracij succo instillato: Polio fronti alligato.

Lippitudo sanatur succo portulacæ, plantaginis, sedi maioris, hieracij infuso: aqua rosacea instillata, in qua thus incensum, trigesies extinctum fuerit: Hematite trito cum lacte iniecto: succo baccarum crispini cum Pompholige & aqua rosacea instillata: margaritis in collyrio: felle bubulo naribus indito: decocto fœnugræci fronti illito: gestatione radicis rumicis syluestris luna decrescente

effossæ: Eufragia quo quomodo vsurpata: vsu frequenti vini eufragiati.

Oculorum caligo & hebetudo.

CAligo oculorum curatur decocto phu, ex vino albo: succo erucæ, succo emanante ex inciso cortice salicis florentis: succo brassicæ ex melle cocto: succo hieracij infuso in oculos: frequenti vsu per os vini ex helenio: Item, frequenti esu nucis myristicæ & asparagorum, itemque florum rorismarini recenter decerptorum, cum sale & pane deuoratorum quotidiè, toto tempore, quo planta floret: admotione ebeni triti & cum passo inditi: indito naribus lapide ex felle bubulo: Semine sclareæ in oculo delato: sagapeno, rutæ succo, & felle auium rapacium diutius macerato, & in collyriis addito: puluere cariophyllorum tenuissimè trito oculis insperso.

Hebetudo iuuatur anagallidis succo naribus excepto: succo rutæ syluestris, vnà cum vino: felle gallinaceo, & succo fœniculi, & cæteris remediis, quæ valent ad caliginem oculorum.

Aurium affectus. Cap. 32.

Aurium dolor.

SVccus foliorum cucumeris agrestis dolorem aurium tollit. In caussa calida multùm valet lactuca emplastrata: Item, stupa cãnabis intincta in albo oui.

Auic. in caussa frigida oleum, in quo amygdalæ amaræ teruntur, oleum iuniperi, oleum decoctionis cæparum, aut raphani, omnia ac singula auribus patientibus conferunt. Item, succum semperuiuæ coque in cæpa caua super prunas, & succũ deinde expressum auribus iniice, cepam imponendo in modum emplastri, multùm in vtraque caussa valet. Lumbrici triti, & appositi cum oleo rosaceo, maximo remedio existunt: Eodem modo sola aqua calida cum lacte muliebri efficax est. Fel caprinum, & lac muliebre temperata cum melle & modica myrrha summe prosunt. Item, succus origani cum lacte muliebri auribus infusus, dolorem tollit.

Con. succus hederę mixtus cum oleo, auribúsque instillatus, vitiis eorum mędetur: Item scarabæi, qui in stercoribus

animalium reperiuntur, cum oleo rosaceo triti, calefiant in cortice maligran. oleum deinde iniiciatur, & fæx emplastretur: Sic cepæ succus cum lacte mulieris iniectus auris dolorem remouet.

G. in dy. cepę cum oleo & cimino terantur ac fricentur, & tepidè apponantur, sedant enim dolores: Succus cucurbitæ auri instillatus mirè prędicta efficit: Item adeps vulpis auribus medetur, similiter adeps leoninus: Oleum confectum cum cinnamomo, summum remedium est ad sedandum dolores aurium.

Galen. in passion. Axungia anguillæ, cum succo sæpè & barbęiouis tepidè iniecta, ad idem valet.

Aescul. succus cancrorum fluuiat. efficacissimè prodest.

Deplorata aurium vitia axungia gliris animalis, si auribus iniiciatur, emendat, si Plinio creditur. Mus in vino tritus, & cum lardo bulliens, antiquos aurium dolores mirabiliter rurat.

Decoctum rosarum acidarum, ex vino austero: succus foliorum, & corticis salicis cum rosaceo in malicorio feruefactus: malorum aridorum punicorũ succus cum melle coctus: Opiũ cum amyg-

dalino, oleo, croco & myrrha: anguium senecta in vino decocta: millepedes concisi, & cum rosaceo in malicorio calefacti: Vulpini pulmonis succus: vermes terreni cum anserino adipe elixi: Anserinus, gallinaceus, vulpinus adeps: vrina tauri, aut apri cum myrrha cocta: betæ succus: plantaginis, aut ramentorum cucurbitæ, aut vtriusque dracunculi, aut synapi, aut hederæ & eius corymborum aut origani, aut menthę, aut meliloti, aut rutæ, aut pencedani, aut marrubij, aut foliorum cucumeris asinini, aut cannabis domesticæ, aut helxinæ succi, per se, aut mixti infusi, ac instillati in aurem: aurium doloribus miraculose medentur.

Oleum irinum: oleum hyosciaminum, cum castoreo, aut croco impositũ: Oleum è nucleis persicorum: oleũ scorpionum: castoreum cum meconio infusum: succus baccharum sambuci cum melle coctus, & instillatus: oleum ex colocynthide infusum: maluæ succus instillatus: sonchi lacteus succus è caule manans, & pręsertim in malicorio cum oleo coctus, instillatus: Ari semen tritum, vel baccarum succus ex rosaceo impositus: Amaraci succus instillatus, hęc omnia aut singula idem præstant.

Inflammatio interna aurium.

SEsamum cum rosaceo impositum: Ouum gallinaceum crudum cum rosaceo: Oleum ex vitellis ouorum inditum: cucurbitæ ramentorum succus ex rosaceo instillatus inflammationem aurium internam sedant.

Tinnitus aurum.

SVccus baccarum lauri cum vino vetere & rosaceo: taurinum fel: mel cum sale fossili trito: porri succus cum thure, aceto, lactéque: cæpè succus: infusa singula, aut mixta: Acetum calidum suffitum per traiectorium instrumẽtum.

Vapor lauri & nardi in vino decocti per infundibulum immissum: Cyclamini concisę radices in rosaceo amygdalino, chamæmelino & vini modico calefactę auribus instillatæ, oleo prius immisso: Cyclamini contusarum radicum, cum persicorum, amararúmque amygdalarum nucleis, & deinde triduo aqua vitæ maceratarum expressus succus, auribus infusus: oleum è colocynthide instillatum: Hæc omnia aut singula tinnitum aurium curant.

Contusæ aut exulceratæ aures.

BVlbi cum polenta impositi: sulphur cum vino & melle illitum contusas aures sanant.

Exulceratas aures sanat suillum fel instillatum: Porrum non transplantatum cum terrenis vermibus in oleo decoctū.

Surditas.

AVditum amissum, vt recuperes: cōiice lignū fraxini viride in ignem, & liquorem inde manantem collige de summitate eius. Item, lumbricos terræ, oua formicarum, folia rutę simul trita in oleo coque, ac cola. Colaturæ seu olei illius guttā tepidam iniice in aurem, obturans simul illam cum bombace: similiter circa aurem exterius inunge.

Experim. Cępam concauam oleo, succo porri, absynthij, & lacte mulieris, simul mixtis, replens super prunas coque: hinc olei expressi guttulam vnam instilla in aurem, cum bombace eam obturans: ac rursus deinde aperiens, verte patientem ad aurem interiorem, & leniter munda. Optimum est: Item oleum oliu. succus porri, lac mulieris masculum lactantis

tis ponantur in ampulla vitreata tribus diebus ac noctibus operto orificio. mirè dicitur auditum restaurare.

Isaac. contra surditatem, ac dolores aurium succus bethonicæ tepide iniectus prodest, vel succus foliorum lauri surditatem & sonos extraneos aufert.

Macer. fumigium aceti calidi multùm aperiendo, ob sui subtilitatem, auditui confert.

Albertus: Vetustissima surditas curatur, si oua formicarum trita per linteum colentur, huicque colaturæ succus pæoniæ adiectus, auribus infundatur. Fel leporis cum axungia vulpis, & lardo liquefactum surditati confert: Veratrum nigrum immissum, & relictũ vsque in diem tertium: Brioniæ succus cum melle instillatus: flos æris conditus per fistulam flatu impulsus: Sulphur raptim per fistulam suffitum.

Oleum terebinth. venetæ, aut eius aqua stillatitia: Fraxini spuma è viridi ligno in igne posito emanans instillata: Raphani radicis succus vnà cum oleo dulcium & amygdalarum amararum, vino albo, & colocynthidis momento calefactus, & infusus. E cæpa excauata &

cymini puluere repleta, & sub feruenti cinere cocta expressus cremor instillatus: oleum ex colocynthide infusum.

Aures purulentæ.

VRina calida pueri auribus infusa: succus foliorum salicis infusus habetur pro extremo medicamento.

Albertus R. ellebor. alb. drach. 1. castor. drach. 5. nitri drach. 5. coquantur in vino optimo, ac deinde colētur, vinum illud colatum tepidè auribus infundatur. Nec minus efficeret exterius inunctum vel emplastratum.

Myrti baccarū succus instillatus: oleæ syluestris foliorum succus ex vino impulsus: fel taurinum cum caprillo, humanoue lacte instillatum: Asphodeli radicum succus per se, & additis thure, melle, vino & myrrha instillatus: Cæpe succus: polygoni succus: Omphacium cum melle: psilij succus: alumen, sanguinalis herbæ succo exceptum infusum: flos salis iniectus: Persici foliorum succus instillatus: Oleum è vitellis ouorum: bursæ pastoris succus inditus.

Succus corticis vel foliorum persici: Admoueatur auri pomum maturum ca-

lefactum ex parte inferiori, quæ adhærem arbori, aliquantulum apertum, & manè inuenies ibi vermem, tantopere delectatur odore pomi: ſuccus abſynthij: ſuccus radicum cucumeris aſinini: oleum amygdalarum amararum: Vrina humana in malicorio decocta infuſa: capparis radicis ſuccus: calamintæ ſuccus inſtillatus: Oleum therebintinæ, aut eius aqua ſtillatitia infuſa: lac ficulneum: ſuccus perſicariæ: ſuccus centaurij minoris: ſuccus menthaſtri, ſuccus aut decoctum cannabis infuſum.

Lapillus vel granum in aurem.

SI lapillus, vel granum, vel aliud quid in aurem cadat, alius fortiter in eam inſpiret, & rurſum ſpiritum emiſſum attrahat.

Conſtant. Si lapis vel granum in aurem alicui ceciderit, remolitiam imponens iaceat ſuper aurem, & ſi declinauerit, exime cum vnco: ſin egredi nolit, clauſis naribus & ore prouoca ſternutationem: vel ſummitatem baculi alicuius plani inunge therebintina aut viſco, & auri patientis immittens cum eo extrahe, quę inilla ſunt.

Parotides.

OEsipum impositum: capraru͂ montanarum Fimus, vino vel aceto decoctus emplastratus: farina seminis lini, aut fabarum, aut fœnugræci, cum melle, emplastri modo admota: viscum cum pari resina ac cera commistum adhibitum. Galiopsis ex aceto admota: cimolia terra imposita.

Iridis radices recentes decoctæ tusæque, ex hordeacea farina illitæ: fœnugræci farina in hydromelite decocta, & cum axungia admota: Asphodeli, aut eryngij radix decocta emplastri modo adhibita. Hæc omnia aut singula sanant parotides.

Affectus narium. Cap. 33.

Sanguinis profluuium ex naribus aut vulneribus.

PRimùm cauendum, ne cingulum vel quid aliud corpus stringat: in manu tene herbam sanguinariam, vel ante oculos herbam pastoris, aut verbenæ: vtraque enim habet vim aspectu suo

sanguinem sistendi. Hæc autem fluori sanguinis è naribus conferunt.

Sanguis fluens ipsemet combustus & pulueratus insufflatus naribus, fortissimè sanguinem sistit & vulnera consolidat: Thus pulueratum iniectum: cochleæ terrestres cum suo putamine tritæ & impositæ: porri succus cum thuris polline infusus: Vtriusque vrticæ folia cum succo imposita: ferulæ medulla intromissa. Lysimachia imposita: Galiopsis flos impositus: Equiseti succus infusus: chalcitis succo porri instillata.

Thus cum tela araneæ, oleo & oui vnius albo mistum, cum licinio naribus introductum: Pannus in annosis laricum caudicibus repertus intromissus: mastiche cum thure, sanguine draconis, leporinis pilis combustis oui albo excepta, frontique aplicita: Caphura cum vrticæ semine immissa, aut fronti ex sedi aut plantaginis succo illita: Sandaracæ puluis ex oui albo fronti temporibusque illitus: Suberis cortex ex aqua calida potus: succus fimi asinini recens expressus, ac naribus, ceu vulneri iniectus, fluxum sanguinis & arteriæ omninò stringit. Liber de nat. rer. succus stercoris porcini

expressus, in naribus sanguinem sistit.

Auic. fimus apri recens præcipuum est remedium ad fluxum è naribus: succus rutæ fronti illitus fluxum sistit, naribus inditus prouocat: Vel cinis factus de foliis & radicibus rutæ insufflatus, mirè constringit. Lapidar.

Succus radicis violæ masticatus, & sæpè transglutitus, statim vulneris fluxum prohibet. Succus morellæ hepati inungatur, si fluat à parte dextra: spleni autē, si à sinistra: Item, si fluat à sinistra nare, pone ventosas super splenem: si à dextra, super hepar. Simili ratione, si mulier sit, pone super mamillas partis fluentis cum succo Morellæ.

Cardella vulgò dicta (vel rostrum porci) trita, & super vtramque mamillam posita, sanguinem vndecunque fluentem retinet. Est autem herba habens stipitem quadratum & cauum, & folia spinosa aliquantulum, & mollia, & si constringatur, multùm lactis emittit.

Expert. puluis fabæ decorticatæ appositus, sanguinem vbicūque stringit: Item medietas fabæ vulneri imposita, consolidando vulnus, sanguinem eius retinet: Puluis factus de atramento, vulnerique

ſuppoſitus cum radice ſalicis, ſanguinem ſiſtit, & vulnera ſanat.

Puluis vſuræ cacabi, vel ſartaginis exterioris cum ſucco vrticæ confectus, & naribus inditus, ſanguinis fluxum impedit.

Cinis ranæ in olla probè combuſtæ omnem ſanguinis fluxum prohibet, venas ſimul & arterias conſolidat, & combuſtiones curat: Item, cinis plumarum gallinæ, vel cinis vrticæ inſufflatus. Item, radix vrticæ maſticata, vt degluriri poſſit: & ſi hāc in ore tenueris, ſanguinem emittere non poteris.

Auicen. cinis filtri combuſti cum puluere thuris albi mixtus, eundem effectū habet. Item, gypſum combuſtum cum pilis leporis tritum, & cum albumine oui emplaſtratum, ſanguinem arteriæ retinet: Vel ſoli pili leporini triti, & mixti cum albo oui, atque impoſiti: Item, ſi infundantur pili leporini in aqua & aceto, atque immittantur naribus, mirabilem effectum producunt.

Sanguis turturis, perdicis, turdi & columbæ impoſitus, ſanguinem è vulneribus fluentem ſaluberrimè reprimit: Item, ſanguis vaccæ vulneri ſuppoſitus: Item,

argillam conficè cum aqua rosacea & aceto, & fiat emplastrum, quod toti fronti imponatur. Vel testiculos cum argilla, aceto & albo oui mixtis inunge: Item, æger iaceat supinus & totus nudus, ac distilletur super faciem eius aqua frigida cum aceto: certissimum enim est remedium: Lapides fracti, positi super venas temporum, vt fortiter premantur, retinent sanguinem: Millefolium bibitum, suffumigatum, vel immissum: Penthaphillum potu assumptum ceu illitum: Iaspis lapis portatus & applicatus vulneri, idem efficiunt.

Di. vrina hominis cum cinere vitis emplastrata efficax est in sistendo sanguine.

Macer. folia enulæ trita impositáque, fluxum sanguinis sedant: Cortex medullæ caprifolij & rasura raphani imponantur: vel cępa assa similiter imponatur: Lumbrici terrestres triti cum thure albo, & oui albumine statim prosunt.

Si vena rumpatur interius, bibat æger parùm de semine nasturcij.

Pilulæ ad idem. Recipe boli partem vnam, gummi arabici sarracen. part. 2. Tragacanthi part. 3. misce cum vino veteri, & fiant pilulæ, quæ assumantur: vel

lac caprinum cum tragacantho coque, & vtere illis vno die in modum electar. Pili è ventre viui leporis euulsi, & vsti intromissi: Aqua stillatitia plantaginis, cum æquali acerrimi aceti portione, manuum volis, pedum plantis, & iecori applicata. Cæpè succus ex aceto per quam acerrimo infusus.

Mentæ florentis aqua stillatitia, balneo aquæ calentis distillata vnciarum quatuor ponderum pota: folia bethonicę cum salis momento contusa, naribus immissa: consolida minor & media. Sanicula, auricula vrsi, pilosella, millefolij sicci farina naribus indita. Exusta sambuci folia puluerata imposita: Gypsum tritū oui albo exceptum, fronti illitum: Iaspis lapis suspensus, & in manu gestatus.

Polypum curant radix dracunculi mai. imposita: laserpitij liquor cum chalcantho aut rasili erugine illitus forcipe prius exciso polypo: flos æris inditus: sandaracha cum rosaceo immissa: Succus radicis ari: folia combusta ari. *Polypus.*

Vlceribus & carcinomatis conferunt succus, hederæ aut dracunculi maioris infusus, sandaracha cum rosaceo iniecta. *Carcinoma v. cera.*

Distillationes sistunt melanthij semen

tritum, linteo inclusum & sæpè olfactum.

Nares obstructæ muco.

Sternutamenta cienda. STernutamenta prouocanda cum semine ocymi, aut succo naribus infuso: Sinapi trito: radice ramunculi trita: floribus ptarmicæ olfactis: sturthij radice imposita: veratro albo trito iniecto: betæ succo, aut ciclaminis, aut maioranæ infuso.

Oris & linguæ affectus. Cap. 34.

Fœtor oris. IRidis, zedoariæ, aut acori, aut galangę radix mansa, aut in ore detenta: aqua stillatitia vulgaris cinnamomi pota: moschus, aut moschardina in ore detenta: caryophylli aut angelicæ radix mansa: aurum detentum in ore.

Vlcera erodentia oris.

RAdix, cyperi integra aut puluerisata in ore detenta: collutio oris ex vino decoctionis aspalathi: Succus liquiritiæ, aut origani, aut britannicæ in ore contentus: collutio oris ex decocto capparis, aut rubi, aut radicis quinquefolij, aut verbenacæ. Testiculus serapias, aut anthemis, aut tribulus, aut staphisagria, aut

flos labruscæ, aut alumen cum melle, aut sal cum polenta tostum: singula imposita.

Aqua quæ ex perforato betulæ caudicee distillat, in ore contenta: collutio oris ex vino malorum punicorum cum aqua plantaginis, aut ex decocto radicum & baccarum pruni syluestris, aut ex succo mororum, aut ex succo cyani mai. aut ex vino decoctionis floris salis, aut ex succo foliorum consolidæ mediæ & minoris, aut ex succo saniculæ & auriculæ versi, aut ex decocto virgæ aureæ, potentillę pilosellæ: Folia ligustri, aut fagi, aut portulacæ, aut bellidis commausa: Aurum, aut lapis achates, aut difriges, aut corallium ore contentum: Litus ex pauxillo olei calchanti.

Fœtidus anhelitus.

Myrrha, aut mala medica, aut resina lentiscina, aut anisum mausa: Bromus cum siccis rosis decocta & in ore contenta: Collutio oris ex decocto citri: Nux myristica, sonchi folia, caryophylli, anethum: imperatoriæ radix, rosmarinus, singula commausa.

Linguæ scabrities, inflammatio, paralysis, impedita locutio, pustulæ.

LInguæ scabriciei confert mucago seminis psilij ac cydon. illita: solidaginis minoris decoctum: Phyllitidis aqua stillatitia: saccharum candum in ore detentum: Thamarindorum pulpa, aut cucumeris recentis segmina, aut anguriæ pulpa, linguæ admota ac imposita.

Inflammationem sedant decoctio herbæ trinitatis in vino austero: cucumeris recentis, vel anguriæ segmina, anguriæ pulpa, lentiscinũ oleũ admotũ Paralysin curant aqua stillatitia cinnamomi in ore detẽta, pyrethri & piperis longi decoctũ addita amaraci succo in ore detento: mumia tum pota, tum confricata: Sagapenũ: Pæoniæ seminis triginta grana à putamine repurgata contrita & ex vino pota.

Impeditam linguam expedit aqua stillatitia nardi Italicæ, aut lauandulæ: aqua stillatitia vulgaris cinnamomi tum pota, tum ore detenta.

Pustulas linguæ sanat vinum malorum punicorum ex melle rosaceo & aqua Plantaginis illitus: Bellidis folia commansa.

Gutta rosacea. Cap. 35.

AD tollendam guttam rosaceam: inferiores nuclei pinearum coquantur cum aqua: & pinguedo supernatans lacti calido adiungatur, & hisce gutta inungatur. Vel fiat stupa cum palea hordei & auenæ, foliis maluæ & absynthij.

Item vtere hoc vnguento. Recipe farinam hordei, farinam fœnug. & boracem æquali pondere, puluerisa: conficiantur cum succo cepæ & melle despumato, vt fiat vnguentum.

Contra guttam rosaceam inueteratam. Recipe caphuræ drach. 1. borac. drac. 2. farinæ cic. rub. drach. 4. misc. cum succo cæpar. & melle rubro despumato.

Contra imperiginem faciei: Lacertam viridem viuam & vitem albam coque in oleo vsque ad tertiam: coletur & addatur cera alba, & denuo coletur, colatura illine: Item, radices lapatioli in aceto cōtritæ & fricatæ: Radix plantaginis cum aceto & sale teratur, coletur & eo liquore expresso locus illinatur.

Cutem faciei conseruat nitorémque restituit adeps leoninus cum oleo rosato mixtus.

Maculæ ac rugæ faciei tolluntur radice cucum, asinini sicca trita puluerisata tenuissimè, mista cum aqua, si cùm ea per plures dies facies lauetur: mirus sequetur effectus.

Item, fimus columbinus in aceto tritus & illitus: sanguis quoque tauri illitus: hepar ouis recens & calidum admotum faciei, totam faciem probè coloratam reddit.

Lingua distortio, motus impeditus, inflatio, loquelæ amissio.

SI lingua à frigore subito distorqueatur fiat gargarismus ex decocto saluiæ, pyrethri, & rutæ in vino: aut decoctum synapi, cinnamomi & salis cõtineatur in ore: aut pilulæ istæ in ore & sub lingua teneãtur, Recipe castor. pyrethri, rad. pæon. ana. cum theriaca fiãt pil. vel illinatur cum oleo benedicto, aut iuniperi, aut castorei: vel cum arragone & martiato.

Si motus impeditur, admoue occipiti emplastrum ex castoreo, pyrethro, stercore columbino, pice, cera, & axungia vrsi. Si sensus habes, admoue occipiti idem

emplastrum ex castoreo quia illhinc oritur morbus.

Si infletur, imponatur illi sapphyrum electum. Si loquela amissa sit, colluatur os aceto tepido decoctionis pulegij: contineatur ore puls confecta ex farina siliginis, aceto & ruta simul coctis: hoc enim mirabiliter loquelam restituit.

Dentium & ginguarum affectus. Cap. 36.

Dentium dolor.

IN vehementi dolore dentium instilla succum hederæ terrestris, in aurem partis dolentis, dolebit quidem parum, sed omnis deinceps dolor cessabit, vt referunt experti, & Auicen. Item, acori succus in aurem iniectus idem præstat.

Contra fortem dolorem dentium, vinum in quo violæ coctæ fuerint in ore teneas. Expertum est. Vel granum vnum opij inter dentes tene, stupefaciendo mœrorem pellit. Vel opium cum vitello semicocto distemperatum appone.

Vt dentes nunquam doleant. Limatura cornu cerui in olla rudi cum aqua cocta, & in ore sæpius retenta efficit.

D. vinum vel aqua decoctionis cucumeris asinini lõgissimum dolorem arcet. Idem efficit succus folior. Cucumer asin. vel succus betæ in aurem ex parte dolente instillatus, vt Gal. in pass. habet. Item, os dactylorum accensum, ac inter dentes positum dolores aufert.

Si cortex radicis mori coquatur in succi botri vitis vsque ad medietatem, Illo autem si lauentur dentes nunquam dolebunt. Vel rasura radicis eius in vino decocta idem facit.

Item, dentes inunge succo cẹparũ qualibet die, & nunquam dolebunt. Dolor dentium cessabit, Si os semel in mense laueris cum vino decoctionis tithymali. Sal cum pasta confectum, & ad ignem combustum denti apponatur & perfectè eum sanabit. Item, radix dictamni admota dolorem dentium tollit.

Item, herba quæ dicitur dens caninus apposita denti affecto confert. id quod sæpè expertus fui.

Eodem modo succus asphodeli in aurem instillatus aufert dolorem dentis in parte opposita.

Similiter folia saluiæ super dentem affectum posita, eum confortant ne à frigore

gore lædatur.

Platear. hyssopus bulliat in aceto cum quo dens affectus fomentetur.

Item, radice raphani fricentur dentes, ac ginginæ & passionem non sentient.

Di. dentes lauentur cum decoctione origani. vel stipes accensus super illos ponatur: Præ reliquis vniuersis herbis dentibus confert. Item, acetum decoctionis colocyntidis diu retentum in ore summum existit remedium: vel si in cortice eius coquatur.

Item, herbam scabiosam tritam dentibus impone. Vel, lactucas in oleo coctas tepidas appone Simili modo fiat gargarismus ex decoctione saluiæ, rutæ, pyrethri, hyssopi, ellebori nigri, radicis cucum. asin. radicis calamenthi, ac stipitis origani: & partem illius in aurem partis dolentis cum oleo immitte.

Quinque grana seminis hederæ coquãtur in testa maligranati cum ol. rosato, & dextræ auri infundantur, ac subuenient denti sinistro. & è conuerso

Decoctio foliorum tamarisci dentium dolori succurrit. Item, puluis factus de dentibus canis & appositus. Item, accipiantur tres virgulæ corni arboris tene-

res adhuc ramulos habentis, & cum eis dens sæpius tangatur, & sanabitur. Idem, experimentum certum esse asserit. Constant. Si dentes fricentur cum radice ebuli à dolore non amplius vexantur. Idem efficit succus cichoreæ auri instillatus in parte opposita.

Item, succo millefolij cyphus plenus potatus, idem operatur. Cir. radix millefolij masticata ieiuno ore, dolorem sedat.

Radicem nucum intrinsecam cum allio tere, & succum expressum in aurem denti oppositam immitte. Acetum in quo radix hyosciami bulliit, dolorem pellit, si os cum eo abluatur.

Macer, succus nasturtij in aurem lateris dolentis immissus dentes sanat.

Radix quoque marrubij masticata ieiuno ore vel potata breui sanat. Radix maluæ denti adiuncta, vel radix pentaphylli, idem potest.

Radix senæ communis absque ferro effodiatur, & cum ea locus affectus tribus diebus tangatur: deinde rursum reponatur in locum, vnde eradicata fuit: ac dentes imposterum nunquam afficiẽtur.

Radix lepidij collo suspensa dentium

affectibus medetur: folia fragariæ masticata certò idem efficiunt. Item, lignum fraxini acutum accende, & dum ardet, impone denti cauo prius impleto theriaca, plurimum prodest.

Plinius. radix pilosellæ pistata dolorem dentium tollit. Item, vermis multipes Onyx dictus si acu pungatur, & cum acu dens æger tangatur, dolor remittit. Bellicanus in almagesto suo. Si dens affectus dente hominis mortui tangatur absque omni dubio liberabitur.

Collutio oris ex decocto foliorum tamaricis in aceto: aut ex decocto corticis mori, aut decocto senestæ anguium: aut decocto rumicis, aut rad. asparagi, aut allij tedæ & thuris, aut seminis capparis, vel corticis eiusdem: aut decocto in aceto spinæ albæ, aut absynthij, aut hyssopi, aut pyrethri, aut altheæ, aut apiastri, aut betonicæ, aut quinquefolij, aut radicis hyoscyami, aut radicis ephemeri, aut verbasci, aut cucumeris sylueстris, aut colocynthidis: aut ex aceto acerrimo calido: aut ex decocto in aceto conorũ cupressi, vel myricæ, vel radicis plan. vel rad. irid. vel nardi Italicæ, vel lauandulæ, vel potentillæ, vel staphisagriæ.

Admouenda cauo dentis dolentis, nigella, cedria, ficulneum lac lana exceptũ, pastinacæ piscis aculeus in eius cauda prominens, iecur lacertę, radix ranũculi, panaces heracleum, succus peucedani, galbanum, serapinum, sory, iunuperi oleum, oleum saluiæ, oleum hyoscyami tepidum, puluis radicum bistortæ cum aluminis & pyrethri momento, radix angelicæ, puluis calthæ aridæ, lac tithimali caracię, dẽte prius cera munito ne lac in fauces incidat.

Indenda in aurem, aut narem contrariam oleum lumbricorum: succus radicum asphodeli: succus anagallidis: quinque acini corymborum hederæ cum rosaceo in malicorio feruefacti: calli equorum cruribus innati triti ac per aurem oleo infusi.


Indenda in aurem dolentis lateris succus calidus nasturtij, oleum castorei.

Colluendum os vino albo decoctionis baccarũ iunuperi, pilularum cupressi, foliorum myrthi & aquæ vitæ momento, aut vino austero decoctionis radicis imperatoriæ, vel rorismarini.

Mandanda dentibus ac ore radix angelicæ, folia millefolij, radix iridis, semen

ſinapis, radix plantaginis, radix polemonij, clematis prima, leucacanthæ, radix capparis. Suffitus per infundibulum ſandaracæ receptus.

Sordidi dentes.



Cinis	Purpuræ Buccinę Mitulorum Conchulæ Coclearum terreſtrium Sepiæ piſcis Cornu ceruini Cruſtę panis	dentibus affricatus.
	Ariſtolochia rotunda Alcyonium quintum Pumex, lapis Arabicus, lapis ſamius.	dẽtibus affricata.

Plantaginis radicum decoctum in collutionibus: maluæ radix ſub cineribus decocta madida papyro circumuoluta deinde ſiccata &pro dentifricio vſurpata. Cyclamini ſuccus cum melle illitus.

Dentium mobilitas torpor, vermes.

DEntes mobiles firmat decoctum lentiſci, balauſtiorum, ſylueſtris oleæ, ſory, foliorum viburni, pruni, meſpilorum, baccæ virgæ ſanguineæ, cornorum & ſorborum, virgæ aureæ, potentillæ, fragariæ in aceto aut vino auſtero ſingulorum aut mixtorum coctorũ.

Sylueſtris oleæ oleum, aut ſuccus baccarum criſpini ore contenta.

Alumen cum aceto & melle ſolutum & adhibitum.

Cammarorum lapilli contriti & puluerati, corallij puluis, leuiter affricetur: Item cinis dentium delphini.

Dentium torpori medetur portulaca commanducata.

Si granum vnum ſalis inuolueris tela aranea alba, & denti perforato aut cauo impoſueris eum firmabis: maſtix quoque commauſa idem efficit teſte Auic.

Vermes dentium fumus ſeminis hyoſcyami ſuper carbones poſiti per infundibulum receptus curat mirabiliter: Item, illine dentem medulla caballi: frica dentes ſæpè cum radice paſtinacæ, & dolor ſimul eorum tollitur.

Dentitio facilitanda.

LApis è capite limaciarum ſine teſtis exiſtentium ademptus, & alligatus.

Lac canis, butyrum recens, cerebrum leporis elixum dentibus & gingiuis infricatum: illinere totum ceruicem, caput & maxillas oleo dulci, idque inſtillandum in aures.

Dens lupi, radix colocynthis ſylueſtris, iaſpis viridis omnia ſuſpenſa de collo aut geſtata.

Dentes carioſi frangendi.

SVccus chelidonij maioris, amurca olei cum omphacio decocta ad craſſitudinem mellis, Radix ranunculi, aut Chamæleonis nigri, aut aculeus piſcis, paſtinacæ cauo denti indite.

Dentes frangit, & extrahit lac tithymali cum farina frumenti piſtatum, ac in foramine dentis poſitũ. Sic docet Girald. in viat. Vel confice lac tithymali cum puluere pyrethri & galbano.

Exper. caſſula facta ex gummate celſi, denti circumpoſita, dentem putridum ſine dolore extrahit, idem refert Iſaac de puluere aſperſo.

Conſt. dentem cauum reple gummi hederaceo & diſrumpetur. Dentes quoque runpuntur, dolorque minuitur ſi impleatur ſtercore corui.

Di. Radix hyoſcyami nigri probè calefacta ſi applicetur denti dolenti & radicibus eius per ſe cito excidit. Cauendum tamen ne reliquos etiam tangat. quia aliàs omnes ſimul extraherentur: Idem,poteſt herba ſuper dentes fricata. Dens tactus cum lacte canino citius extrahitur.

Item,cerebrum perdicis denti cauo immiſſum, rumpit ipſum, & dolorem ſedat.

Radix aſparagi trita,& cum lana denti dolenti admota, eum ſine dolore extrahit.

Galen in paſſion. puluis coralli ponatur in foramen dentis, & eradicabitur. Summus quoque eſt in confortatione gingiuarum.

Platear. corpus ranę, vel pinguedo eius applicata,facilitat euulſionē dentiū.

Si de pice cedrina impleas dentem cauum,ipſum diſrumpi faciet,ac ſi aliquandiu in ore retinueris, omnem dolorem tollet.

Fiſſuræ labiorū.

Fiſſuras labiorum, maſtix cum albu-

mine oui crudi mollificata & apposita rursum coniungit.

Fluidæ, erosæ, ac putridæ gingiuæ.

GIngiuas firmat decoctio rosarum siccarum, gallarum, balaustiorum foliorum prunorum, pulegij siccati, rubi, staphisagriæ ex vino austero singillatim aut simul decoctorum.

Item, colymbadum muria in ore contenta: collutio ex lacte asinino, ex omphacio cum melle rosaceo, ex aceto decoctionis rubiginis ferri, aut aluminis, aut salis.

Admotio salis tosti cum polenta, aut farina cyperi, aut pulueris lapidis alabastrites, aut lapidis smyris.

Erosas putridásque gingiuas desiccat aloë ex vino & melle: frustus tribuli vtriusq; ex melle impositus: labruscę florũ combustorũ cinis cum melle illitus: chalcitis, alumen, pumex, ærugo trita & imposita: Caucamum impositum: cochlearum putaminum exustorum cinis: corallij puluis infrictus & illitus: Collutio oris ex decocto potentillę, fragariæ herbæ &

radicum: Vinum punicorum malorum ex melle rosaceo & aqua plantaginis.

Gutturis & gulæ affectus. *Cap. 37.*

Destillatio in gulam.

COllutio in formam gargarismatis ex decocto papaueris, aut eiusdem decocto cum melle in formam lohot: Acetum gargarisatum, aut verbenaca ex vino gargarisata, aut ex omphacio. Aut bdellium cum saluia ieiuna dilutum, & impositum: Tragacanthæ lachryma delincta.

Gargarismata ex decocto baccarum crespini, aut mespilorum, aut baccarum pruni syluestris, aut ex vino malorum punicorum acidorum.

Asperitas faucium, & tracheæ arteriæ.

GArgarismata ex ptis. hordei, ex succo sinapis, ex decocto quinquefolij, ex lacte, ex decocto radicum & foliorum maluę, ex decocto solidaginis minoris in aceto & aqua rosarum, ex aqua stillatitia phyllitidis. Eclegmata ex myrrha linguæ subdita, ibique liquata:

ex ſucco liquiritiæ: ex tragacantha cum melle: ex liquore laſerpitij aqua diluto.

Sumpta pulpa caſſiæ ſolutiuæ, oleo amygdalino dulci, oleo ſeſamino: cochleę illotæ coctæ, tritæ, & ex paſſo ſumptæ: oui albumine crudo ſumpto: Attriplice cocto deuorato.

Inflammatio Gutturis.

GArgariſmata ex lacte, ex ſucco origani virentis, ex ſucco helxines, ex ſucco vtriuſque vrticæ, ex aceto, ex ſucco rubi mororum, ex decocto ficuũ ſiccarum, & ſucco baccarum criſpini, ex ſuccis vuę ſpinæ & rubi vulgaris, ex ſuccis lactucę & mali punici, ex vino auſtero decoctionis herbæ trinitatis ex decocto virgę aureæ, ex vino decoctionis malorũ punicorum, roſarum, aut plãtag. aqua, ex decocto chalcitis, aluminis, ſalis toſti.

Litus gulæ cinere crematarum hyrundinum & melle, ex oleo ranæ elixæ, ex aloë, vino aut melle, ex fructu tribuli cum melle: ex ſucco radicum ebuli circa gulam calido cum linteolis illito.

Columella prolapſa.

SI columella nimium laxetur aut procidat fiat exſiccatio cum gargariſmate ex decocto viburni ex aqua ſtulla-

titia phyllitidis, ex decocto virgæ aureæ, foliorum pruni syluestris, consolidę mai. aut mediæ, saniculæ, auriculæ vrsi, pilosellæ, potentillæ: ex vino malorum punicorum, & aqua plantag. ex balaustiis, glandibus, & caphura in aqua & aceto decoctis: illinatur columella cum liquore laserpitij admixto melle: Imponatur vuulæ cum spatula, puluis de pipere & acacię, aut flore æris.

Pix liquida calefacta vna cum thure & mastice deraso capillitio applicetur.

Lauri baccæ cum cumino, hyssopo, origano, & euphorbio melle exceptę summo capiti calidę admoueantur.

Emplastrum ex pice, galbano, opopanace calidum admoueatur fontanellæ colli post occipitium portione vna, altera vertici capitis: Sic multum elenabitur vuula.

Exper. ouum benè probéque coctum cultello diuidatur: & pars altera euacuata calidissima vertici capitis apponatur. Vel totum ouum bene coctum remoto cortice pressum, apponatur aliquantulum capitis.

Item, cinis radicis anethi vuulam inflatam desiccando restaurat.

Gummi,ruta, semen sinapis, thus, oppopan. Galban. Pix, simul calefacta adhibeantur eiusmodi morbo chronico.

Similiter cauterium cum auro est optimum remedium.

Diamoron cum aceto & melle mixtum,calide gargarizatū exiccat & phlegma consumit. Nycolaus de diamoru docet, quod omnes affectus vuulę & palati iuuet.

Cinis radicis caulis combustę,parti affectæ admotus desiccando humores eam leuat.

Idem, certissimè præstat radix caulis, quę euulsa terram non tetigerit, collo suspensa.

Item, hyssopus coquatur in aceto, & fiat gargarismus: maximè confert etiam flos hyssopi puluerizatus, & cum digito vuulæ appositus.

Platear. ventosa in raso capite posita vuulam sursum attrahit.

Ad vuulam alleuandam: Sal calidissimum in panno ligatum, ac fontanellæ colli appositum, mirè valet.

Angina.

SEcta primum vena cephalica, intus repercutientibus, foris euaporantibus ac discutientibus vtendum: Repercutientia sunt succus solatri, decoctio lentium, rosarum, acetum, ceu oxicratum, lac, succus origani virentis, succus helxine, vtriusque vrticæ succus, succus britannicæ, succus rubi, mororum, decoctum ficuum siccarum, omnium in formam gargarismatis vsurpatorum: Item, succus baccharũ crespini, vuæ spinæ succus, mororum succus, decoctum virgæ aureę gargarizatum. Ranulæ sub lingua postea aperiendæ. eadémque opera hæc foris admouenda: Pix liquida: millepedę cum melle, cinis crematarum hyrundinum ex melle, fel taurinum cum melle subactum: fel testudinum illitum, cæpę succus: piper cum melle, Elaterium cũ melle & vetere oleo, aut felle taurino: Sal ex melle & oleo: Cochleæ cum acu vulneratę succuscum penna illitus: Caninum stercus: Succus radicum ebuli circa gulam calidus cum linteolis illitus.

Succinum suffitum & eius fumus per infundibulum in os receptum.

Viperæ caput in linteolo colligatum collo suspensum: Caninum stercus fistula insufflatum.

Emplastrũ ex stercore canis ossa comedẽtis: Itẽ, emplastrũ ex stercore canis, hominis & felle taurino: vel Rec. stercus humanũ, fermentum, viscum arboris, cinerem thuris combusti, & axungiam cirogrillorum, fiat emplastrum admouendum toti collo, attrahit, maturat, & rumpit apostema. Vel stercus humanum siccum cum melle, confectum: Item, radix lilij & ficus terantur, addito fermento misceantur cum lacte porci: & hoc cocto fiat gargarismus, qui sua proprietate apostema rumpit.

Lamices maximè quæ inueniuntur in arboribus emplastratæ ante omnia valẽt, ad maturandam & rumpendam squinantiam. Radix chelidoniæ trita bulliat in vino, de quo fiat gargarismus, qui siccando iuuat caputque purgat.

A pluribus probatis & expertis audiui verbenam tritam, calidéque emplastratam sæpissimè desperatam squinantiam curare. Et experimẽtator attestatur: Verbenam, si super tumores ligetur, illos aperire. Item, flos oculi bouini comestus

nullo tempore squinantiam nasci permittit.

Di. terra hirundinis emplastrata tumores faucium, & maxillarum dissoluit.

Gargarismus Auicennæ expertus: Recip. sem. ros. lib. I. succi barbæ hircinæ drach. 4. decoquantur in melle vel aceto. Similiter galla cum sale Armoniaco prodest.

Ad squinantiam periculosam: Hirundines veteres in olla rudi comburantur, & puluis factus cum melle misceatur, ac inde cum penna interius gula inungatur. Gal. in pass. instante periculo extrahe sanguinem inter scapulas cum ventosis, quia multum minuit materiam, & ad oppositum reuellit. In eodem tota gula exterius circundetur cum lana succida infusa in decocto hyssopi, & oleo oliuarum.

Gir. in viat. in caussa frigida anguiæ: martiaton, Agrippa, dialthæa bulliant in vino forti, & ex eo illinatur collum: hoc enim maturat & discutit.

Item, filum sericum quod intinctum sanguini muris viperam strangulauerit, plurimum valet. Scabiosa pota vel emplastrata anginam vel cōfirmatam curat.

Pectoris

Pectoris & pulmonis affectus. Cap. 38.
Tussis.

TVssis materia magna ex parte descendit ex cerebro ad pectus, eaq; (vt plurimum) pituitosa: Si catharrus descendat ad nares coriza, si ad fauces brãchus, si ad pectus tussis dicitur. *Tussis.*

Tussi hæc potissimum conferunt, cassia fistula sumpta cum decocto hyssopi: oleum amygd. dulc. potum: catapotia decem. ex thuris drachma 1. agarici scrupulis. 4. cum hyssopi succo formata & ex iis vnum in lecti ingressu sumptum. Decoctio radicis iridis, aut cardamomi, aut baccharum lauri, aut chamedrys, aut tussilaginis, aut hyssopi, aut ficuum, radicum baccharis, marrubij, inuci, verbasci, acori, radicis valerianæ, passularum, sebesten zizypharum.

Eclegmata ex melle & euula campana: ex myrrha, stirace, & bdellio: ex terebinthina & melle: ex semine lini cum melle & pipere, ex scilla cum melle in diuturna tussi: ex tragacantha cum melle: ex bryonia cũ melle: ex resina larigna: ex muria zizypharum, hordei, & mixorum decocto: ex porro cocto & melle:

ex capitibus papaueris perfectè decoctis, addito melle.

Sumpta myrrha ad quantitatem fabæ: pota mastiche: fructus cedri deuoratus: Paliuri semen potum: gummi amygd. amar. cũ vino diluto potum: nuces auellanæ cum aqua mulsa potæ: scordium potum, farinæ auenæ cremor sumptus: fabæ in cibis acceptæ: Raphanus elixus mãducatus præsertim in veteri tussi. dracunculi maioris radix tosta & elixa deuorata: Asphodeli radix pota: allium crudum & coctum, sumptum in vetere tussi. Galbanũ deglutitum in veteri tussi. Sulphur in ouo sumptũ, ficus siccæ deuoratę.

Nuclei pinei melle & saccharo excepti & deuorati: mumia ex zizypharum, hordei & mixorum decocto: Cupressini coni impari numero triti minutissimè & ex vino vetere hausti: Persici lachryma ex mulsa aut hordei decocto pota: Candi saccharum: melopeponum seminum cremor: Porum coctum ex melle: Cepa elixa, aut sub cineribus tosta ex saccharo & butyro deuorata: Ari radix cocta ex oleo amygdalino sumpta: lac potũ in quo ari radix fuerit incocta: Veronica mas in sua ipsius aqua stillatitia hau-

sta: Consolidæ regalis flores poti: Gummi cerasi cum vino diluto haustum.

Suffitu calami aromatici, propoleos, sulphuris, sandarachæ cum resina accepto vapore per fistulam vel infundibulum in os.

Sputum sanguinis.

SCreantibus sanguinem gummi persicum mirabiliter cōfert, occultas quoque thoracis & pulmonis obstructiones aperit, & viscera expurgat: Item, succus centinodiæ seu linguæ passerinæ potus: ouum tepidum haustum: Cinis cornu ceruini lotus & potus cum tragacantha: Succus serpylli drachmarum duarum pondere cum aceto potus: fimum caprinum in vino aut aqua potum: Amylum potum.

Vnguentum ad idem, axungia gallinæ vel anatis, anserum, porci, medulla bouis, butyrum recens, oleum violatum, an. simul liquefiant, hisque cera alba, gummi arab. tragacanthum addantur, & vnguenti instar misceantur. Sed primum stupa fiat super pectus cum decoctione ebisci, vt sudet: deinde cum prædictis pectus inūgatur, superimposita pelle vulpis.

Puluis quoque mororum ſiccorum, ſanguinem ſcreantibus vltimum remedium exiſtit.

Syrupus contra hæmoptecam paſſionem: quo nihil vtilius eſt, nihil melius, nihil denique teſte Gilberto efficacius. Rec. Hypocyſtidos, cimoleæ, boli armeni, acaciæ, coralli albi, & rub. ſang. drac. pul. aſari, mumiæ, pſidiæ, gallar. balauſt. gum. arab. tragag. ſymphiti, corrigiolæ, ſem. arnogloſſę, decoctionis roris ſyriaci, ſumach, ſanguinariæ, an. drach. ß. Sacchari lib. 3. cum decoctioni plantaginis, fiat Syrupus, qui exhibeatur cum decoctione citoniorum, lenticularum, & meſpilorum. Prodeſt etiam hic ſyrupus aliis omnibus fluxionibus.

Farina triticea glutinis modo elixa ſanguinem reiicientibus ſingulare eſt remedium.

Item, radix ſerpentariæ cum melle ſumpta.

Si ruptura alicuius venæ ſanguis profluxerit, poſca frigida aſſiduè bibatur.

Item boli Arm. (quæ vulgo γήβ... ϛρος Græcis dicitur: eſt enim terra rubra & glutinoſa) ex ęquo adiuncta amylo detur cum poſca frigida, aut cum ſucco

plantag. qui etiam cum poſca mixtus mirè ſanguinem ſtringit.

Idem facit ſuccus apij cum aqua. Item tragacanthum cum ſucco plantaginis ad vlcera pectoris.

Succus polygoni maris, ſaluię ſuccus cum melle: Corallum ſumptum: Hematites lapis: Samia terra: thus epotum, maſtiche, mumia, gummi iunuperi: Succini paſtilli poti: aqua liguſtri: ſuccus hauſtus baccharum criſpini: Saccharum roſatum: Hypociſtis pota: aqua ſtillatitia foliorum quercus: Glandes & gallæ potæ: cinis corticis ſuberis hauſtus: tenuior tunica caſtanearum puluerata hauſta: Perſici lachryma ex aqua plantag. aut portul. meſpili folia puluerata potui data: Virgæ ſanguineæ baccæ: corna, ſorba manducata: Cochleæ elixæ, & in cibo ſumptæ: ſuccus equiſeti & ophiogloſſi: Rhabarbarum drachmæ pondere cum mumiæ momento hauſtum: Pulmonariæ ſuccus potus & herba ipſa quouis modo vſurpata: Succus millefolij aut ſicci farina ex aqua ſymphiti maioris aut plãtag. ſuccus piloſellæ, conſolidæ mediæ & minoris, Saniculæ, auriculæ vrſi, virgæ auaureæ, potentillæ, vel iſtæ herbæ quouis

modo vſurpatæ : vinum malorum punicorum ex aqua portulacæ, aut roſarum potum: Iaſpis lapis ſuſpenſus aut iecori admotus.

Deſtillationes, aſperitates plenitudines phlegmaticæ, omniaque pectoris incommoda.

DEſtillationes in pectus ſiſtunt irionis ſemẽ cum melle delinctum: Veronica mas, ſaluia, terra Armenia ex ſaccharo roſaceo delincta: Si antiquæ fuerint & periculoſæ raſo prius capiti emplaſtrum ex ſinapi & cera admoueatur, vt pauliſper exulceretur, & fluxus exſiccabitur: excipiatur fumus cum ſtupis canabinis de ladano & origano poſitis ſuper primas: vel ex decocto baccharum lauri, & vapor hic per nares ac aures excipiatur.

Aſperitatis pectoris leniuntur ſucco liquiritiæ in ore retento: Caſſia ſolutina hauſta: oleo amygdalino: radice cacaliæ in vino madefacta & delincta: Seſamino oleo: Perſici arboris lachryma ex mulſa, aut bechij aqua hauſta: Porro cocto ex melle delincto: tragacanthę lachryma.

Purgatur pectus terebinthina reſina

deuorata: decocto hyssopi, saluiæ, agarici, sennæ: scabiosa puluerata, aut eius succo cum melle lincto, aut decocto pluribus diebus hausto.

Liberatur à cæteris incommodis: Porro cocto cum melle comesto succo liquiritiæ, decocto thymi, thymbræ, decocto symphiti petrei in mulso, succo radicis quinquefolij: decocto rad. iridis, veronicæ maris, liquiritię, passularum, terebinthina deuorata, radicibus iridis conditis esitatis.

Phthisis.

PVlmonarię succus frequenter potus, aut herba ipsa quocunque modo vsurpata: Brassica percocta frequenter deuorata, iuniperi baccæ haustæ: lauri baccæ tritæ cum melle & cum passo deuoratæ: ficus siccæ cum hyssopo feruefactæ & potæ, porrum cum melle decoctum: Brãcæ vrsinæ radices potæ, succus expressus aut decoctum foliorum marrubij: myrrhis data in sorbitione: Agaricus cum passo: Asij lapidis, flos ex melle delinctus sumptus: Terebinthina per se vel ex melle more eclegmatis deuorata: Pistacia, pinei nuclei cum melle aut saccha-

ro comesti: Cancri fluuiales elixi cum suo iure sumpti: Ius esculentum omnium adipum: lac humanum ex vbere suctum: Cochlææ nemorales à mucagine repurgatæ, & ex lacte bubulo decoctæ vna cum tussilagine in cibis sumptæ. Ranæ ex capi aut gallinæ iure decoctæ deuoratæ: gallorum iuuenum testes in cibo vsurpati. Melopeponum seminum cremor haustus: Saluiæ, veronicę maris, radicis geranij primi frequens vsus. pillulæ è saluia frequenter vsurpatę: Rec. spicę Nardi, zinzi. sing. drach. 2. seminis saluię assati triti & cribellati vnciam vnã, piperis longi vnciam vnam semis, cum succo saluię fiant pilulę: sume drachmam vnam mane ieiunus, & vesperi totidem superbibendo quidpiam aquæ puræ: Armenia terra, corallium, lapis hæmatites quouis modo sumpta.

Suspiriosi.

SVmenda frequenter per os decoctio ficuum siccarum, & hyssopi: Vinum hyssopites decoctio in hydromelite. hyd. radic. aristol. rot. radic. centaurij mai. pulegij, stęchados, vymi, squillę, satureiæ, radicis baccharis, marrubij, adianthi, radic. iridis, singulorum aut mixtorũ. Deco-

ctio radicis & foliorum valerianæ cum passulis, & semine anisi : succus lacteus sonchi : sinapi semen in cibo vel potione: succus saluiæ, radicis liquiritiæ, veronicæ maris : Hyssopi, menthastri, amaraci, radicis imperatoriæ, scabiosæ, medulla seminis carthami, semen vtriusque securidacæ, semen sinapis.

Eclegmata vsurpanda ex baccis lauri tritis cum melle vel passo : Ex oxymelite scyllitico : ex foliis anagyris cum melle: ex radice bryoniæ cum melle : ex resina terebĩthina aut larigna: ex medulla cauliũ brassicæ ex cremore amygdalino decocta & cum melle:ex porro cocto & cum melle:Ex radice ari decocta melléq; excepta:ex eadem radice cocta sub cineribus, & ex amygdalino oleo exhibita:pice ex melle lincta.

Item, vulpinus pulmo exiccatus potus aut sumptus in puluere cum sacc. cando. arm. terra delincta:Peuced. in ouo succus sumptus:sandarac. cum resina in catapotiis data : sulphur in ouo sumptũ vel suffitũ:radices iridis sacc. conditæ comestæ, cochleæ deuoratæ:aqua stillatitia cinnamomi : Balsami factitij liquores & oleũ: conserua euulæ camp. oleum amygdal.

oleum cnicinum, oleũ de nucibus indicis: Cæpa elixa, aut sub prunis tosta, & cum saccharo deuorata & butyri recentis momento: galbanum deglutitum: aqua stillatitia gentianæ: Sagapenum ex euulæ campanæ aut hyssopi decocto haustum: aqua vitæ cum syrupo violaceo aliquãdo vsurpata: Elaterij, optima suspiriosis est purgatio inquit dioscor. Item, agaricus: sennæ decoctũ, vel dilutum potum: cass. solutinę pulpa cum decocto hyssopi.

In cibis sint ficus siccæ, passulæ amygdalę, ius senum gallorum potum, pinei nuclei melle aut saccharo excepti: ius caulium rubrorum: cremor trasorum è carnium iure paratus: semen sinapi cum ficubus siccis pinguibus confectum, & vesperi sumptum: vel ficus siccę eodem semine repletę in vino claro decoctę, quod vinum singulis diebus vesperi sumatur, & bibatur post esum ficuum.

Pulmonis inflammatio. Cap. 39.

BEtonicę folia drachmarum duarum pondere in hydromelitis cyathis quatuor sumpta: radix personatię cum pineis nucibus sumpta: Vinum hyssopites: Sulphur in ouo potum vel suffi-

tũ: Terebinthina deuorata: vlmi folia quę orientem spectant impari numero decerpta, & cum totidem piperis granis contrita ex vino cretico hausta: Tragacãthę lachryma delincta: succus liquiritię: folia veronicę maris in aqua ipsius stillatitia propinata: Botrys decoctũ pluribus diebus potum, aut herba ex decocto liquiritię hausta: scabiosę farina pota aut recẽtis herbę succus cum melle delinctus, & totius plãtæ decoctũ pluribus diebus potũ: pulmonaria quomodolibet vsurpata.

Larigna resnia & terebẽthina in eclegmate delincta: pix liquida cũ melle mixta & deuorata.

Pinei nuclei melle aut saccharo excepti & deuorati: Amygdalę & eorum lactens cremor,

Pulmonis læsio.

PVlmo aliquando læditur ex fumo vel puluere, vel ex calore desiccãte sicut in febribus acutis accidit, & post multam sitim: aliquãdo etiam ex clamore, vel ex catharro, aut ex vsu rerum sallarum, quę nimis exiccant: quandoque etiam ex nimio vsu acetosorum, quę exasperant.

Læsio quæ facta est ex fumo, puluere, calore, vel clamore, facile curatur, si in

introitu lecti dederis aquam frigidam, in qua cocta sit glycyrrhiza & similia,& simul sumat saccharum penidium, sicque per noctem quiescat,mane verò cùm surrexerit detur ei modicum panis,in eadem aqua madefactũ, id sitim extinguit. Hoc author. Idem facit aqua simplex.

Si à catharro, vel defluxione aliqua sit pulmo malè affectus,recurrendum est ad ea quæ in cap. de voce & tussi dicta sũt. Valent autem plurimum hoc in casu sequentes pilulæ:

Rec. Gummi Arab. tragacanthi ana drach.2. olibani drach. dimidiam conficiantur cum melle.

Pleuritis.

IN pleuritide curanda prima intentio est: Phlebotomia oppositæ partis, quia in principio fluxus est ad oppositũ deriuandus. A confirmatione verò quando humor coniunctus & collectus est ex eadẽ parte fieri debet vt humor euacuetur.

Post primam phlebotomiam, vtendum est repercussiuis, vt membrum confortetur,& materia retrocedat. Verum si non fuerit ab initio facta venę sectio vtẽdum partim euaporantibus, partim maturan-

tibus, iisque post statum morbi fortioribus: inter quæ optima est vesica ænea (vel suilla) plena decoctionis chamom. meliloti, fœnugræci, & similium. Et vnicè tibi cauẽdum fuerit ne in principio adhibeas euaporantia, quia faceres maiorem attractionem, cùm eorum appositio operetur contra dolorem. Quippe omne euaporatiuũ, est simul attractiuum. Euitanda insuper fuerint vniuersa diuretica, quia humorem subtiliando, viásque aperiendo, fluxiones magis adaugent: & potius adhibenda ingrossatiua atque diuisiua, qualia sunt radix altheæ, ficus, liquiritia, amygdalæ, fœnugræcum, amylum, psylium, pultes hordei, & similia, vt capillus Veneris, semen endiuiæ, semen papaueris, albi calidis mixta.

Sirupus quem à fide digno quodã accepi, absque periculo esse & expertissimũ in pleuresi, quod humorem euacuando protinus illam sanat: Rec. Rad. scabiosæ tritæ lib 5. corall. rub drach. 2. sacchari q. s. fiat sirupus in prisana, cui incipiente coctione adde lib. 1. succi scabiosæ, & pulueris coralli. de quo patienti bonus haustus detur, confestim siquidem apostema ruptum, per sputum expelle. Hoc omnes

ille dilectos suos curauit.

Item, massa ficuum siccarum trita cum axungia vel oleo communi superimplastretur: Hoc medicamẽto Ezechias curatus fuit ab Esaia.

Vel fiat emplastrum de radice altheæ & farina seminis lini & fœnugręci, & butyro, id expertum esse sępius cognoui.

Remedium aliud pleurit. & peripneum. speciale. Succus berullę & nasturtij aquatici. ana. misceantur cum axungia porci vetusta liquefacta: hinc addatur farina seminis lini, fœnugręci, & tritici, ac simul incorporentur.

Emplastrum aliud. Recip. farinam fœnugręci, seminis lini, tritici & fermẽtum, & addito butyro panem confice, qui pistatus instar emplastri calidus apponatur

Item, farina fœnugręci, & seminis lini bulliant in butyro & oleo violato, misceantur cum malua dissoluta in axũgia porcina recenti. simul calefacta emplastrentur sępius reiterando.

P. lu. lana imbibatur in butyro & dialthęa, & inde locus sępius inungatur.

Vel panis bene fermentatus conficiatur cum butyro, dialthęa, & oleo laurino, cuius partem ęger comedat, de reli-

qua fiat emplastrum super apostema antè & retrò

Rutam bibitam pleuritidi cōferre Macer asserit: Credo in principio verū esse: si sumatur cum aqua liquiritię. Sic enim ferunt eam iuuare omnia vitia pectoris de crassis humoribus.

Rasura dentis apri, aut cinis priapi cerui ad drachmam vnam sumpta cum aqua cardui plurimum commendantur in pleuritide. Quæ per os sumpta pleuritidi conferunt, hæc sunt: semen pastinacę erraticę potum cum aqua scabiosę: Succus liquiritię, decoctum rad. iridis: oleū sesaminū, cnicinum, amygdalinū: oleum de semine lini potum ad semilibram: aqua stillatitia cardui benedicti vna cum seminis eius semidrachma: Decoctum anthemidis, vel aqua stillatitia florum eiusdem, persici arboris lachryma ex mulsa pota: oleum è nucibus indicis. Sirupus violacens: terebinthina hausta: pomum dulce cineribus incoctum & liquiritia, succo amylo & saccaro conspersum deuoratum: Cremor lacteus amygdalarum cum multo saccaro.

Admota vero hęc sunt: suillus adeps, ex vino lotus & cum cinere & calce coctus

impositus: Sagapenum emplastri modo appositum: cochleę contusę & loco dolenti admotæ: pix vnà cum sulphure & cumino in formam emplastri.

Lateris dolores.

HIs cataplasmata prosunt ex fimo caprillo cum cera, & oleo subacto, vel ex farina hordeacea vnà cum mellilото & vasculis papauerum ex mulso elixa: vel cineribus caulium crematorum, suillo adipe exceptis: vel ex galbano.

Quæ verò per os sūmuntur vtiliter, sunt succus radicis gentianæ, vel decoctio radicis leucacanthæ, aut radicis asphodeli, aut aristolochiæ rotundæ, aut radicis cētaurij mai. aut agallochi: vel myrrha fabæ pondere deuorata.

Vox impedita aut amissa.

Vox impedita. VOcem impeditam expediūt myrrha linguæ subdita donec liquescat: tragacantha ex melle in delinctu adhibita: vinum hyssopites: decoctum radicis iridis potum: conserua radicis eiusdem: stirax delincta: laser aqua dilutum & haustum: oleum amygdalinum, sesaninum, cnicinum: lachryma persici arboris pota cum hydro-

hydromelite: malua cocta & in cibis apposita: vuæ passæ: liquiritiæ succus, porrum coctum cum melle: oleum è nucibus indicis.

Amissam vocem restituunt conserua rad. elenij: gummi Arabicum deuoratũ: decoctio bechicorum mane & hora vespertina singulis diebus vsurpata: gummi hederæ dissolutum cum melle linguæ illitum: vinum in ore retentum in quo radices buglossi sunt elixæ: semuncia seminis ocymi triti cum vino modico: Item rutæ decoctio: interea admouendæ cucurbitulæ vertici: illinendæ vertebræ colli ex adipe gallinæ, suis, vernecis, sine sale: modicum olei vitrioli cum pauca aqua rosacea potum, vocem amissam restituere asserit Enonymus. *Vox amissa.*

Asthma. Cap. 40.

Difficultas ista respirationis prouenit maximè ab obstructione bronchiorum pulmonis, crassis, ac viscidis sputis scatentium. Soluendæ ergo obstructiones illæ his quæ attenuant humores illos crassos, viásque anhelitus aperiunt. In quorum numero sunt, conserua radicis iridis, & enulæ campanæ frequenter co-

mestæ: ficus siccæ, semine sinapis trito repletæ, coctæ in vino vnà cum hyssopo: vinum hyssopites: frequēs ac creber vsus decoctionis valerianæ, liquiritiæ, seminis anisi, foliorum scabiosæ, tussillaginis marrubij, hyssopi, thymi, calamithæ, satureiæ, seseleos, mellyssophyli, adianthi, veronicæ maris, centaurij mai. seminis vtriusque securidacæ omnium aut quorundam in hydromelite decoctorum.

Easdem aut certè maiores vires obtinet assa fœtida sumpta vesperi ex ouo sorbili: puluis ossis sæpiæ cum aqua potus: cubebæ assumptæ: aquæ stillatitiæ vulgaris cinnamomi & gentianæ: caricæ duæ aut tres in aqua vitę maceratę, deuoratæ: sagapenum ex hellenij decocto potum: ammoniacum haustum cum oxymelite, vel deuoratum ex ouo sorbili ad scrupulum vnum: terebinthina: porrum coctum cum melle: vrina pueri impubis pota: cępa elixa, aut sub cineribus cocta addito melle & butyro: ari radix cocta sub cineribus & ex melle aut oleo amygdalino sumpta: cassiæ fistulæ pulpa cum hyssopi decocto: myrrha hausta: stirax deuorata.

Excreationes renitentes, & purulentæ.

AD renitentes excreationes conferũt coagulum ferè omne potum: sinapis & nasturcij semen in cibo aut potione exhibitum: ammoniacum, in eclegmate: semen lini aut eiusdẽ oleum: oximel. squilliticum: vinum hyssopites: decoctum radicis illiricæ, euulæ campanæ, pulmonariæ, tussilaginis, veronicæ maris, hyssopi, scabiosæ, saluiæ: pinei nuclei melle aut saccharo excepti & deuorati: terebinthinæ, resina in eclegmate vsurpata. *Sputa renitentia.*

Ad purulentas excreationes. Potio ex succo ocymi, & pauco croco: aqua stillatitia lentis palustris: vtriusque vrticæ semen cum melle delinctum: decoctũ pulmonariæ & tussilaginis: suffitus quoque excipiendus per os ex thure sandaracha, veruice, mastiche, zingibere. *Purulenta.*

Pulmonis abscessus, empyema, pectoris vulnera. Cap. 41.

PVlmonis abscessus iuuat decoctum tussilaginis & pulmonariæ: esus frequens pulmonis mustellæ: pulmo itẽ vulpin⁹ exsiccatus, redactus in puluerẽ & sumptus cũ saccharo rosato: decoct. sem. fœnug. sem. lini torrefacti, orobi, passularũ, dactylor. liquiritiæ, adiãthi sem. fœni- *Abscessus.*

Empyicis. culi dulcis. Empyicis cõfert succus pulmonariæ, & scabiosæ: puluis quoq; harum.

Vulnus aut vlcus pect. Ad pectoris vulnera aut vlcera: paranda decoctio in formam œnomelitis ex betonica, pyrola, arthemisia, petroselino, alchimilla, fragaria, equiseto agrimonia, caryophyllata, vinca peruinca, pumpinella, pilosella, virga aurea, radicibus symphiti maioris & rubię: Item radicibus bistortæ, & tormentillę, ex solidaginibus omnibus, sanicula, auricula vrsi, floribus amaranti purpurei, vuis passis, saluia, apio, serpillo, vrtica gręca, calendula, omnibus simul decoctis in vino albo & aqua. Vel absque vlla decoctione, omnes istę herbę depurgetur, abluantur, postea terantur diligentissimè in mortario marmoreo, deinde exprimantur per stamineum tamesium, expresso succo addatur libra vna albi vini generosi: hócq; vtendũ ad cochlearia tria bis in die mane & vesperi, longe à cibo & ante cibum tribus horis.

Cordis affectus. Cap. 42.

Dolor, tremor, palpitatio cordis.

Cordis dolor. DOlori cordis medetur aciculę pinus viridis contritę, & ex vino meraco

potę: succus aut aqua stillaritia melisso-phylli & phyllitidis: aurũ tritũ & ebullitũ cum corallio & margaritis: aqua vulgò clareta dicta cõposita ex ęquis partibus aquæ vitæ & rosarum, in quibus dissoluta sint saccharum & cinnamomum.

Tremorem cordis sanant aquæ stillaritiæ cinnamomi, melissophylli, phyllitidis: galanga è succo plantaginis pota: myrti baccæ sumptæ quoquo modo: radix vincetoxici cum semine mali citrei ex aqua oxalidis pota: caryophyllata olfacta: pulsibus brachiorũ admoueatur malagma ex pane bis cocto, asso, macerato in acri aceto, & pisto: cordi vero apponatur mithridatum vnà cum conserua buglossi: vel malagma ex pane infuso in vino optimo additis pulueribus rosarum, maioranæ, nucis mosch. cariophyllorum. *Cordis tremor.*

Palpitationi cordis conferunt supradicta omnia maximè vero os de corde cerui puluerisatum, sumptum cum aqua rosarum, & vino: vel cor simiæ assum & siccatum sumptum portione aliqua cũ mellicrato, vel cor bouis maceratum in vino albo deinde distillatum: laudatur etiam indusium rebus odoratis suffitum, & gestatum: Itẽ, sacculus plenus puluere odo- *Cordis palpitatio.*

rifero violetto dicto cordi admotus.

Syncope seu deliquium animi. *Cap. 43.*

GAllina in vase vndiq; obturato coquatur ad duarũ partium aquæ cõsumptionẽ, adiectis confortãtibus, vt sunt macer, ocymũ, anthos, & similia: hinc frustatim diuisa & adhuc fumãs naribus infirmi applicetur, ius autem potui detur. Ad omnẽ syncopis speciem, electuariũ: recipe limaturam auri dr. 1. margarit. dr. 1 macis dr. 2 cube. spodij, rasuræ eboris, ossis de corde cerui, serici combusti, rosar. ocymi, anthis. an. dra. 2. coral. alb. & rub. garyoph. an. dr. 1. sacchari lib. 1. musci, ambræ. an. scrup. 1. fiat electuarium. Potest etiam puluis inde fieri.

Si fuerit syncope ex sudore vel calore nimio: sacchar. rub. cum aqua frigida exhibe, aspersum prius cũ aqua rosata. Hoc enim conferre sæpius expertus fui.

Auic. lignũ aloës, muscus, ambra, macer, ocymum maius, & similia cor cõfortando, spiritúsq;, & calorẽ naturalẽ reparãdo, syncopi prosunt. Itẽ, margaritæ, rasura eboris, os de corde cerui, aurũ, argẽtũ, electrum naturale, & præcipuè corallus plurimum, spiritus & sanguinem cor-

dis purificant calorémque alterant.

Præterea, theriaca electa, radix alphodeli florem cæruleum habentis, similiter diarhodon cum Musco, plirisarcot. diamargariton, lætitia Galeni, addito auro & argento puro mirè cor confortant: cõferunt etiam animi deliquio hæc omnia: aquæ stillatitiæ cinnamomi, phyllitidis, lauandulæ, melissę: radix angelicæ, imperatoriæ, flores caryophylli, quocũq; modo vsurpata: sandalum omne, zybethum, ocymum cum aceto, caryophylli, mentha, radices caryophyllatæ, vinum generosum, olfacta, naribus admota, aut etiã potentissimum vinum in faciem proiectum.

Cardiaca paßio.

HVic affectui præter cætera quæ ad syncopen aliósq; cordis affectus valere dicta sunt, conferunt etiam hæc. Vinum in quo gagates lapis ignitus extinctus fuerit ebibitum: aqua stillatitia florum aurãtij, & limonum pota: citria mala, limonia mala, poma adami, pyra cocta deuorata, caryophylli in cibis vsurpati: decoctum radicis eryngij, buglossi, & melissæ: conserua rorismarini: zedoaria commansa. *Cardiaca.*

Mammarum affectus. *Cap.* 44.

Dolor mammarum.

DOlor mammarum tollitur si caput illarum balsamo illinatur. Item, si vermes de nuce triti illis apponantur: si emplastrētur cum semine hyoscyami cocto in vino ac trito: si foueantur spongia magna madefacta in vino decoctionis pentaphylli.

Macer. folia euulę & marrubij cū axūgia emplastrata dolorem ac duritiem mammarum curat. idem facit mentha in formam emplastri admota. Cataplasma quoque ex farina fabarum adiectis vitellis ouorum, & axungia.

Item, Thus cū cymolea & ol. ros. mixtū dolentibus mammis singulare remedium est. Diosc. fimus muris cum aqua illitus mammarum dolorem soluit.

Si doleant mammæ ob nimiam lactis plenitudinem repercute illud cum argilla & aceto, siue cum farina fabarum & albumine oui aut cū lētib⁹ in aqua coctis.

Mammarum inflammatio.

MAmmarum inflāmationem reprimunt cataplasmata ex terra cimolea, thure & oleo ros. additis malis cydoniis coctis; Item, ex nucibus iuglandibus

cum ruta, & exiguo melle tritis: Ex farinis hordei, fabarum coctis in oximelite: ex farina orizæ decocta ex oximelite: ex portulaca cõtusa: althea decocta: ex terra samia cum rosaceo: & aqua ex trifolio acetoso. Litus quoque ex vinaceis vuarũ cũ sale: ex oleo hyoscyamino: ex ouo gallinaceo crudo & rosaceo: ex aqua lẽticulæ palustris: ex oleo de fructu momordicæ: ex vnguento de oleo in mortario plumb. & pistillo plumbeo diu agitato.

Durities mammarum.

Duras mammas emolliunt corrigiola tusa cũ butyro recẽti: erysimum: erui farina emplastri modo imposita, vel etiam farina fabarum, & crobi cocta in oximelite: Si tamẽ durities ista secuta fuerit ad inflãmationem quæ nullis repercutientibus reprimi potuerit: In augmento apponatur ouum cum oleo ros. hoc siquidem tumorem omnẽque duritiem aufert. Vel mica panis confecti cum succo apij.

Con. Fimus bouis & fœnugræcum cum oleo ros. & melle temperata apponantur.

In statu, potẽtissimum semen lini cum melle confectum valet: radix caulium, mentha, farina fabarum omnia simul, vel singula adhibita lac dissoluũt & stringũt.

Ad tumorem curandum: maluas tritas cum oleo communi calidas appone.

Item, faba frixa cataplasmatis instar adhibita idem probè efficit, prohibens simul ne lac ad mammillas adfluat.

Cir. mel, cera, fimus columbinus simul mixta, impositáque inflatas mãmillas, & dolentes curant. nec sinunt eas nimium augeri. Tumorem quoque illarũ puluis marathri cum axungia & mentha curat. Simili modo fimus caprinus cum aceto & farina hordei confectus, & appositus miro modo prodest. Marrubium album cũ axungia recenti tritum, calidéq; emplastratum, tumores alióśque dolores sedat.

Furfur tritici cum vino coctum, ac superemplastratum duritiẽ vberum curat.

Mammæ rigentes à partu, exulceratæ, rimæ papillarum.

Mãmæ rigentes. MAmmis rigentibus admoueatur cataplasma ex furfure tritici, & foliis rutæ simul decoctis: ex foliis baccharis emplastratis: ex cãcris crudis tritis: ex marrubio cum vetere axungia trito. *Papillæ vlcer.* Exulceratæ illinantur vnguẽto ex oleo rosaceo in mortario plumbeo, pistillo plũbeo diutius agitato, & inspargantur farina apparinæ.

Rimæ papillarum illinantur cortice interiore sambuci albi cum adipe, & cera: oleo ex ouorũ luteis: pomata: apparinæ succo: amylo soluto in aqua rosarum.

Mammæ pendulæ & nimium crescentes.

ISaac. Testa ouorũ perdicis trita cum cera & cadmia mixta fractas & quasi cadentes mammas erigit: epimedium admotũ ac illitũ. Ne nimium crescãt tegantur cataplasmate ex cicuta cõtrita, foueãtur succo Cicutæ, aut aqua è nucibus pineis immaturis, destillata & cũ linteolis imposita: vel aqua stillatitia alchimillæ ceu stellariæ: vel succo aut decocto earũdem herbarum, admistis hypocistide, equiseto, rosis & alumine. *Cicutæ.*

Abscessus, vlcera, fistulæ mammarum.

ABscessibus mammarum confert cataplasma ex intestinis terræ cũ polenta tritis, vel ex foliis lapathi cũ adipe porcino simul coctis. Vlceribus mãmarum, prodest ad ea detergenda vnguẽtum paratũ ex septem luteis ouorũ, & mellis dispumati lib. semis coctis simul in vini nigri lib. vna semis, lento igne cũ assidua agitatione spatulę: aut aliud vnguẽtũ ex melle rosato colato & terebinthina lota *Mamm abscessus. Vlcera*

cũ vino albo cuiusque semũcia, & duabus vnciis olei rosacei ebullitis simul vnica ebullitione: Itẽ, puluis ad ea ducẽda ad cicatricẽ, ex cupressi conibus, cassia lignea, gallis, cuiusq; vnciis duabus, aloë & thure cuiusq; vncia vna, & tribus vnciis lithargiri, qui puluis prius maceretur per tres dies in vino claro, deinde bulliat in eodẽ vino ad mellis crassitiem.

Fistula. Fistulæ mammarum medetur vnguentum de assa fœtida: lotio ex vino, in quo myrrha bullierit: vnguentum linamentis illitum, quod recipit sarcocollæ & aloës cuiusque drach. 3. cum melle.

Cancer & morbus pilaris, & Necrosis mammarum.

Mammi cancer. CAncrum mitigat succus cancrorum fluuialium, pistorum illitus per se, vel cum rosaceo: stercus caprinum cum melle: folia oliuæ trita cum melle: stercus hominis combustum, & inspersum: Cinis de capite canis combusto: folia brassicæ cruda trita bis in die apposita: Lamina plumbea admota: Pentaphyllum cum adipe suis pistum: chærefolium cum melle tritum superpositum: caricæ cum adipe recenti pistæ: vnguentum Arabicum.

Si vlceratus fuerit cancer confert puluis ex antimonio, vel etiam aqua alumnosa, aut etiam sublimata.

Pilari morbo, (qui à pilo in poculis hausto oritur, doloréq; excitat vehemétẽ qui nunquã sedatur donec pilus, vel pressus exeat sponte vel cum lacte exugatur) medetur cancer fluuialis aut marinus pistus & admotus: aut carnes muricum ceu conchyliorum illitæ. *Pilari. morbu.*

Ne corrumpuntur mammę admonendum malagma ex boli armenę drachmis duabus, caphurę granis quatuor cum aquato oui. *Necro*

Thrombosis siue lactis grumescentia.

Foueantur mammæ spongia imbuta oxicrato, aut succo apij: vel tegantur cataplasmate ex farina fabarũ & lentiũ, aut ex furfuribus coctis in aceto: vel emplastro ex ammoniaco, assa fœtida, cum cera: vel ex mentha aut apio recenti, vini fæce cum aceto. Consulit Diosc. Vt singulis diebus manè deuorentur cæræ albę grana decem *Lac co cretum*

Lac inclusum euacuat axungia cirogrilli illita mammillis, aperiendo scilicet & soluendo.

Nimia lactis abundantia, aut eius defectus in mammis.

Lac abũdans. VT lac paulo exuperantius minuatur, secãda vena poplitis aut maleoli, ad diuersionẽ: admouẽdę cucurbitulæ inguinibus aut coxis: inedia sustinenda: mãmis admouẽda repellẽtia ex pulticula farinæ fabarum in aceto decoctæ: ex mentha, cicuta, vinca peruinca, plantagine solano, lapatho maiore, tritis simul aut seorsim: cucurbitæ folia recẽtia aut radix chelidoniæ decocta & cõtrita apponẽda papillis: eisdem ampullæ in aqua calfactæ appendendæ.

Lactis defectus. Vt lactis vbertas suggeratur, fricentur sæpe mãmæ, exugantur: Fotu calido ac humido foueantur: cucurbitulæ leues ad radices earum admoueantur vt tãdem ad eas lac attrahatur.

Interea indulgendum cibis ac potibus lactis copiam generantibus, qualia sunt ptisana hordeacea cum fœniculi semine cocta: viticis seminis, maluę, comarũ anethi, Nigellæ, anisi decoctũ potãdum: sonchi succus hauriendus: brioniæ succus cũ tritico coctus sumẽdus, sed cũ prudentia.

Cinis vngularũ asini aut vaccæ potãdus ex ptisana: cicerum decoctum. Brassica

cocta & longo pipere aspersa, vnà cum iure deuoranda: radicis cardui benedicti puluis, addito fœniculi semine & lōgi piperis momēto ex prisana hauriēdus. Cristallum in puluerē tenuissimū potandum: galactites pro amuleto adalligandus.

Ventriculi affectus Cap. 45.

Ventriculi dolor, ardor, erosio, inflammatio.

Morsus vētriculi

DOlor ceu morsus oris vētriculi curatur primū aloë aut puluere hyeræ, aut mastiche pota aut deuorata: deinde sumpto pane in vino austero aut succo mali punici macerato: fotu ventriculi ex decocto absynthij, menthæ, ciperi, origani, calamenthi, zinziberis: litu eiusdem cum oleo laurino, nardino, mastichino, nucis mosch. Ardor lenitur sūpta pulpa cassiæ solutinę, aëris frigidi admissione, vētilatione, faciei aspersione ex spongia posca frigida imbuta: sumptione per os cremoris lactei seminis, melopeponū, baccarū vuæ spinæ, crispini, rubi vulgaris, aquæ stillatitiæ lenticulæ palustris: succi liquiritię, succi intyborū: succorū aurengiorū, limonū, granatorū, citriorū: litibus inunctis ventriculo & dorso. circa

Ardor vētric.

vndecimam spinæ vertebram ex succis vmbilici veneris, granatorũ: ex soncho, aut portulaca, aut polygonio, aut solano hortẽsi, aut foliis vitis viniferæ, & capreolis, aut foliis labruscæ.

Erosio ventr. Erosio ventriculi sedatur oleo amygd. dulcium aut sesanino poto: pineis nucleis melle aut saccharo exceptis, & cum succo portulacæ haustis: Sycomori succo poto: lacte humano hausto: sonchi succo bibito. *Inflammatio ventr.* Ventriculi inflammatio temperatur succis limonum, granatorum citriorũ oxalidis minutæ, syrupo de papauere, de Nymphea, oxisacchara simpl. pulpa cass. fist. lentis palustris aqua stillãtitia, & santalis sumptis.

Litus quoque ex portul. poligoni foliis, & capreolis, vitis viniferę, floribus consolidæ regalis, violæ purpureæ cum polẽta illitæ. Item, litu olei ros. vnguenti ros. olei Nympheæ, & de pap auere.

Gulæ ceu Oesophagi affectus. Cap. 46.

GVla via est cibi & potus ad vẽtriculum, instrumentumque deglutionis: hęc, si vel imbecillitate, vel obstructione, vel resolutione, vel inflammatione, vel vlcere afficiatur impeditur deglutitio.

Has

Hac laborante cataplasmata spinæ apponenda, siquidem spinæ gula superiacet per collum & pectus vsque ad ventrem, porrecta, habetque consensum cum spinali medulla: sumenda verò quæ crassa, lenta, viscosa sunt vel lentis permista, vt in transitu adhæreāt, quæ sępissimè lambendo sumuntur: si nil deglutiri possit admonenda statim cucurbitula collo, ad secundam vertebram, hinc enim meatus fiet patentior.

In ore contineatur lac calybeatum pillulæ hypoglotides, elect. diatraganth. frigidi tabulati, vel ea quæ caussas euacuare possint.

Nausea, & vomitio. Cap. 47.

AQua decoctionis apij & ozymi nauseam & vomitum sistit.

Arthemisiæ radix, absynthij & fœniculi folia simul trita & cum melle tepido potui data tollit statim vomitum.

Mastich. cum albumine oui & aceto cōfectus furculæ ventriculi impositus vomitum sanat, & ventriculum roborat.

Plagulæ lineæ tres madefiant in aqua

menthæ, & expressæ iterum infundantur in albumine oui postea aspergatur puluis thuris & ponatur vnà super orificiũ stomachi, reliquæ duæ ad pulsus manuum alligentur, sedat singultum & vomitum: & est experimentum certum.

Cuminum bulliat in aceto, & acetũ bibatur, cuminum verò edatur. Mastiches, cumini, baccarum lauri æquales partes, succo lauri exceptæ, & cum stupa stomacho impositæ, mirabiliter singultũ & vomitum sedant, & stomachum roborant.

Thus & succus menthæ cum aceto bulliant, & super furculam pectoris imponãtur idem præstant. Absynthij succus cum melle vel saccharo coctus, & sumptus, ad idem valet. Succus malorum granatorum aut cydoniorum, aut berberis, aut myrti aut aqua stillat. Cinnamomi.

Interior follicul⁹ vẽtriculi gallinaceorũ siccus tritusque ac cum vino potus.

Poma austera cineribus incocta, deuorata. Cydoniorum pomorum vinũ, oleũ, caro, confectio, miua, eorũdem succus in quo efferbuerint corallium, rosarum semen, rhabarbarum, hypocistis, acacia: mespilorum siccorum puluis rosarum rubrarum succo exceptis, additis corallo,

caryophyllis & nuce myristica.

Caryophylli ex vino austero, aut malorũ cydoniorum succo epoti: Iidem cum mastiche, rhoe, corallis, & balaustiis ventriculo illiti: menthæ Græcæ succus tam potus quam illitus: rosmarinum in puluerẽ redactum cum pane deuoratum, aut meraco potum. Lapis iapsis viridis, vel pectẽ aut lamina ex ebore super os ventriculi gestatus.

Singultus, ructus acidus.

SVccus menthæ cũ vino sumptus, valet frigido singultui: cum succo verò malorum granatorum acidorũ, vel cum succo acetositatis citri, cholerico singultui confert. Menthæ succus cum succo malorum punicorum haustus: cuminum erraticũ aceto potũ: aqua stillatitia cinnamomi pota: mumia hausta ex cumini aut apij decocto: rhabarbarum ex vino haustum: aqua stillatitia phyllitidis pota. *Singultus.*

Castoreum adalligatum cito singultum soluit: annulum ex sinistra manu in longissimum dextræ digitum transferre, singultum statim compescit.

Coriandrũ cochleari mensura exhibitũ cohibet ructum acidum: Item, agaricus *Ructus acidus.*

drachmæ pondere potus: Tragoriganum potum: carui conditum sumptum.

Lac aut sanguis in ventre concretus.

Acetum simplex & scyllinum potum dissoluit: ad idem, cera instar granorum milij sumitur: Coagulum cum vino vel aqua potum, succusque ebuli potus persanant; consolidæ mediæ, aut auriculæ muris succus epotus: aqua stillatitia radicis cyclaminis senis vnciis pota cum sacchari vncia vna: ficulnei cineris lixiuium epotum.

Sanguisugæ epotæ.

SAnguisugis œsophago adhærentibus medentur acetum deglutitum, gargarisma ex assa & aceto: aliud, ex butyro cum aceto, succus ebuli vel salicis potus: alliũ cõmausum eas extrahit, vt ait Auic.

Aurum, aut æs, aut ferrum, aut acicula deglutita.

AD aurum, æs, ferrum deglutitum: maluæ, aut seminis lini succus multus in potu exhibitus intestinorum obortam asperitatem lenit & labi facit deglutitum: Item, ea quæ fortiter purgãt pharmaca.

Aciculam deuoratam & adhuc in œſophago oberrantem deturbat cruſtula panis deuorata aut ſorbitinucula ex iuſculo pingui cum pane ſecalino craſſius inciſo affatim hauſta: Quæ vbi ad ventriculum deturbata fuerit perſeuerandum erit in iuſculis illis pinguibus ſorbendis aut butyro multo: & corpus nullomodo hinc inde inflectendum, ne inæquali motu in inteſtinis alicubi infigatur acicula: ſed rectà moderatè inambulandum, quo cum excrementis procliuius ad inteſtina feratur.

Appetentia deiecta aut deprauata.

Piper comeſtum: acetum aut omphacium in obſoniis additum: vinum abſinthites potum: creſpini baccę, vua ſpina, ribes vulgaris, ſinapiſmū: hæc omnia appetentiam deiectā reſtituunt: conſulit hipp. laborem ante cibum, aquæ potum, & vigilias.

Deprauatam appetentiam curant aloë aut hyera ſumpta, vinum abſynthites: aëtites in brachio adalligatus, aut ſapphyrus, hyacinthus, iaſpis, adamas geſtatus.

Fames canina.

GLirium pinguium caro assa deuorata: iuscula pinguia: panis oleo inebriatus, aut musto, vel vino dulci crasso: vel ex hip. consilio vini meri potio ieiuno stomacho: oryza cum multo lacte pręparata: Pulticula triticea: caudę, pedes & extremitates animalium.

Sitis inexplebilis.

SOmnus, silentium, auræ frigidę inspiratio, potus vini dilutissimi potius quã aquæ puræ, acetum aqua plurima dilutũ: Crespini baccæ, vua spina, ribes vulgaris, mala citria, limonia, aurãtia, pyra: melopeponum semium lacteus cremor, anguriæ pulpa, radix liquiritiæ & eius succus, trifolium acetosum, fraga matura deuorata, vinum granatorum ex aqua intybi aut decocto hordei potum: portulacæ folia linguæ subdita: crystallus, acates, alectorius, hyacynthus, auri aut argenti lamina ore detenta.

Coctio imbecilla.

IVuant coctionẽ vinũ absynthite: piperi & zingiberis vsus: drachma vna ra-

dicis acori & cinnamomi ex vino absynthite: aqua stillatitia cinnamomi, caryophylli, nux moschata, citria condita, iuglandes conditę, pyrum vel cydonium cineribus tostũ & deuoratum: Ladanum drachmæ pondere duabus horis à cœna deuoratum: Litus ex oleis de absynthio, de mẽtha, de mastiche, de cydoniis: fotus ex decocto absynthij, menthę, origani, maior salu. calamenthi, rosarum siccarum pulegij.

Cholera morbus.

QVæ efferuntur statim cohibenda non sunt imo si natura vomitu se expurgare contendat, iuuanda est potu aquæ egelidæ addito tantillo syrupi acetosi, aut aceti aut oxymellitis: Eadẽ ratione, si materia serosa aut biliosa, aut corrupta & maligna fuerit, quæ ad intestina repit, purgari debet clysmis mollibus, aut cathartico elementi, qualia sunt rhab. aut mirobalani. Vbi materia maiori ex parte euacuata fuerit, quod in viginti quatuor horis plærunque euenit, ventriculum roborare licebit tum sumptis tum admotis. Assumuntur autem con-

ſerua roſarum, cydoniorum vinum, miua, confectio, myrobalani emblici: Galanga ex ſucco plantag. aqua ſtillatitia cinnamomi: muſci arboris dilutum in vino auſtero paratum, hauſtum: conſerua florum mali punici ex vino auſteriuſculo potum: meſpila, ſorba, pyra ſylueſtria, pruna ſylueſtria, nux myriſtica, mora immatura: Oryza prius torrefacta & in lacte in quo calculi extincti fuerint decocta in cibũ ſumpta: Caryophylli ex vino aut malorum cydoniorum ſucco hauſti: mentha ſicca cum amylo & aqua pota: roſmarini puluis cũ pane deuoratus aut ex mero hauſtus: vinum punicorũ epotum: Cochleæ duæ vnà cum teſtis tritæ & ouis gallinaceis totidem exceptæ ex vino paſſo & aqua prius calefactę potæ. anguium ſenecta roſaceo incocta & impoſita: Oleum cydon. maſtich. myrtinum illitum: Emplaſtrum de cruſta panis admotum.

Iecoris affectus. Cap. 48.

Iecoris obſtructio.

SI obſtructũ ſit hepar à frigida cauſſa ſumenda per os aqua ſtillatitia cinnamomi, decoctum rad. aſari, rubiæ tin-

ctorum, acori, gentianæ, eryngij, eupatorij, cicerum rub. & nigrorum, lupinorum, miliisolis, cichorij totius, ciclamini radicis, radicis centaurij magni, veronicæ maris, radicis imperatoriæ, angelicæ, florum lupulorum, corticum frangulæ: Item, ſuccus rad. rubiæ tinctorum, aut gentianæ, aut iridis, aut ciclaminis, aut roſarum recentium, aut eryngij, aut centaurij minoris: Item, ſennæ decoctũ aut dilutum: Item, puluis lumbricorum terreſtrium in vino prius multoties lotorum deinde exſiccatorum: Admonendum hepati poſt litũ cũ oleo communi, butyro recenti, axungia anſeris, gallinæ & cirogrilli ſimul mixtis, emplaſtrum de cera, pice nauali & butyro, inſperſo prius puluere ex ſaluia ſicca, ſatureia, cinnamomo, ſemine milij ſolis, marathri, fimo caprino.

Si à cauſſa calida, ſumendum per os decoctum cichorij totius, endiuiæ, plantag. Oxalidis minutæ, acetoſæ, oxilapathi, ceterach, pimpinellæ, ſcolopendriæ, fumiterræ, radicum graminis, acetoſæ: & hepar illinendum oleis de abſynthio, violaceo aut vnguento ſandalino addito aceto.

Vtrique caussæ conueniunt puluis lumbricorum terrestrium supra commemoratus: Item, decoctum corticum frangulæ hoc modo paratum: sume corticem frangulæ arboris, eupatorium commune, absynthium ponticum, agrimoniam, cuscutam, lupulum: fœniculi, apij, & vtriusque intybi radices: & omnia hæc in aqua decoque, cuius decocti cinnamomo aromatisati sume vncias quatuor singulis matutinis.

Iecoris inflãmatio, dolor, durities refrigeratio.

AD iecoris inflammationem sumẽda per os aqua cich. acetosæ: lacteus cremor seminis melopeponum, aut papaueris albi: succus granatorũ, plantaginis: Cassia solutina cum iusculo refrigerante: Admouenda vero decoctum vel epithema ex aquis rosarum, endiuiæ, cichorij cum tantillo aceti & santalis: vel illinendum oleum de absynthio, violaceum, chamæmellinum.

Dolor. Dolor demulcetur litu ex oleo florum ireos, laurino, anethino, amygdalino: & decocto eupatorij vulgaris, aut eius succo hausto: vel decocto acori, aut semine peryclimeni poto.

Durities emollitur ammoniaco tũ sumpto tum admoto, & his quę de eius scyrrho dicentur.

Refrigeratum hepar calfiet, rhab. trito & cum vuis passis deuorato, oxymellite acori poto, aqua stillatitia cinnamomi, caryophyllis sumptis.

Morbus regius.

RHabarb. agaricus, aloë, sena, sumenda in potionibus: Item, decocta radicum iridis, asari, Oxylap. cichorij, asphodeli, centaurij magni & min. carduorum, eryngij, vnicetoxici: florum lupulorum corticum frangulæ, seminis milij solis, napi, cicerum rub. & nigrorum, chamedrys, chamepytis, chrythmi, fœniculi erratici, adianthi, ceterach, scolopendriæ, betonicę, cuscutæ, pilosellæ.

Item, castoris anteriores dentes in poculo contenti, è quo vinum biberit ictericus: Terrenorũ lumbricorũ cinis ex absynthij decocto potus: Erucæ syluestris tria folia læua manu decerpta illicoque deuorata: Chelidonium maius in calceis subeundis pedibus gestatum.

Rasura eboris, succus Hepaticæ, crocus

Orientalis cuiusque drachma vna, sapo gallicus instar castaneæ includantur omnia simul in panno lineo, eaque tam diu agitentur donec vis eorum tota in aqua remanserit: ægrotus inscius bibat huius aquæ cochleare vnum singulis matut. Idem pręstat crocus dissolutus in aqua& potus: Arsenici granum vnum cum aqua sumptum mire curat icerum: Commendatur à Galeno puluis ex aloë, myrrha & croco. Item radix anchusa puluerata ad duo cochlearia pota: Sulphur cum ouo sumptum: fimus capræ syluestris cum succo eupatorij potus per tres dies: Item, semen solatri vel puluis foliorum eius in vmbra siccatorum ictericos per vrinam purgat: vrina patientis cum succo marrubij hausta: Puluis cornu cerui combusti potus: Halicacabi fructus comestus: succus visci albæ spinæ foliorum; flos carthami pulueratus & cum vino albo potus.

Iecoris scyrrhus.

Conserua florum sambuci ex sero caprino sumpta mane: Oxymel vel acetum scylliticum potum: decoctum

acori, centaurij min. & corticum radicum frangulæ: Item ea quæ ad eius obstructionem & morbum regium valere dicta sunt, & quæ dicentur ad Icerum nigrum. foris vero admouẽda hepati emplastrum diachylon, ceratum œsipi aut filagrij, ammoniacum & galsanum in aceto sambucino dissoluta: vel emplastrum ex oleis de fisticis, nardino, de absynthio & cera confectum.

Cachexia ceu malus corporis habitus.

SVmenda frequenter decoctio radicis acori, corticis radicis tamarisci & fraxini, cichorij, absynthij ponti comarum, radicis imperatoriæ, eupatorij vulgaris, betonicæ, pilosellæ, florum sambuci, genistæ, baccharum alkekangi, ceterach: Item, aqua stillatitia cinnamomi: iecur leporinum arefactum & potioni infrictum: conserua comarum absynthij pontici cum multo saccharo parata: Puluis è chalibe pręparata, aut è scoria ferri itidem pręparata, vel è radicibus radicum capparorum, tamarisci, rubiæ maioris. nuce mosch. cinnamomo & caryophyllis, sumendus mane cum vino albo aqua cichorij diluto.

Hydrops.

HYdrops cuius caussa calida est curatur vitato vsu excalfacientium, immodico exercitio, & frequenti potu decoctionis endiuiæ: Confert quoque hîc emplastrum de vtraque plantag. aceto & farina hordei. Item, linimentum ex oleo rosac. santalis omnibus & semine plantag. Hoc quoque electuarium frequenter vsurpatum: Rec. santal. omnium an. drac. 2. cum semisse, spodij, rasuræ ebor. an. drac. 1. cum semisse seminis endiuiæ & portul drachmæ semiss. cum sacch. dissol. in aqua end. fiat elect. hoc (nisi substantia hepatis omnino resoluta sit) haut dubie curat hydropen.

Ad hydropen cuius caussa frigida est, conferunt hæc: singulis matutinis sumatur cochlear vnum vrinæ capræ vel ouis nigræ cui incocta sit spica nardi. vel sanguis capræ pari mensura: vel succus rorastri & vitis albæ cum melle vel aqua decoctionis rorastris: vel decoctum cort. rad. sambuci aut cucumeris asinini, aut staphisagriæ: vel vrina propria vel vrina leporis: vel adeps delphini marini li-

quefactus cum vino: vel puluis magnetis cum lacte: vel sinapi decoctum cum vino: vel decoctum asari, aut cicerum rub. rad. ebuli, chamedrys, polij vtriusque, seminis agni casti, rad. cyperi, vitis syluestris, seminis fraxini, seminis napi, brassicæ marinæ, radicis asphodeli, radicis gentianæ & centaurij, radicis carduorum, eryngij, radicis imperatoriæ, radicis vnicetoxici, seminis ricini, corticum radicum frangulæ: Colocynthidis, potissimum vero in clytere, turpethi, elaterij, sed his tribus non vtendum nisi pauca quantitate & maxima cum cautione.

Præter hæc succus radicis iridis crudæ, radices iridis conditæ, pilulę siue electuarium de succo iridis quale hoc est: Rec. succi radicum iridis drachm. 3. Galangę, zedoarię. an. drachm. 2. cinnamomi, caryoph. an. sesquidrachmã brassicæ marinę semunciã, cum melle suffic. fiat elect. cuius semuncia singulis matut. deuoranda: Item, puluis radicum cyperi & baccarum lauri cum vino albo sumptus: Aqua stillatitia cinnamomi: Aqua stillatitia sambuci aut ebuli radicum, cuiusque ad tres vncias sumpta mane per spaciũ dierũ triginta. Cõserua absynthij

pontici deuorata singulis matut. lixiuiũ ex vino albo & cinere iuniperino haustum: Semen fraxini, officula acinorum syluestris mali punici trita & cum vino epota: Aqua stillatitia humani stercoris: Cyclamini succus, aut bryonię, aut corticis sambuci, aut radicis ebuli, aut cucumeris asinini potus: sagapenũ, euphorbium, semen ricini ex lacte caprino maceratum potum.

Raphanus emplastri modo impositus vel bulbi cum melle & trito pipere: Hyssopum, ruta, semen sinapis, nasturtij, radix bryoniæ, cum nitro, & stercore bubulo & caprillo in formam emplastri imposita.

Arena è littoribus sole feruefacta capite tenus hydropici obruta.

Fluxus hepaticus.

AQua stillatitia foliorum tenellorum quercus pota.

Lupinum iecur siccum in puluerem redactum sumptum.

Rhabarbarum pulueratum cum conserua rosſ. propinatum.

Syrupus aut iulep. aut decoctio stercoris

ris asini in aqua rosarum & plantag. præparata.

Lienis affectus. Cap. 49.

Lien inflammatus, obstructus, dolens, refrigeratus, induratus.

SEd lienis inflammationem, iuuat cassia frequenter deuorata: Succus baccarum crespini, è rosarum recē. lacteus cremor seminum melopeponum: decoctū radicum fragariæ epotum: Conserua florum cichorij: radices cichorij conditæ: flores consolidę regalis poti.

Litus quoque ex oleis violato, rosato, cydoniorum, chamæmelino addito tantillo aceti.

Obstructo lieni confert rhab. agaricus, sena in infusione exhibita: Ammoniacum ad duos scriptulos singulis matutinis datum in formam pilularum: Electarium de limatura ferri aut chalybis pręparati cum puluere diacucurmæ: Opiata confecta ex duabus vnciis fructus tamarisci vncia vna cinnamomi, semuncia spicæ nardi cum oxymelite. Decoctū radicum asari, cicerum rub. lupinorum, gentianæ, euulę cāp. centaurij min. eryn-

gij, veronicæ maris, radicis imperatoriæ, phyllitidis, eupatorij, vulgaris, florum lupul. radicum & foliorum fragariæ, cuscutæ, frangulæ, adianthi, ceterach.

Litus quoque ex oleis laurino, amygdalarum amararum, de capparibus, cnicino, sesamino: emplastra diachyli ireati, de mucilag. additis ammoniaco, bdellio & serapino.

Dolenti liene si credamus Arnaldo prodest prius dextrũ pedem quam sinistrum calceare caligas, aut calceum & prius sinistrum quam dextrum exuere; Prosunt quoque trochisci de capparibus frequenter sumpti: Item, litus ex oleo irino ex floribus iridis parato, oleo laurino, & liliorum alborum.

Refrigeratum lienem excalfaciunt oxymel acori: cubebæ, aqua stillaritia cinnamomi, radix imperatoriæ aut angelicæ deuorata, rosmarinus cum pane ingestus.

Litus ex oleo amygd. amararum, laurino, ex balsamo factitio.

Induratum lienem emolliunt terebinthina deuorata, decoctum myricæ, ciclamini, radicum capp. centaurij min. phyllitidis, ceterach, florum genistæ,

radicis enulæ campanæ: Oxymel è floribus genistæ paratum: Conserua florum genistæ: decoctum chamedrys, chamepitys & ceterach. Sycomori succus haustus.

Litus ex oleis amygd sesamino, liliorum alborum, emplastrum ex sterculo bubulo, caprillo, radice bryoniæ & raphani cocta sub cineribus additis ficubus, semine sinapis, nasturtij & agni casti.

Lienis tumor.

A Liene tumefacto lienosi ac splenici fiunt, tumet autem lien vt plurimum à scyrrho aut scyrrhum minante tumore cui lien maxime obnoxius est, tum ob carnis sue viscosam substantiam tum ob lentorem ac crassitiem excrementi melancholici cuius receptaculum est: Ergo vt lien de tumescere possit, expurgandus ac exonerandus ea humoris melancholici saburra qua plurimum oprimitur ac obstruitur.

In eam rem sumi commode possunt per os vinum decoctionis corticum fraxini, post cuius vsum satis longum illi-

natur lien vnguento de althea vel oleo laurino, cui super ponatur emplastrũ de fimo caprino pistato cum forti aceto, idq; sæpius fiat donec percuratus fuerit: Secanda vero prius saluatella interior.

Item, lingua ceruina cum vino pota per dies 30. lienem exficcando extenuat: Et radix eius puluerata cum vino tenui per triduum in potu exhibitum decrescente luna mire valet: Item, vinum decoctionis corticum salicis duritiem splenis liquefacit, idem præstat (inquit DIOSCOR.) agrimonia in cibis, sicut pulegium etiam cum sale tritum ac appositum: Vel cortex salicis cum sola axũgia coctus admotus.

Decoctio iridis illyricæ, acori, myricę, seminis viticis, cyclamini, chamedrys, polij vtriusque, rad. capp. foliorum tenellorum hederę, rad. smyrnij, gentianæ, aristolochię rot. teuchrij, ceterach, radicis polemonij, rad. filicis, rad. euulę cãp. corticis rad. fraxini, phyllitidis, cuscutæ, vulgaris eupatorij, corticum rad. frangulæ.

Item, succus quarundam herbarum prædictarum cum aceto squillitico expressus aut cum vino: Vt enim tum decoctio tum succus vim maiorem pene-

trandi obtineat, debet vtrunque parari cum aceto aut cum vino albo aut tenui: Item, aqua vel vinum in quibus chalybs aut ferrum restinctum fuerit in potu: Terebinthina resina sæpe deuorata: corallium frequenter in aqua aut vino albo epotum: Cotis naxiæ delimata à ferro scobes ex aceto ebibita: Sagapenum aut ammoniacum epotum.

Admota vero non minimas hic vires obtinent qualia sunt cataplasmata ex radicibus acori, cyclamini, iridis, bryoniæ, gentianæ, aristol. rot. leucoij, enulæ cāp. asari, semine sinapis, nasturtij, agni casti, smyrnij, erucæ, bunij, periclymeni: foliorum rutæ, lauandulę, hederæ, pulegij, hyssopi, vrticę vtriusque, viticularum primarum vitis nigræ, menthæ græcæ: florum genistæ, chamamilæ, meliloti, summitatum anethi omnibus decoctis ad putrilaginem in aqua & aceto sambucino, deinde transmissis per setaceum, addendo sagapenum, ammoniacum, bdellium: Vel radix bryoniæ decoquatur ad putrilaginem sub cineribus & addita ficu fiat velut cataplasma: Vel radix oxylapati decoquatur in forti aceto eaque pista admouea-

tur: Idem ex foliis hederę poteris efficere.

Splen capræ si ligetur per diem vnum super splenem infirmi, & altero die ad furnum vel solem suspendatur, quantum ibi exiccabitur, tantum quoque splen patientis diminuetur.

Macer. decoctio corticis radicis sambuci ad tertias pota per dies 30. nullum habet par remedium: Item, pulmo vulpis super prunas exiccatus pulueriſetur, & potui detur: Sed ęger hoc remedio vtens amplius masculos non generabit: Auicennas consulit vt patiens propriam vrinam bibat, & spleni admoueatur emplastrum de fimo caprino cum puluere foliorum marrubij albi & rutæ, additis ammoniaco & bdellio solutis in vino & pauco aceto.

Gilber. stercus vaccæ siccum, brassica, ouum, oleum opt. sulphur misceantur, fiat emplastrum, quod merito pro secreto habendum est.

Lienosis proficit potus datus in calice è caudice tamarisci, vel hederæ, vel fraxini: Rec. fermenti soluti in aceto semunciam, ammon. bdel. caricarum. an. vnciam vnam, foliorum rutæ, fructus

tamarisci baurac. an. drachmam vnam fiat emplastrum, mirabile est in lienosis.

Lienosos infra triduum liberant hederæ nigræ tres taleolæ in linteo ligatæ filo, in amuleti modum appensæ: Lacerta viridis clauo appensa ante cubiculum in quo æger decumbit.

Intestinorum affectus. *Cap. 50.*

Colicus dolor.

QVoniam doloris colici caussa insidet in intestinis vt pote vel flatus, vel acris quispiam humor, aut vitrea quædam pituita tunicis intestinorum adhærens, ideo dolor hic clysteribus potissimum leniendus venit.

Clysteres ergo parentur ex decocto rutæ, seminibus carminatiuis, semine ricini, carthami, brassicæ, floribus verbasci, chamamil. mellilori, summitatibus anethi, colocynthide: in quo colato dissoluatur succus cyclamini, oleum ricinum, aut amygdalinum, aut cnicinum, aut laurinũ, aut oleum nucleorum

persicorũ, aut oleum nucum, aut de scorpionibus: Item, sagapenum, mithridatium, theriaca: oleum hederæ terrest.

Per os vero multa vtiliter possunt sumi, vt cochleæ terrestres cum suo putamine tusæ addita pauca myrrha ex vino potæ: Alauda auis tosta in cibis sumpta: suillus talus crematus ad albedinem vsque potus vbi flatus excruciet: Gallinæ fimum cum vino haustum: Galanga: cubebę: aqua stillatitia cinnamomi: Succinum ex tepenti aqua epotum: oleum nucleorum persicorum potum: Oleum amygdalinũ oleum in quo hederę terrestris folia diu ęstate insolata fuerint, potum cnicinum oleum: aqua in qua cerui genitale elotum fuerit epota: Cornua tenerrima ceruorum in taleolis concisa, siccaque & in puluerem trita & cum pipere ac myrrha hausta: Lupinum fimum quod terram non attigerit ex vino albo vel aqua potum, & forinsecus ventri aligatum.

Brassicæ semen crassiuscule coutusum & in carnium iure feruefactũ, potumque vna cum ipso iure: Ius decoctæ brassicæ cum vetere gallo epotum: Radix imperatoria ex vino meraco epota: Trinitatis

herba pulueraia & hausta: Ricini semen ex iure veteris galli decoctũ & haustum: momordicæ puluis haustus: Gagates lapis pulueratus drachmæ pondere diebus septem epotus: Gallinę fimum cum aceto vel vino haustus: nonnulli felici successu propinant pilulas tres de auratas ex granis duobus præcipitati & scriptulo vuo diacymini statim à leui cibo, aiuntque statim morbosum humorem vomitu vel deiectione purgari: Item, rec. cymini pulverati drachmas duas, ex vino sumat: Rec. intestini lupi pulverati drachmas duas, cornu cerui drac. vnam, fimi lupi semidrachmam croci semiscriptulum fiat puluis: In desperato dolore succurrit album quod inest in fimo gallinaceo ex vino meraco potum: Salubriter datur pilula vna de cynoglosso, vel triphere magnæ cum opio: Membrana intersepiens nucis iuglandis nucleum puluerata, ex vino albo pota: Calcaneus brutorũ combustus: fimũ albũ lupi cũ saccharo sumptum. Vmbilicus infantis præcisus & in annulo gestatus ita vt carnem tangat: Corrigia ex pelle canis: Talus leporis suspensus vel ligatus ad ventrem: Corrigia de dorso lupi cincta: sedere super corium

lupi & eo stringere ventrem confert.

Admota foris hic plurimum prosunt qualis est litus ex oleo rutæ, anethi, chamamillæ: Vẽter anatis viuæ dolori appositus: Rana viua ventri adposita transfert ad se malum: Catuli lactantes admoti ventri trãsferunt in se malum & moriuntur si credamus Marcello: omasa vel pellis veruecis aut ouis recens mactatę vẽtri admota: Item, sacculi parati ex milio, furfure & sale in sartagine torrefactis: aut ex floribus chamamillę, meliloti, summitatibus anethi, & seminibus carminatiuis qui decocti in aqua & expressi admoueantur toti ventri.

Dolores intestinorum.

QVi dolor sentitur in intestinis, aut in omnibus: aut in crassis, maxime vero in colo intestino isque colicus dicitur: aut in tenuibus pręcipuè in ileo isque iliacus appellatur: De colici doloris remediis dictum est, dicendum de doloribus omnium intestinorum.

Is quidẽ iuuatur decocto radicum iridis illyricæ, acori, mei, cardamomi, agalloci, libanotidis, cẽtaurij mai. pæoniæ, dictamni, imperatorię, vnicetoxici, foliorũ

melissæ, maioranæ, rutæ, conizæ, summitatum anethi, florum chamamillæ, meliloti, seminum dauci, ferulæ, ammi, ligustici, cumini, seseleos, lini: eo quidem decocto vel sumpto per os vel infuso per clysterem: Sumi quoque in eam rẽ multa alia possunt, vt oleum oliuarum cum vino hyppocratico, aut amygdalarũ dulcium, aut laurinum: vel peucedani succus in vino potus: aut piper cum tenellis foliis lauri: aut persici nuclei deuorati: aut cochlearum elixarum ius epotum: aut dictamnum album ex meraco potum: aut aqua stillatitia trinitatis herbæ: aut puluis momordicæ potui data.

Foris admouenda nuces iuglãdes cum suo putamine perustæ & vmbilico admotæ: milium cum sale & anthimidis floribus mistum & calidum cum sacculis adhibitum: Chelidonium maius vnà cum radice tusum, & oleo chamæmeli feruefactum & vmbilico admotum.

Voluulus seu dolor iliacus.

HIc dolor tã vehemens est vt nisi prõptissime occurratur ducat ad præceps exitium: conandũ ergo vt tum flatus tum stercora infrà trahãtur per glãdes, enemata, illit⁹, fomẽta, per vesicas bubulas oleo

ſemiplenas: per irrigationes, & enchantiſmata ex calida cum oleo hybiſco, & rerum laxantium decoctione cataplaſmata, & per cucurbitulas inanes: & per potiones ex oleo de ſemine lini aut anethini: ad ileum iubet Hip. & eum ſecutus Amatus luſitanus folle immittere ventum per podicem, vt inteſtina obſtructa ampliora reddantur: mox detracto folle clyſterem iniicere, ac tandem in aqua calida ægrotantem deponere: nõnulli felici ſucceſſu grana duo præcipitati ſcriptulum vnum diacymini, grana quatuor philonij perſicę in formam pilularum propinarunt: alij clyſterem iniecerunt ex oleo ſolo de ſemine lini, aut de cherua: alij ex decocto catapuciæ in quo grana aliquot antimonij præparati miſcuerunt: alij toti ventri admouerũt cataplaſma laxatiuum ex fellib⁹ & cæteris huiuſcemodi catharticis quæ mox dicemus ad pigrã aluum.

Huc tamen repetere potes quæ de colico dolore dicta ſunt, præter quæ hæc addenda vulgaria quidem, ſed tamen vtiliſſima tum iliaco tum colico dolori.

Fimus putris (qui reperitur in ſtabulis iumentorum vbi plurimum mingũt) torrefactus cũ oleo ſimul frixo & appoſitus

statim dolorem quemcunque sedat.

Gal. stercus lupi præsertim recens cruribus aut pectini alligatum, cōfestim dolorem qualemcūque soluit, id quod multoties est probatum: si verò antiquum sit, in vino veteri dissoluatur Item, os quod inuenitur in lupi stercore, potum vel suppositum cum pelle ceruina, vel lana succida ouis à lupo interfectæ mirabile ad colicum dolorem, vel prædicta lana sine ferro euellatur & à duabus gemellis sororibus adhuc virginibus inde fascia texatur, quam si circa vētrem ligaueris, dolor ventris sursum non ascendet.

Pes lupi de collo suspensus. Item, puluis intestinorum lupi sumptus: vel stercora lupi, canis, columbę nigrę. an. puluerisentur, iisque pix & axūgia liquefacta commisceantur.

Gilbert. stercus columbinū tritum coctúmque & emplastratum colicum dolorem tollit: Item, sequens remedium quod plurimis profuisse multoties sumus experti: fimus hominis, muris, columbæ, capræ, gallinę. Item, calx viua & lilium simul puluerentur, & commixta cum succo cucumeris asinini, & oleo ceu axungia calida emplastrentur. mouendo enim

ventrem optime conferent. vel fiat statim balneum in quo ponantur quælibet stercora quæ poterunt haberi. mire siquidem flatus discutiunt.

Vel theriaca magna detur cum vino calido in quo caryophylli dissoluti sint.

Gal. in passion. Caro gallinæ vel galli veteris cum multo sale bene coquatur & per totam noctem sic maceretur in iusculo: hauriatur calidum mane.

Iusculum galli decrepiti flagellati cocti cum polipodio, carthamo, sale summitatibus anethi, si mane sorbeatur prodest plurimum: vel Rec. semunciam diaphenici, philonij grana 6. fiat bolus.

Allium cum modico pane sumptum. Si humor acris sit & tenuis qui dolorem committit detur theriaca cum soporiferis tum in potu tum in clystero: vel dentur sola soporifera: vel indatur suppositorium de castoreo & opio instar lupini.

Dysenteria.

DYsenteria non difficultas intestinorum, sed potius detrimentum est, quod eorum vlcus sit: hoc autem vlcus quoniã ab acri fluxione fit tunicas intestinorũ vellicãte, ea sistenda est acris

fluxio priusquam vlceri possit vlla adferri medela: sistitur potissimũ rheo in aqua rosarum ac arnoglossę infuso: item, decocto corticum myrobal. citrinorũ assatorum, in quibus medicamentis non solum vis inest expurgandi humoris fluxionem cõmittentis, sed & roborãdi partem excipientẽ & desiccandi eandẽ exulceratam.

Vbi fluxio acris constiterit aut saltem non longe abest quin consistat, cogitandũ quam diligenter fieri poterit de detergendo, obtundendo, & astringendo intestino vlcerato: in eam rem commodissimè clysteres iniici poterunt ex lacte chalybeato cum aliquot vitellis ouorum addito etiam succo plantag. depurato, & mucagine seminis psyllij extracta in aqua rosarum aut plantag. vel ex decocto pulli in aqua cisternæ elixi cum tragacantha, addito adipe caprilli & succo hippuris: vel ex decocto inuolucri palmæ, foliorum rhois nucleorum siccatorum malorum punicorum, castanearum & glandium interioris & tenuioris tunicæ. seminis myrti, portulacæ, plantag. in quo dissoluatur succus millefolij, succus equiseti, succus rhois, thus, bolus armena, sanguis cerui.

Interea per os ſumenda quæ vim non mediocrem aſtringendi habeant, inter quæ laudatur plurimum puluis ex foliis balſaminæ cũ aqua plantag. ex cochleari è potus: acutæ ſpinæ fruct⁹ deuoratus: leporinus ſanguis frixus deuoratus: ceruinum cornu vſtum hauſtum ad duo cochlearia: ſanguis hirci capræ, cerui in ſartagine frixus & in cibo ſumptus: Armenium lutum vnà cum corallio, maſtiche, cornu cerui & hæmatite lapide epotum. maſtiche epota cum aqua aut ſucco plãtag. ſuccini paſtilli hauſti: ſuccus vuarum creſpini potus: vua ſpina, ribes vulgaris: aquę ſtillatitię liguſtri florum, foliorum quercus, virgæ aureæ, aparinæ: punicum malum in furno toſtum tritúmque potui datum: conſerua florum malorum punicorum: myrteum condimentum: ceraſia auſtera ſaccharo condîta: cydoniorum malorum ſuccus in quo cõferbuerint corallium rub. ſemen roſarum rub. rhabarbarum, hypociſtis & acacia: mora immatura arida: cochleæ cum teſtis vſtæ admiſtis galla, omphacitide, & pipere albo & cibis inſperſæ, aut ex vino auſtero potæ leporina caro aſſa deuorata: leporinus ſanguis adhuc calens cum hordeacea fa-

rina

rina decoctus est deuoratus: leporinus fimus potus: cerui genitale ex vino austero sumptum: ouum gallinaceum in aceto coctum deuoratum: caninum stercus album ex lacte potũ in quo calculi igniti extincti fuerint: oryza in lacte cocta in quo calculi igniti extincti fuerint deuorata: putamen granorum milij oui vitello exceptum & probe decoctum sumptum: amylum in cibo vsurpatum: radices bistortæ, tormentillę, caryophyllatę in potionibus additæ: plantag. vtriusque semen ouo exceptum tegulísque inassatum deuoratum: tragacanthæ lachryma tosta & ex vino cydoniorum pota: conyzę mediæ puluis drachmæ pondere quotidie sumptus ex vino austero: puluis florum palmę Christi ex aqua plãtag. aut in qua ferrum ignitum extinctum fuerit, hausta: puluis foliorum canabis oui vitello exceptus deuoratus.

Pyrola, pylosella, fragaria ex vino austero pota: vinum punicorum malorum ex aqua plantag. haustum.

Armenia terra: corallium rub. in pollinem tritum, cristallum tenuissime tritum, & ięnigatum potui datum: amatus lusitanus probat pomum cydoniatum exca-

uatum cera repletum coctum sub cineribus & tandem deuoratum: Dioscorides quoque laudat ceram sumptam in sorbitionibus, & Pandectarius propinat decem pilulas è pura cera douorandas.

Fotus ventri vtiles sunt ex decocto rosarum transmarinarum, foliorum equiseti, plantag. bursæ pastoris, centinodiæ, rosarum: suffitus ad sedem facti ex terebinthina, vel ex fimo pulli asini, aut ex resina pini, vel ex corticibus pinearum, vel ex acri aceto super tegulam infuso.

Conueniunt potiones ferro caudenti vel auro calefactæ: lac sine sero datur quibus venter acrium excrementorum demorsu infestatur. Serum autem absumitur aut elixatione aut iniectis lapillis ignitis, aut ferreis orbiculis: aliud est lac schistum in quo segregatur serum à caseo addendo mediam partem aquæ ad lac, & coquendo ad medias.

Smaragdus appensus vel in ore retentus dysenteriam sanat, teste Auenzoar, qui etiam propinare iubet smaragdi puluerati grana sex cum aqua, octo vel decem horis ante cibum.

Diarrhœa.

HOc alui profluuium bonis aliquando fit ægri rebus dummodo non excedat, nec vim aliquam naturæ inferat: Sic enim celsus septē dies aluum fluere bonum, dummodo inde nulla consequatur: virium imbecillitas: per istud etenim expurgatur è corpore quod illi molestum erat qualecumque illud fuerit siue humores vitiosi, siue excremētitij, siue naturalia excrementa, siue vermes aut aliud quidpiam simile.

Sistendum ergo si qua inde noxa suboriatur corpori, & ita quidem sistendum vt quemadmodum de dysenteria dictum est, eius caussa expurgetur qualiscunque ea fuerit siue per aluum, siue per vrinas, siue per vomitum.

Vbi constiterit, incumbendum partium excipientium robori per astringentia: in quorum genere præter ea quæ in dysenteriæ curatione dicta sunt, hæc non postremas partes sibi vendicant, trocisci de spodio, trocisci de berberis, trocisci de balaustiis: lac caprinum aut bubulum coctum ita vt semper agitetur donec ad tertias consumatur: aut sane tertia aut

quarta pars aquæ fontanæ aut cœlesti miscenda est, & coqui debet ad medias, & hoc mo-do exhiberi.

In omni alui fluxu valet cydoniatum, si ante cibum sumatur: lac omne in quo igniti calculi marini extincti fuerint: hordeacea farina cum myrti baccis, aut pyris syluestribus, aut mallicorio: puls ex zea, auena, milio in cibum sumpta: oryza torrefacta in lacte chalybeato cocta & in cibum sumpta: arborei musci dilutum in vino paratum, potū: mespila, sorba, corna, pyra syluestria deuorata: potentilla pota aut viridis in calceis nudis pedibus supposita: vinum granatorum acidorum: thus aut mastiche pota: auellanarum putamina trita & ex vino austero pota: fragariæ folia, pulmonaria altera, lagopi folia, auellanarum putamina trita, & ex vino austero pota: lentis medulla: brassica bis aut ter cocta: mora rubi: carnes perdicis, turdi, turturis, alaudæ, phasidis, sturnæ & coturnicis: puls ex simila aut amylo: conserua de ribes, de berberis, rosarum siccarum, conserua symphyti.

Lienteria.

LIenteria non tam ab intestinorum vicio quam ab imbecillitate ventriculi cibos ingestos nullo modo coquentis nascitur: roborandus ergo præ cæteris ventriculus potissimum diluto musci arborei ex vino parato, conserua florum mali punici, nuce myristica, caryophyllis tostis, rhabarbaro tosto ex vino austero aut plantag. succo hausto, epoto coriandri semine ex aqua, myrteo condimento, putamine milij oui vitello excepto deinde inassato & deuorato, oryza torrefacta & in lacte decocta in quo igniti calculi extincti sint: zingibere tosto, aqua ferrata aut cocta cum mastiche, Armenia terra pota.

Cœliaca.

COEliacus affectus lienterico affinis, in hoc ab eo dissidet quòd in lienteria talis cibus redditur qualis assumptus est sine fœtore tamen, in cœliaca verò crudus quidem non tamen plane sed qui iam rudimentum quoddam coctionis est adeptus, quíque in ventriculo iam morã aliquam traxit, nec tam citò è ventriculo

descendit, sed tamen cum fœtore aliquãdo elabitur.

Huic conferũt galanga ex succo plantag. pota, mora immatura, aqua stillatitia cinnamomi, musci arborei dilutum in vino austero paratum: cydoniorum vinum & miua: cydoniatum: conserua florum mali punici: thus potum: sorba, mespila: anguium senecta rosaceo incocta & admota ventriculo: caryophylli ex vino aut malorum cydoniorũ succo hausti: oryza prius torrefacta & in lacte in quo calculi extincti fuerint decocta in cibũ sumpta.

Myrobolani conditi: dormiendum super ventrem, sorbenda iuscula ex lente, palumbi in aceto biscocti, perdices, turtures, phasides, assa aut frixa.

Diuturna aluiprofluuia.

HIc obseruandum nequid exhibeatur calidum, sed frigidum: roboretur ventriculus ac intestina cum myrobal. torrefactis sumptis cum aqua ros. aut decocto sumach: sumach enim tantã habere vim dicitur ad restringendam aluum, vt si planta illa teneatur suspensa in aliquo conclaui aluum constringat: rhabarbaro etiam eadem vis inest sed ad-

mirabilis lacti quoq; in quo serũ caprinũ incoctum fuerit: Itẽ, stercus canis ossa comedentis fortiter aluũ astringit, vehementer etiam theriaca potissimũ si recẽs fuerit: polenta de spelta idem præstata. Assetur papauer rubrũ, oryza, amylũ terantur, coquãtur in lacte vaccino aut caprino, addita axungia liquefacta renũ capræ, fiet pulmẽtũ mirabile ad astringẽdũ.

Cucurbitula cum multo igne ventri admota miraculose intra horas quatuor aluum sistit.

Comedatur panis de milio aut de spelta superbibendo aquæ rosarum aut arnogl. aliquantulum: caules ter aut in tribus aquis cocti, deinde in alia aqua cum multa pinguedine capræ vel mutonis, & foliis hyperici cocti ac tãdem colati plurimum astringunt.

Cineres ter cocti in aceto ad consumptionem vsque emplastrentur ante & retro: Item, Rec. mastich. thuris, opij hypocistidos, acaciæ an. his pulueratis adde vitellum oui fiat suppositorium instar digiti, & si vnum exiccatum fuerit, alterum indatur: adde si vis myrrham, albumen oui, & colophoniam.

Puluis e colophonia, balaust. acacia

suffitus per anum: Emplastrum ex bolo arm. hypocistide, acacia cum albumine oui, adde si vis puluerem rosarum & seminis coriandri.

Radix eryngij per tres dies madeat in aceto acerrimo, postea plantis pedum alligetur. mirabile in hoc affectu: Pyra cocta in aqua vel aceto emplastrentur: mẽbrana interior ac tenuis castaneæ pulueretur & sumatur cum vino austero rubro.

Gilb. Semen psyllij torrefactum tritum, & potum cum ouo sorbili: vel lauẽtur pedes in aqua psyllij vel salicis in qua fimus columbinus dissolutus sit.

Mumia, sanguis drac. thus, mastich. classa simul combusta hauriantur cum aqua foliorum quercus aut decocto corticum glandium.

Flos gypsi, nisi venenum esset, potus sistit potentissime: filtrum liuidum in vino calido submersum ano admotum idem præstat.

Gummi persicum, stipes caulium sub cineribus multum coctus & comestus: succus consolidæ mai. cum vino mixtus & super tegulam coctus: coagulum omne eodem modo præparatum & cum succo plantang. haustum: placentulæ ceu laga-

na admixta terebẽth. comesta, hæc enim infixam materiam ventriculo aut intestinis educunt secum vt crebro sum expertus: Hepar alicuius animalis coctum in aceto: puluis marmoris cum vitellis ouorum confectus & cum vino coctus: Puluis factus de ventre bouis in potu vel cibo datus miram vim habet constringendi: nec minorem febrifuga potui data: Sorba sicca puluerata cum melle & albumine oui in formam placentæ decocta dentur ieiuno stomacho, vel cruda exhibeantur in clystere.

Gallina vetula impleatur hypocistide, sumach & similibus astring. assetur ac comedantur carnes: Lac coctum ac mixtum cum omphacio potum.

Si profluuium sit à bile prassina vel æruginosa, dentur per tabellas pulueres margaritarum, & coralli, corallus enim frænum est fluxus cuiusuis.

Vel Rec. balaust. gallæ, psidiæ, acaciæ, sumach, croci orient. myrtillum. an. opij medietatẽ vnius, cum succo menthæ fiat pilulæ lupinareis, sumatur vnà aut duæ hora somni, adde si vis myrrhi, gummi prunorũ, storacis olibani & succum summitatum rubi aut plantag.

Amygdalæ decorticatæ cum melle aut butyro frixæ in sartagine ad nigredinem vsque: Panis confectus de prima farina post crepaturam: aqua cisternæ in qua cydonia cocta fuerint, aut radix tormentillæ, extrema remedia sunt.

Excipere fumum aceti acerrimi proiectum super ferruginem candentem.

Comedere placentulam frixam cum lardo & cera: pastillos quoque singulis matutinis deuorare confectos ex succo caulium tritorum probe expresso, caseo trito & in aqua cisternæ dissoluto ac etiã expresso, hepate porcino, vitellis ouorum prius coctorum, axungia mutonis, cera alba, ac tandem coctos in clibano: adde his si velis carnem cydoniorum & semen vel herbam hyperici: Similiter tryphera magna cum cępa exhibita confert.

Impleatur ampulla vitrea aqua rof. cui misceantur octo caryophylli cum mastiche, bulliant in cacabo aquæ feruentis: aqua hæc ad vlcus intestinorum vtilissima est: vel acedulam in aceto infusam probe inuolue stupis etiam in aceto tinctis coque super prunas, succum exprime, & pota: noui quendam qui hoc remedio omnes dysentericos curabat.

Tenesmus.

HIc affectus dysenteriæ similis est: cui conferunt potissimum fotus ex Tapso barbato, cortice mali granati, rosarum: glandes quoque ex adipe hirci: suffitus ano ex terebinthina super tegulam candentem proiecta: vel ex olibano, mastiche & sandaraca: vel ex decocto anisi & anethi: vel ex colophonia: glãs quoque ex olibani & ameos. an.. drach.I. cum melle confectus: vel suffitus ex thure addita præsertim colophonia resina: vel ex puluere florum & seminum verbasci, florum anthemidis resigna larigna excepto.

Pigra aluus.

CErasia recentia, pruna, siliquæ, fici maturę in cibis sumpta: lac ficulneũ, ius chamarum piscium, ius betæ, bliti, maluæ, brassicæ, lentis decorticatæ, cauliculorum asparagi, cucurbitarum integrarum, cynoglossi, foliorũ helxines decoctorum leniter.

Cassia solut. manna ex iure, resina lariicea, pruna damascena decocta, sennæ

decoctum aut eius vinum, vuæ passæ ante prandium.

Bryoniæ cauliculi recens cocti & in cibum sumpti, succus mercurialis, betæ albæ, hyeracij: Bellis recens in catapotiis deuorata vel ex iure decocta.

Nebulæ de farina frumenti & farina cataputiorum factæ atque comestæ.

Decoctum veteris galli admota quoque hîc plurima prosunt, vt litus orificij ani cum felle tauri, aloë, sale gemmæ & oleo.

Radix cyclamini trita vmbilica apposita, idem efficit eiusdem succus cum bõbace vel lana illitus: Item, colocynthis cum melle & felle tauri: Item radix maluæ coctæ & tritæ: vel radix ebuli seu succus medij cort. sambuci cum axungia porci & puluere stercoris eiusdẽ mixtus, pectinique appositus.

Glans de sapone duro illito butyro & insperso puluere sali gemmæ.

Puluis fructus cucumeris asinini, & radicis bryon. cum felle bouis illitus aut emplastratus: vel Rec. ellebori vtriusque, hermod. bryon. esulæ, colocynthidos, aloës. an. partes ęquales excipe cum axũgia porci & illine plantas pedum: Idem

medicamentum vomitum prouocat, si eo volæ manus illinantur.

Tege totum ventrem cum herba quæ dicitur Rorastrum & soluetur: vel lardum tritum misce cum atramento & admoue ventri: illinatur vmbilicus succo ellebori nigri apposito panno in oleo intincto aut succi loco puluere radicis eius excepto cum succo polypodij & succo cucumeris asinini: quod si velis prouocare vomitum ventriculum illine.

Mirum & expertiss. remedium: Os hominis mortui de brachio vel tibia vacuū impleatur fimo illius quem purgare instituisti, illud fortiter obturetur cera, atque cum fune ligatum proiiciatur in aquam feruentem: & quamdiu illic fuerit, venter eius, cuius erat fimus, soluetur. Hoc autem amoto, rursum cessabit.

Vnicum granum salis inditum aluum mouet: emplastrum admotum vmbilico ex sauina decocta & trita cum axungia porci: vel,

Rec. succorum ebuli & mediani cort. sambuci, rad. cucum. asinini, ellebori vtriusque, succi tithymali an. ęquales partes coquantur cum butyro & oleo sub finem adde fel bouis, esulam & scam-



moneam, ceræ quantum suff. fiat vnguentum.

Vel ex feruellio Rec. succi lathyridis semilibram, succi esulæ vncias quatuor, in quibus diss. radicis cyclamini vncias duas, scammonij semunciam, granorum ricini & lathyridis cuiusque vnciam vnā semis, seminum fœniculi, rutæ & anethi, baccarum lauri cuiusque vnciam vnam, trita omnia macerentur in succis diem vnum: Postea adde axungiæ vncias octo ceræ vncias quatuor fiat linimentum: aut emplastrum addito gummi vel cera.

Lumbrici.

LVmbrici triplices sunt teretes, ascarides ac lati: teretes in superioribus intestinis magis gignuntur iique longi sunt ac rotundi: Ascarides sedem ac ortum habent in recto intestino ac sphinctere extremo exigui ac tenues simulque teretes: lati gignũtur in cæco intestino vel in colli cellulis iique à seminis cucurbitæ aut cucumeris effigie cucurbitini sine cucumerini vulgo nominantur græcis ταινίαι Horum omnium origo est

ex cruda, crassa, pituitosaque materia & putredini accommoda.

Omnes expellendi à corpore quia toto genere præter naturam, expelles si prius necaueris, necantur autem amaris: De catharticis optima sunt aloë, rhab. hyera picra, agaricus.

Lumbricos interimunt succus portulacæ, succus caulæ camp. succus crespini acinorum cum aqua graminis aut portul. succus limonij immaturi, succus menthæ græcæ, succus chamædrys, succus eupatorij, succus brassicę, succus aurangiorũ.

Decoctum absynthij marini, absynthij santonici, hyssopi, menthæ, calaminthę, thymi, thymbræ, rutæ, radicis iridis, cymarum lauri, betę candidæ, seminis brassicæ, seminis erucæ, radicis mori arboris, sisymbrij, secalæ vulgaris, centaurij minoris, dictami albi, seminis falsæ nigellę, radicum vnicetoxici, cardui benedicti, marrubij, florum hyperici, seminis lupuli, radicum tormentilllæ, bistortæ, foliorum cannabis, spiculorum alliorum, seminis pæoniæ, scordium.

Aquæ stillatitiæ gentianæ, portulacæ, è succo limoniorum, è floribus pruni syluestris, cardui benedicti.

Semen brassicæ, coriandri, erucæ, napi, falsi melanthij, lupuli, tritum & cum passo vel cum aqua aut succo aliquo ex prędictis : Item, semen apij.

Vinum absynthites potui datum: radix filicis fœminę drachmarũ trium pondere cum vino pota, sed qui sumunt debent pręgustare allium : Amygdalarum amararum oleum potum: iuniperi gũmi haustum: sebestena deuorata: oleum nucum Iudicarum potum : cornu cerui ex melle haustum : conserua florum caryophylli florum aurengiorum, florum persici: aloë ex melle aut lacte sumpta: Muscus marinus drachmæ põdere haustus, & electarium ex ipsomet factum: argentum viuũ semiscriptuli pondere haustum : oleum è calchanto sex granorum pondere, ex vino potũ: Ptisana facta ex semine fœnug. & filligine pota : allium potui datum vel comestum.

Vt autem multo facilius lumbrici necentur patiens tribus aut quatuor matutinis bibat ieiuno ventriculo lac purum, quinto die allia in aceto trita super stomachũ ponat, sedeatque in lacte tepido, vel si id pręsto nõ sit in aqua mulsa: mox enim amaritudinem fugientes descendant,

dent,vt guſtent dulcedinem lactis: Item, ciminum tritum ſinapizetur ſuper pannum oleo calido imbutum & poſitum ſuper ventrem, eos exire cogit: Pilulæ factæ de galbano & penidiis ſimul tritis mirabiliter iuuant:cortex mali granati & radices fraxini coquātur in vino dulci aut dulcorato,vinumque illud vacuo ventriculo bibatur: lutum ſigillatum & hypocyſtis cum vino multum cōferunt: acacia quoque & myrrha viridis pota.

Folia perſici,hyſſopi,abſynthij,tanaceti,lupinorum,radix cruciatæ, ſemen melanthij falſi contuſa cum felle bubulo & vmbilico ac toti ventri admota.

Apri vrina oleo in ſua ipſius veſica commiſta,diuque in fumo ſuſpenſa, naribus & arteriis mannum & temporum illita.

Farina lupinorum,ſemen xantonicum, aloë, felle bubulo & aceto excepta & vmbilico tenus admota.

Oleum ex colocinthide cum felle bubulo vmbilico illitum, oleum ſcorpionum, oleum amygd. amararum, oleum nucleorum perſicorum.

Rec.ſucci menthæ, craſſulæ maioris, centaur.min.tanaceti, aceti fortis, fellis

bouini, oleum persicorum, farinæ lupinorum, seminis apij . an. fiat vnguentum ad litum vmbilici.

Theriaca cum succo menthæ pellit lumbricos potentissime.

Intestinorum vulnera ac vlcera.

VVlneribus intestinorum conferunt fimus leporinus atque pili qui sub ventre habentur ex melle decocti & fabæ quantitate frequenter deuorati.

Aqua stillatitia radicum cyclamini sex vnciarum pondere hausta, addito selectiss. sacchari puluere; ophioglossum ex aqua equiseti potum.

Terrestris hederæ decoctum cum radicibus rubiæ mai. & dictami albi foliis beton. pilosellæ, pimpinellæ, sanguisorbæ, pentaphylli, bistortæ, equiseti virgæ aureæ, brassicæ rubræ, tormentillæ omnibus in vino albo decoctis & addito melle sub finem.

Decoctum consolidæ mai. & mediæ, saniculæ, auriculæ vrsi, pilosellæ, pyrolæ.

Puluis momordicæ siccæ cochlearis mensura ex plantag. aut equiseti decocto epotus.

Vlceribus intestinorum prosunt lac omne ignitis calculis calefactum, infusum per clysterem, sapphyrus lapis potus: Decoctũ mox descriptum in vulneribus intestinorum tum potum tum iniectum.

Sedis affectus Cap. 51.

Hæmorrhoides.

HÆmorrhoidũ dolor sedatur oleo de semine lini, oleo nucleorum persicorum, oleo nucũ indicarum: oleo de momordica ex oleo amygdalino aut semine lini parato addita ad vnamquamq; librã olei, liquidæ vernicis vncia: vnguento confecto ex radice scrofulariæ effossa autumnali tempore, & repurgata, tusa cũ recenti butyro, operculatoque fictili in loco vliginoso reposita, ibiq; relicta per dies quindecim, deinde lẽto igne butyro illo liquefacto & percolato asseruata.

Foliis recentibus plantag. tritis & illitis: porris foliis decoctis & impositis radice dracũculi cineribus calidis tosta & imposita: fotu foliorũ hyoscyami ex lacte decoctarũ, vel fotu verbasci omnis generis: & litu ex populeo, oui vitello & opij tãtillo.

Aperiũtur hęmorrhoides cępa cõfricata

foliis ficulneis affrictis, radice cyclamini recenti affricta, aut eius succo ex lana imposito: catapotiis ex aloë non lota deuoratis.

Sistuntur fluentes hæmorrhoides gũmi iuniperi ex oleo rosaceo aut myrtino illito, foliis recentibus plantag. tritis & illitis: floribus verbasci vna cum oui vitellis & clematide prima & porri foliis illitis: suffitu foliorum verbasci ex molari lapide accenso: fotu vel balneo ex decocto plantag. verbasci, rosarum, malicorei, balaust. gallarum, sumach, sem. myrti, calycum glandium, in vino austero ac astringente & aqua chalybeata seu ferrata: emplastro ex gypso, oui albumine diluto & bombace excepto. vel ex amylo, farina volatili, bolo armena, sang. drac. thure, sarcocolla, spodij, succino, gummi arabico vsto: vel suppositorio indito ex cerussa, hypocistide, acacia, plumbo vsto, & colophonia, additis quoque pilis leporis pulueratis.

Sanantur omnino hæmorrhoides decocto radicis ononidis, vel puluere bistortæ frequenter poto, vel per nouem dies vsu buccellæ huius: Rec. pulueris

radicum phylogmi ſiccatarum in furno, farinæ tritic. an. drachmas duas, cum vitello oui frigantur ſimul & frixa ſumatur: ad idem confert conſerua florum phlomi: eas etiam abigunt certo remedio, galbani puri drachmæ duæ ſumptæ ex aqua per tres dies: portulaca ad ſummum cocta impoſita: teſtudinis teſta ſuffita.

Gal. vng. exſiccans: Rec. mellis tres vncias, aceti vncias duas, vitrioli vſti drachmam vnam, tutiæ præparatæ, lithargyri, plumbi vſti an. drachmam vnam ſemis mel & acetum ſimul bulliant, quibus reliqua miſce in mortario plumbi & adline.

Sedis rimæ, vlcera, inflammationes.

SEdis rimis medentur gummi iuniperi cum roſacea aut myrteo illitum: cancri fluuiales triti & inſperſi: oleum ex ouorum vitellis inunctum: folia recentia plantag. trita & impoſita: vnguentum ex mortario & piſtilo plumbeo atque oleo paratum illitum: diphyryges in vnguento additum aut inſperſum. Amurca in vaſe cupreo ad mellis ſpiſſitudinem decocta illita: labri veneris

radix in vino decocta & subinde tusa imposita: leucoij flores cera excepti & emplastri modo adhibiti: plumbum elotum impositum.

Ad sedis vlcera thus tritum cum lacte & linamento exceptum illitum: succus punicorum acidorum cum melle decoctus illitus: aloë inspersa: Succus consolidæ mai.& mediæ, saniculæ, auriculæ vrsi, pilosellæ, verbasci omnis generis: illitus: vnguentum ex oleo mortario & pistillo plumbeo paratum: Diphryges.

Item, Rec. lithargyri & cerusæ.an. drachmas quinque thuris drachmam vnam, aluminis scissi scriptulum vnum croci obolos tres vini & rosacei quātum suff. fiat litus. Optimum est collyrium ex præcipitato cum aqua hordei, vel cum decocto plantag. cynogloss. vel ex eorum aquis stillatitiis infusum: conferunt quoque hic suffitus exsiccantes ex vernice, thure, sandaraca: sedis inflammationes temperat succus sonchi illitus, plantag. recentia folia trita & illita, verbasci omnis generis: lens cũ sertula campana, rosis siccis cydonio malo, malicorio & rosaceo apposita: radix symphiti

maior. cum foliis senecionis cataplasmatis modo admota: fotus sedis ex lacte decoctionis foliorum hyoscyami.

Sedis procidentia.

SI anus prociderit reponatur suo loco, si nequeat reponi foueatur pars decocto pulegij, marrub. verbasci, primulæ veris, foliorum cypressi, lentisci, florum anthos, stechados, saluiæ in aqua & vino in quo imbuta spongia parti admoueatur: post fotum reponatur & sedeat super scamnum ex ligno nucis valde calidum quantum ferre poterit: vbi fuerit reposita. suo loco continenda erit suffitibus astringentibus potiusquam fotibus: parabuntur suffitus ex nuce moschata, cypero, galanga, floribus stech. anthos, cortice thuris, mastich. vel ex sola colophonia super prunas proiecta: vel ex mastiche, thure & ex pice vsta: vel ex floribus & seminibus verbasci puluaratis resina exceptis, additis anthemidis florum farina; Præter suffitus cataplasmata commodè parti admoueri poterunt, ex plantag. foliis recentibus tritis, ex torpedine-marina apposita: vel ex vsnea, herniaria, saluia minuta,

rosis, tapsa barb. coctis in vino ad putrilag. deinde pistis & admotis: vel ex stercore lacerti, stercore columbino hyrundinum & caprino exceptis terebinth. & admotis supra os sacrum & coccygem.

Condyloma, thymus pensilis, tumor induratus, sedis.

COndyloma quia callosus tumor est eminens & rugosus, emollitione opus habet primum cum decocto florum chamamillæ, meliloti, foliorum mal. bismal. cynoglossæ, violariæ, summitatum anethi in aqua & vino albo, item litu ex oleo de semine lini: Deinde exsiccatione, insperso nimirum cinere chalciridis vstæ, putaminum ouorum, & puluere lithargyri argenti, thuris, & sandaracæ: vel puluere resinæ siccæ pinus: vel puluere cadmiæ, cerusæ & thuris: vel vnguento ex oleo de semine lini & de vitellis ouorum agitatis diutissime simul in mortario plumbeo: vel vnguento ex oui vitello assato, croco & oleo rosaceo: vel ex plantaginis foliis recentibus tritis & illitis, itemque ex foliis verbasci.

Thymi pensiles domantur cinere palmitum cum aceto illito, vel cinere salicis combusti: Item, suffitibus prædictis, felle caprino, aut fimo ouillo ex aceto illito, foliis recentibus plantag. tritis & admotis: Quod si his remediis non compescuntur, per valenter exulcerantia aut saltem exedentia tollendi erunt, nimirum elaterio cum sale imposito, aut foliis ocymi cum atramento sutorio.

Tumores induratos emollit ac resoluit puluis gallarum, item, aqua emanans à castratione vitis illita, oleũ bombicium verum.

Renum affectus. Cap. 52.

Renum dolor, obstructio, vlcus.

R_Enum dolori medetur cassia solutiua cum puluere liquiritiæ: amygdalinũ oleum epotum: altheæ semẽ ebibitum: peucedani succus potus: vinum melitites haustum: cardamomum ex vino potum: amomi decoctum haustum: tragacantha drachmæ pondere in passo dissoluta cũ adusto elotoque cornu cerui, & scissilis aluminis tãtillo potum: suc-

cus liquiritiæ cum passo potus: Symphitum petreum ex aqua potum: pæoniæ radix & anchusæ decoctum epotum.

Obstructioni renum confert vinum absynthites & melitites epotum: decoctum radicis iridis haustum: aqua stillatitia cinnamomi: cassia solutiua deuorata: terebinthina, laricea ve resina vnciæ pondere sumpta: aqua stillatitia Anonidis: cicerum decoctum: nuclei pinei deuorati: farina radicis dracunculi ex vuarum passarum cremore & mastiches momento sumpta: decoctum cardui benedicti haustum: radix eryngij, veronicæ maris, radicum fragariæ & foliorum decoctum: vinum è calcatis solani halycacabi baccis quatuor vnciarum pondere haustũ: oleum è chalcantho ex vino potum.

Vlcera renum detergenda primum eo pure quem in se continent: cassia fistula solutiua, sero lactis vaccino, mucagine seminis altheæ cum iusculo pulli, hydromelite cum radice altheæ & calcitrapæ parato: potu lactis cuiusque potissimum vero asinini: pineis nucleis ex saccharo aut melle deuoratis: strobilis, fisticis saccharo conditis: cremo-

re lacteo seminis portul. seminis papaueris albi, amygdalarum dulcium addito sacch. albiss. Decocto aut aqua stillatitia cuiusque equiseti: decocto foliorum pētaphylli sumpto cum aqua plantag. decocto radicis chynæ.

Calculus & Arenulæ.

SI suspitio sit calculi in renibus fiat cataplasma renibus ex morsu gallinæ decocta statim enim dolor augebitur & tum non erit dubitandum de calculo in renibus: ac proinde purgatio instituenda ex cassia solutiua cum oleo amygd. dulc. recens extracto: vel cum manna vel cum drachmis tribus terebinthinæ & drachmis duabus bened. luxantis. purgato corpore propinanda diuretica simulque arenulas excutientia & lapides frangentia: qualia sunt decocta nardi celtica, radicis anonidis, altheę, tribuli vtriusque, radicis rubi, adianthi, radicis, iridis, rad. valerianæ, carpesij, terrestris musci, seminis fraxini, cicerum rub. & nigrorum, veronicæ maris, dictamni albi, rad. filipendulæ, seminis hyperici, florum consolidæ regalis foliorum & rad. saxifragiæ albæ, pimpi-

nellæ, saxifragiæ magnæ, radicum primulæ veris, foliorum, ramorum vinaceorum & seminis genistæ, rad. cyperi.

Item, gummi cerasi ex vino haustum gummi amygdal. amararum ex passo sumptum: vinum absynthites aut melitites assidue potum: aqua stillatitia cinnamomi: Terrestris musci ex vino decoctum potum: Oleum cum pari portione vini maluatici calidum potum aut infusum: bdellium in potu: Resina larigna, terebinthina, abiegna deuorata: Os humani capitis haustum: semen fraxini ex vino vetere epotum: aqua defluens ex caudice perforato betulæ bibita: aqua stillatitia foliorum quercus: lachryma persici cum succo raphani aut limonum: nuclei persicorum, vel oleum ipsorum haustum: aqua stillatitia persicorum nucleorũ hoc modo parata: Sumito ossium nucleorũ persicorũ quinquaginta, ossiũ nucleorũ cerasorum cẽtum, florum sambuci manipulũ, vini cretici odorati libras tres, excipiantur hæc omnia nouo fictili & sepeliãtur in fimo diebus decem, deinde distillentur vitreis organis: huius aquę sumãtur vnciæ quatuor ante cibũ matut. Succus limonũ ex vino cretico haustus:

Officula meſpilorum cochlearis menſura ex vino albo pota : Cochleæ putamen caſu inuetum tritum potum : lapilli cammarorum ex vino albo hauſti : Putamen cancri fluuialis ex vino dulci: Cinis ſcorpionum ex vino datus : Leporis integri combuſti cinis in potu ſumptus: Leporini renes tum crudi tum cocti deuorati: Calli qui equorum interna crudum parte innaſcuntur triti ex vino hauſti : aqua ſtillatitia humani ſtercoris : Iuſculum cicerum rub. & nigrorum : Ius braſſicæ: Radix hippolapathi trita ex vino ſumpta: Item, eius aqua ſtillatitia: Dictamnus albus ex vino meraco potus drachmarum duarum pōdere: ſemen hyperici ex vino: Puluis poligoni minoris ex vino: vinum è calcaris halicacabi ſolani baccis potum vnciarum quatuor pondere : aqua ſtillatitia florum geniſtę, aut eorundem conſerua cum ſaccharo: Oleum è chalcanto ſcriptuli pondere ex vino potum : Puluis membranarū ſtomachorum gallinę ſumptus cum vino albo: oleū ſcorpionum illitum renibus. Item, ſanguis menſtrualis exiccatus, tritus & potus ante omnia lapidē frangit: medius ciathus arthemiſię ſingulis diebus hauſtus mire lapidē con-

terit. Cinis cicadarum cum decocto nardi celticæ & cinnamomi eadem die calculum conterit: Lapis humanus potus ieiune omnium est efficacissimus ad calculum comminuendum & expellendum cum vrina: Gummi pirorum sumptum cum vino: hydromel paratum ex rad. eryngij, cardui calcitrapę, cortice lauri & eius baccis, ammi, calculum atterit & expellit: Si sanguine vulpis illinantur renes aut pubes & inguina, lapis statim rumpitur hoc vel argumento quod lapillus in eum immissus continuo frangitur, idem potus lapidem atterit: Cinis ex lepore conbusto integro in olla vel ex duobus aut tribus leporibus iuuenibus adhuc viuis & in aceto submersis vt sic extinguantur & prædicto modo combustis: cinis stercoris, carnis & pilorum leporis: Kyr. hepar, pulmo, renes, priapus & intestina hyrci simul terãtur & fiãt buldones ceu farcimina ex intestino illo grosso, coquãtur & comedantur: tanta enim habẽt vim vt vel gẽma auri quem in digitis infirmus gestat post triũ bolorum esum rũpatur & exiliat: Sanguis quoq; hircinus & anserinus mixti & lẽto igne cocti ad eundẽ effectum sunt efficaces. adeoq; gẽmas

& vitrũ mollificant vt ad libitũ discindi ac dissipari queant. Cyperi radices coctæ in oleo & cõtusę admotę renibus aut pectini vrinã prouocant: Decoctũ septem capitum alliorum per tres dies potum conterit lapidem: idem præstat decoctum rad. enulæ camp. in aqua & vino. Experimentator optimus gal. Rec. vitellos integros ouorũ in aqua coctorũ conficiantur cum oleo muscellino & puluere lapidis iudaici, fiat empla. renibus aut pectini: Item, cimices (sicut sum pluries expertus) triti positi in meatu pudẽdi vrinã prouocãt: Sic lapis in capite limacię grossæ repertus, tritus, cum vino calido potui detur, per vrinam siquidem calculum expellit: sed si nimiũ fuerit durus ac magnus plures limaciæ accipiantur. & mirus videbitur effectus. Ad lapidem conterendum ac expellendum fiant rotulæ raphani decem vel plures, reponanturque in vino albo per noctem integram, mane vinum illud bibatur ieiuno stomacho: Idipsum potes repetere: Hoc expertum vel ipso argumento quod lapis aliquis in eo vino positus cito frangitur.

Ad idẽ puluis quo nullus est efficacior: Rec. caryoph. galangæ, cubebarum sicc.

milij ſolis, piperis, ſem. petroſ. lapidis ſpõ. & lapidis humani an. drach. 2. fiat puluis ſumendus in balneo cum decocto aliquo diuretico ex vino albo, in quo nimirum acorus radices cyperi, raph. & apij ſint coctæ: Secretum eſt, maxime etiam ſi patiens in balneo non mingat.

Alius puluis laudabilis: Rec. ſem. ſaxifrag. trifolij, cicadarum an. æquales partes, ſang. hirci tantundem, caryoph. ad pondus omnium, fiat puluis qui exhibeatur cum decocto in vino ſem. apij, millefolij, petroſ. & quinquefolij.

Alius puluis: Rec. ſanguinis ericij, cineris ſcorpionũ & cicadarum, ſpodij, nardi celticæ, ſang. & pilorum leporis, galangæ, zingib. milij ſolis an. partes æquales, fiat puluis qui detur in aurora cum decocto milij ſolis & ſaxifragiæ, quo ſumpto dormiendum aliquandiu.

Veſicæ affectus. Cap. 53.

Veſicæ ſcabies, vlcus, vulnus.

Scabies. AD veſicæ ſcabiem caſſia frequẽter deuorata cum puluere liquiritiæ: nuclei pinei deuorati ex melle aut ſaccharo: Amygdalinum aut ſeſaminum oleum hauſtum: Succus liquiritiæ.

Veſicæ

Vesicæ vlceri confert lac omne potum: Cremor seminum quatuor frigid. mai. sem. pap. albi potus: nuclei pinei ex melle aut saccharo deuorati: mumia ex caprillo lacte pota: semuncia amyli cum ouo & vuis passis feruefacta & à balneo sumpta: decoctum equiseti, aut aqua stillatitia cum herbę puluere pota: aqua stillatitia seri caprini pota: Puluis hippuris siccæ cum syrupo myrtino & mucagine psylij cum aqua liquir. potus: Pastilli alkekangi: aqua florum hyperici: aqua florũ fabarũ: aqua nenup. aqua plantaginis. *Vlcus.*

In vesicam iniiciendum lac vaccinum recens mulctum: vel aqua hordei aut agrimoniæ cum sacch. albissimo: vel cremor quatuor seminum frig. ex aqua solatri extractus in quo aliquid caphuræ ac opij dissoluendum si vehemẽs vrgeat dolor: dissolui quoque poterit aliquid pulueris boli Arm. aut sang. draconis post vlcus probe detersum. Vulneribus vesicę cõfert aqua aut succus equiseti potus, aut aqua stillatitia hederæ terrestris, aut pilosellæ, aut consolidæ maioris: Item, aqua illa de qua in pulmonum ac pectoris vlceribus ac vulneribus facta est mentio: Item, iulep. rosaceum, syrupus ros. sicca- *Vulnus.*

rum, syr. myrtinus cum aqua chalibeata: Item, aqua in qua lachryma tragacanthę decocta fuerit.

Ischuria. Cap. 54.

ISchuria est vrinæ in totum suppressio, cuius caussa vel in vesica est vtpote imbecilla, tensa ex lotij repletione, inflammata, stupefacta, affecta per consensum spinæ ictæ aut luxatæ: vel in meatu constricto, stipato, angusto, ab humore crasso, à lapide, à grumo, à pure, à caruncula, verruca, tumore præter naturam.

Remorantem vrinam cient hæc: Decoctũ acori, radicum mei, nardi celticæ, asari, valerianæ siccæ, iunci odorati, radicis helenij, lentisci, foliorum lauri, corticis populi albæ, radicum & foliorũ paliuri, inuolucri palmæ. Cicerum, erui, radicum lupinorum, cauliculorum raporum, radicis & sem. raphani, seminis cucum. seminis erucæ vtriusque, radicis Asphodeli, porri domestici, calaminthæ, saluiæ, seminis crocodili, thymi, thymbræ, serpilli, radicis spinæ albæ, rad. ononidis, acanthi, radicis & seminis ligustici, seminum pastinacæ, cari, petros. fœniculi, nigellæ, lithospermi, hyperici, periclymeni, vnici marini, solani somniferi, spartij,

dauci, fraxini, porri, lupuli, comarum a-nethi, polij montani, arthemisiæ, anthemidis, radicis rubiæ, foliorum beton. saxifragiæ, rusci, cytisi, vmbilici veneris, radicis astragali, hyacinthi, fol. sabinę, radicis arundinis, sisymbrij aquatici, rad. gentianæ, foliorum veronicæ muris, hyssopi, pulegij, radicis imperatoriæ, filipendulæ, vincetoxici, florum consolidę regalis, saxifragię albæ & magnæ, foliorum fragariæ, pimpinellę, florũ genistæ. Item, cardamomũ ex vino potũ, terebinthi fructus deuoratus: ladanum ex veteri vino haustum, gummi cerasi, haustum: gummi amygdalæ amaræ: Erinaceus marinꝰ deuoratus: erinacei terrestris caro inueterata ex aceto mulso pota: vermes terreni triti & cũ passo hausti: alliũ deuoratum: Capparis fructꝰ 40. diebus potus: anagallidis succus potus: cœpa decocta in cibũ sũpta: vesicariæ siue halicabi rubẽtes acini folliculis inclusi deuorati, vitis albę cœliculi tenelli decocti & in cibum sumpti: Equiseti succus epotus: vinũ cydonites, hysopites, scillinũ, & absynthites potum: Hydromel: aqua stillatitia cinna. bdelliũ haustum: Iuniperinus cinis ex lixiuio & vino albo potus: fraxini semen potum.

Scorpionum exustorum cinis: Cochleę putamen casu repertum tritum & ex albo vino potum: Sepię oua in cibis sumpta: Cimices viui in penis foramen immissi: aqua in qua cerui genitale elotum fuerit hausta: lacteus cremor melopeponum: Planta pectinis veneris tota albo meraco & butyro calefacta & pubi imposita: aqua stillatitia radicum Ononidis quæ fit ex quatuor libris corticum radicum concissis & in vini cretici libris octo maceratis, deinde repositis in alambico vitreo in balneo Mariæ collocato vt inde eliciatur aqua. Oleum flammulæ illitum pubi aut clystere infusum: grana quæ sunt in radice saxifragiæ albæ contusa & ex vino albo sumpta: Trichomanes puluerata & ex vino albo meraco drachmæ pōdere pota: decoctum ex vino aut aqua stillatitia florum genistæ, conserua quoque eorundem: Oleum ex calcantho scripuli pōdere potū ex vino: aqua agrimoniæ & sparagorum pota: succus millefolij cum aceto haustus. Item, syrupus factus ex succo verbenę: aqua stillatitia ex cæpa alba, sumenda ad vncias tres cū sac. Poligoni minoris puluis ex vino haustus: puluis resinæ pini ad drachmas duas cū ius-

culo gallinæ aut galli haustus: Puluis testarum limacum drac. 2. cum succo granorum vesicariæ expresso potus: Suffitus ex locustis aut ex pilis capræ per meatum pudendi exceptus: aut suffitus pilorū cerui: Emplastrum ex parietaria, senecione, & capite alliorum in vino coctis pectini admotum mirabile est: Allium pistum glandi in pudendo admotum vrinam statim mouet; Idem facit cochlea integra pista, in linteo detrito glādi collis admota: Rec. fol. parietariæ mercurialis, mal. alth. gram. florū chama. melil. crithmi, saxifrag. decoque in hydrelæo pro fotu: & de macmate fiat emplastrum additis adipibus cuniculi, oleo scorp. croco, cinnamomo & cassia lignea. Fimus bouis cum melle mixtus calefactus & pectini admotus: Item, ex cimicibus tritis cum oleo & axungia cuniculi illinatur virga & pecten, & balneum ingrediatur æger: Si patiens mingat super vrticas maiores semina ferētes, tribus diebus vrticæ exiccabuntur & is à morbo liberabitur: Emplastretur ingnen ex axungia gallinæ, anseris & cuniculi, semine milij solis, saxifrag. sang. hirci: vel ex incisa minutim radice recenti raphani in sartagine frixa

cum vino meraco.

Puluis pilorum combustorum leporis haustus cum ouo sorbili tepido aut cum succo, aut aqua raphani & vino albo: Puluis capreolorũ vitis albæ potus, aut puluis rad. verbenæ, aut puluis myrrhæ, aut radicis cucumeris cum vino dulci.

Dysuria. Cap 55.

Dysuria est malum in quo vrina ægre ac difficulter admodum redditur: illa easdem caussas agnoscit quas & vrinæ supressio sed paulo leuiores, præter quas vlcus, inflammationem vesicæ acrimoniam vrinæ, & partium vicinarum vesicæ vtpote recti intestini & vteri in mulieribus vitium licet commemorare. Quæ omnes nisi remoueantur, vrinę difficultas tolli non potest.

Inter cætera quę illi medentur sunt decoctum portul. rad. asparagi, radicis seminis & foliorum crithmi, amaraci, radicum baccharis, radicis smyrnij, chamępitys, seminis pastinacæ syluestris, ammeos petros. trifolij bituminosi, radicis polemonij, chamedryos, scordij, pęoniæ, altheæ, graminis, arctij, foliorũ adianthi, trichomanis, baccarum lauri, raphani rusticani, raphani hortensis, anonidis.

Præter hæc millepedæ ex vino potæ: cicadæ inassatæ mansæ: cornu cerui cinis elotus binis ligulis epotus: peucedani succus epotus: phalaridis succus ex aqua aut vino haustus: lotus syluestris trita per se aut cum semine maluæ ex vino aut ex passo epota: galbanũ haustum: lapis hæmatites ex vino potus: lapis Iudaicus ciceris magnitudine ex aqua calida: lapis spongiæ ex vino haustus: cassia solutiua cum diureticis deuorata: oleum amygd. dulcium potum, aut per penis meatum infusum: terebenthina resina deuorata: lauri baccæ cum furfure triticeo, baccis iuniperi & allio contritæ & vino super calenti tegula inspersæ & pubi superpositæ: napi semen cochlearis mensura addita drachma vna seminis lini ex vino potum: radix domestici ac syluestris raphani minutim concisa vna cum petros. vulgaris radicibus ex oleo vel butyro & vino calefacta & pubi admota.

Succus raphani vtriusque ad duas vncias potus cum vino cretico: aqua stillatitia radicum anonidis: lingua anseris ebibita est mirabilis, vt aiunt: succus eringij cum vino albo: suffitus locustarum exceptus per meatum pudendi: sanguis vulpis

calidus super renes, pectem & genitalia sæpius illitus dysuriam soluit.

Stranguria. Cap. 56.

STranguria est vrinæ stillicidium seu vrinæ stillatim expressio.

Hoc easdem pene caussas quas & ischuria agnoscit, sed paulo leuiores pręter quas vrinę acrimoniam, vlcus, inflammationem, partiúmque vicinarum affectus licet adiungere.

Illa curatur decocto rad. acori, olusatri, radicis foliorũ & baccarum rusci, conisæ foliorum & florum, aspleni valerianæ, rad. eryngij, filipẽdulæ & œnanthes, rad. xyridis: decocto etiam cicerum rubrorũ hoc modo parato: sumito cicerum rub. sesquilibram, macerentur in aqua lib. 10. per horas 24. deinde decoquito ad tertias: percolato decocto adde liquiritiæ rasæ vnciam vnam, maluæ totius, graminis, altheæ, agrimoniæ, cuscutę an. manip. vnum, sebestena & zizyphas an. 10. seminis melopeponum delibrati vncias duas, baccarum halicacabi & solani hortensis, & lithospermi an. semunciam, ossium dactylorum contritarum drach. tres, ferueant hæc omnia ad tertias: hu-

ius decocti sumũtur vnciæ quatuor quotidie mane : Item, semen sisymbrij, aut panaces heracleum ex vina potum : seseli massiliense potui datum: saxifraga decocta in vino : polygoni succus: cæpe cum asparagi radicibus decocta data potui: cassia solutiua cum puluere liquir. sumpta: nuclei pinei sacch. aut melle excepti: sebestena, zizypha: cochleæ cum suo putamine contritæ & ex passo septem diebus continuis haustæ : testiculi leporis in cibo sumpti : succus lacteus è caule sonchi manans cyathi mensura : decoctum dentis leonis ex aceto potum : lacteus cremor seminum melopeponum additis pastillis halicacabi, aut succo liquir. & mumiæ momento, & gummi arabici & tragacanthæ nonnihil : cremor seminum lactucæ & papaueris albi : lacteus cremor trasorum è iure carnium sine sale parato: cuminum ex vino dulci paratum: decoctum agrimoniæ ex vino albo cum saccharo: succus baccarum solani halicacabi ex albi papaueris cremore aut melopeponum, aut cucurbitæ, aut cucumeris seminum haustus.

Diabete. Cap. 57.

DIabete est vrinæ profluuium, & passio talis qualis est circa aluum lienteria. cuius caussa est renum imbecilla retentrix facultas, meatuum vrinæ dilatatio nimia, vehemens frigus aut caliditas renum.

Vt sistatur istud profluuium roborantibus ac astringentibus tum sumptis tum admotis pugnandũ: sumantur ergo conserua cydon. consolidæ mai. Item, puluis coralli, boli arm. spodij, sang. drach. tragac. sumac. balaustiorum, acaciæ, hypocistidos, santali rub. Item, syrupus myrtinus, de papauere, succus vmbilici veneris, succus equiseti, succus oxalidis, succus granat. gummi arab. vtendum cibis assis potius quam elixis, lacte chalybeato, vino crasso diluto aqua chalibeata.

Illinendi renes ol. myrtill. cydon. mastich. vnguento comitissæ: emplastrandi emplastro ex farina ros. myrti, fabarum cum cera alba.

Ex thesauro pauperum: cinis capitis ouis aut tauri combusti sumptus per triduum cõtinuum cum aqua vel aceto hora somni luna decrescente: vel vesica pi-

scis fluuialis puluerata: vel vesica scrophę iunioris: vel vesica apri assata & comesta: vesicam roborãdo sistit vrinę profluuium: cerebrum leporis potui datum cum vino: Item, galbanum: easdem vires habet pulmo hœdi comestus vel emplastratus.

Vesicæ calculus. Cap. 58.

QVi in vesica calculus est, aut expellendus aut comminuendus venit, si neutrum fieri possit, sectioni soli locus curationi relinquitur.

Calculus expellitur tum his remediis quæ de calculo renum dicta sunt, tum sequentibus: decocto radicum rumicis ex vino, seminis sisymbrij, seminis apij, seminis fœnic. erratici: cardamomi, asplenij, graminis rad. radicũ ac baccarum rusci, ericæ, radicũ primulæ veris, flor. genistæ. Item, puluere ventriculi auis ossifragi in potu hausto: vrina apri potui data: sagapeno poto: lachryma vitis viniferæ in caudice concreta ex vino hausta: cardamomo cũ cortice radicis lauri ad drachmam vnã poto: bdellio poto: gummi cerasi arboris bibito: lithospermo hausto ex vino albo: puluere lapidis Iudaici & lapidis spongiæ ex aqua calida hausto.

Item, liquoribus balsami factitij: potis aquæ betulæ quæ è perforato caudice destillauit: cinere scorpionum exustorum hausto: cinere integri leporis: muriũ stercore: puluere lapidis in felle bubulo reperti: aqua stillatitia humani stercoris: puluere polygoni min. deuoratis: albicantibus granis radicibus saxifragiæ albę inhęrentibus contusis: puluere saxifragiæ magnæ ex vino epoto: corallo vsto ebibito. Suffitus in eandem rem institui poterit ex diureticis & calculi cõterendi vim habentibus qui excipiatur per meatum virgæ. Frangitur ac conteritur calculus tum proximis dictis, tum his remedijs: iaspice puluerato sumpto ex vino albo: puluere vitri combusti ex vino hausto: aqua stillatitia è succo limonum: medulla agni pota aut deuorata: aqua è cępa alba extillata pota: puluere cicadarũ: puluere sanguinis hircini & vulpis: puluere lapidum cãcrorũ: puluere lapidis lyncis.

Vrinæ incontinentia. *Cap. 59.*

HOc symptoma noctu dormientes excercet potissimum puellos & virgines. Huic sistendo ac retinendo conferunt aqua è sorbis pota quotidie: vel

aqua cōsolidæ mediæ ad vncias quatuor pro dosi: aqua stillatitia è malis punicis recentibus integris, contusis ad vncias quatuor in qua dissoluatur drachma vna pulueris membranæ carni castaneæ herentis: sacch. ros. semuncia sumpta in aurora & ante cœnam per horam: vel vncia vna pulueris glandium assatarum sumpta cum aqua in qua scoria ferri præparata, sit decocta: vel Rec. Baccarum myrti, glandium assatarum, mannæ thuris, cumini, cyperi an. vnciam vnam sumantur drach. 3. cum vino veteri vel cum vino in quo macerati sint calyces glandiũ, semen myrti, sumach & balaustia.

Item, mumia ex caprillo hausta lacte: vel echini terrestris combusti cinis cum agrimonia & interna membrana ventriculi gallinæ sumptus: radices bistortæ & tormentillæ pulueratæ ex aqua plantag. potæ: vide plura hac de re in nostro de morbis mulierum libro.

Vesicæ inflammatio.

PEstem & inguina fouenda oxirhodino: clyster refrigerans ac humectans iniiciendus ex sero lactis, succis cucurbitæ, solani, plantag. & albumine oui diu-

tissime agitato: in vesicã per cathetere inijciendi succi lactucæ, violarum, solani cum sero lactis: & toti imo ventri illinendum vnguentum rosaceum lotum in succo solani & plantag.

Vrinæ ardor. *Cap. 60.*

VRinæ ardor, est cùm inter meiẽdum sentitur dolor, qui multos morbos sequitur vt lapidem vesicæ, vlcus eiusdem & renum vel illarum partium inflammationem, vel, quod fit vt plurimum, inflammationem glandularum ceu adenum parastatum, vel illarum partium exulcerationem, vnde ob saniei acrimoniam dolor sentitur in extremitate penis.

Hîc pulpa cassiæ plurimum prodest, syrupi rosarum siccarum, de papauere, de menuph, euulsiones quatuor seminum frigid. maior. & minorũ: cremor lacteus amygd. dulcium & hordei mundati cum semine papaueris albi: litus ex mucagine seminis psylij extracta in aqua vel succo hyoscyami addito opio vel tantillo caphuræ.

Cruenta mictio.

HÆc potissimum sequitur ad motum ac attritum calculi.

Huic conferunt dactylorum ossa cum crudo serico combusta intus sumpta: succus plantag. & millefolij potus addita philonij persica drachma: millefolij farina vnciæ pondere, cum drachma vna boli armenici ex lacte bubulo propinata: millefolij succus vnciæ pondere cum syrupo myrtino haustus: vel decoctum ex sumach rosis, myrto: vel lachryma tragacanthæ cum decocto balaustiorum rosarum & myrti: vel Rec. rob de vino, bulliat donec coaguletur, sume de eo libram vnam, misce cum farina siliginis, sumat quotidie mane ieiunus semunciam: litus & emplastra astringentia non sunt omittenda.

Virilium & pudendorum affectus. Cap. 61.

Penis vlcus.

VLcera quæ penem infestant vel interna sunt vel externa: vtrisq; eadē debetur curatio, nisi quod magis exsiccā-

tibus interna quã externa curari debeãt, quod partes pudendi internę humidiores ſint quàm externæ, & quod interna vlcera collyriis, externa fotibus aut litu curari debeant.

Vtriſque conferunt polygoni ſuccus in vino decoctus cum melle adhibitus: aloë illita & in puluerem redacta: alumen pulueratum inſperſum: flos ſalis inſperſus: fotus eorundem cum aqua marina in qua malicorium, aloë & alumen maduerint: cinis exuſtæ cucurbitæ ınſperſus: cammarorum lapilli cum tartaro triti & aſperſi: puluis abrotani vſti inſperſus: fotus ex decocto floris ſalis: anethũ vſtum & aſperſum: ſolidaginis mediæ folia aut eorum ſuccus adhibitus: ſanicula, auricula vrſi, piloſella, potentilla, pulmonaria altera, tum in puluerem aſperſa, tum decocta pro fotu.

Si vlcus putridum ſit & iam ad phagædenas accedat, illinatur felle taurino ex melle, flore labruſcę trito cum melle, croco, myrrha & roſaceo, conſpergatúrque puluere piloſellæ, potentillæ, ſolidaginis minoris & mediæ, ſaniculæ & auriculæ vrſi exſiccatis.

Caruncula

Caruncula in meatu penis, & verrucca in præputio aut glande enata. Cap. 62.

PEnis interioris vlcus vt plurimum diuturnum esse solet, quod per eam partem præter fluat vrina quæ sua acredine assidue vlcus vellicat ac auget: vnde in eo sæpe tuberculum carnosum ac velut fungosum subnascitur, quod caruncula vulgò dicitur.

Hæc nisi vehementer exsiccantibus ac velut erodentibus curari potest: quale est vnguẽtum ex tuthia ceu pompholige, cui alia multa erodendi vim habentia admiscent chirurgi.

In horum numero non postremas partes sibi vendicat radix anonis quæcunque modo præparata fuerit, siue in puluerem redacta, siue organis vitreis in aquã distillata: nam & sumpta per os & iniecta in penis meatum, siue puluerata, siue destillata carunculam istam absumit: cuius rei præter experientiam toties obseruatam hoc argumento vel maximo esse potest, quod inspersa callosas vlcerum quorumcũque margines erodat: quod etiam sumpta per os calculum in arenulas minutissimas redigat, carnosũmque rami-

em absumat vbi in eius vsu per menses aliquot perseueratum fuerit: modum autem destillandæ illius aquæ vide supra capite de calculo renum, & capite de ischuria.

Verruca quæ in præputio aut glande penis subnascitur vel excisione indiget, vel erosione sui: erosio fit admoto aut insperso cinere sauinæ, vel asphodeli, vel ochræ: vel lacte ficus syluestris, vel puluere mercurij, vel guttulis aliquot inspersis aquæ sublimatæ.

Testium inflammatio.

SEdato feruore inflammationis admouendum cataplasma testibus: ex semuncia farinæ radicis iridis, cinnamomi & anethi cuiusque drachmis duabus, & croci scriptulo: quod si nondum feruor extinctus fuerit illinenda pars succo aut oleo hyoscyamino: aut decocto hyoscyami in lacte. Item, apponendum cataplasma ex farina fœnugræci decocta in hydromelite: aut ex farina cicerum & fabarum, aut erui decocta in aqua: aut bellidis folia tusa & illita: aut cataplasma ex cicere, eruo, foliis & floribus senecionis, foliis & radice aspho-

deli, meliloto ſimul decoctis: aut illinenda pars aqua ſtillatitia lentis paluſtris: aut cimolia: aut vnguento ex mortario & piſtillo plumbeo cum roſaceo parato & illito.

Veneris impotentia. Cap. 62.

HÆc naſcitur potiſſimum à ſeminis inopia, aliquando etiam ab intemperie frigida teſticulorum.

Augent ſemen coriandrum potum: ſeſaminum oleum potum aut in cibis additum: nuclei pinei, piſtacia, nux indica, cephiliones cum pipere & ſale: gallinaceorum teſtes frequenter deuorati: oryza in lacte decocta addito croco & cinnamomo: cicera cibo data: phaſeoli lacte bubulo decocti, & longo pipere, galanga & ſaccharo inſperſi: rapum in lacte decoctum: napi ex pinguium carnium iure decocti & addito pipere deuorati: ſiſer decoctum & cum pipere ſumptum: aſparagi in cibo: ſemuncia caryophyllorum ex lacte epota: cynaræ echinus ex pipere deuoratus: ferulæ corculum ſub cineribus decoctum cum ſale & pipere deuoratum: viti nigræ radix ſub cineribus feruentibus probe decocta & cum pipere

deuorata. Lac omne potum: bulbus decoctus manducatus: rapum decoctum in cibis: erucæ semen haustum: pastinacæ erraticæ radix deuorata: satyrij radix esitata, testiculi canis radix bibita vel manducata: gladioli superior radix ex vino sumpta.

Testiculos excalfaciunt asphodeli radix assumpta: erucæ semen: semen porri, nasturtij, vrticæ ex passo potum: scincorum renes drachmę pondere exhausti: allium cum coriandro tritum: sepia piscis cum nucibus & allio parato in cibis: galanga: semen fraxini cum pistaceis & nucibus pineis addito sacch. deuoratum: genitale cerui pulueratum & ex vino sumptum: caryophyllorum semuncia ex lacte pota: phaseoli in lacte bubulo decocti & pipere longo & galanga aspersi: mala insana elixa, deinde in butyro frixa & cum longo pipere deuorata: puluis pudendi tauri cum vino dulci haustus: zinziber conditum: esus passerum: esus granorum azelini ante cibum: puluis seminis lini cum sacch. in cibis sumptus.

Moschus ex oleo cicino peni illitus: zibetum eodem modo: oleum pistacio-cum, vua cum oleo sinapino beniuino &

moſcho genitalibus illitum: oleum nucis myriſticæ illitum: fel apri illitum pudendum erigit: formicæ alatæ bullitæ in oleo ſeſamino & de lilio, mox colatæ, adde oleo colato euphorbij ſcriptulum vnum, ſeminis rutæ & piperis an. drach. vnam: ſeminis ſinapis ſemidrachmam ad litum genitalium: oleum pinearũ cum felle paſſerum & ſemine erucæ trito.

Radix ſatyrij in manu retenta: Lapis qui in tertio nodo ſcinci reperitur in cibo vel potu aſſumptus mirum in modum ad coitum excitat. hoc vel certiſſimo iudicio quod ſi gallus eum aſſumat ſtatim gallinam inire cogatur.

Lapis in dextra maxilla ſalpicis inuentus geſtatus penem erigit: teſticuli vulpis ſicut & caudæ eius extremitas ſcroto alligati coitum & erectionem virgæ excitant: teſticuli cerui vel tauri à muliere geſtati excitant mulierem ad venerem: ſpongiæ ſuppoſitæ ad coitum pelliciunt: fel vrſi ſuper femur dextrum ligatum, vel fel taxonis ſuper femur ſiniſtrum continuam virgæ erectionem efficit.

Gilb. qui ſemper coire deſideret bibat drachmam vnam medullæ pardalionis.

Libido inexplebilis ad res venereas. Cap. 63.

SEminis copia minuenda, calórque immodicus genitalium temperãdus. Vtrumque hæc præstant, semen viticis, lactucæ, portul. anethi & comarum eius, folia ruthæ, herba languida, testiculi canini, radix inferior gladioli, semen papaueris decocta.

Flores salicis aut populi comesti pro certo extingũt libidinem vt sæpe probatum est: radix inferior gladioli pota aufert vim generationis: verbena pota non sinit erigere per dies septem, atque hoc si experiri velis in gallo, da eam mixtam cum furfure gallo & non ascendet super gallinas: drachma vna seminis nympheæ aquaticæ data cum syrupo de papauere: vel succus radicis nympheæ potus cum aqua reprimit venerem: semen cannabis largius sumptum in cibum: vinum in quo mulus piscis fuerit immersus epotum: vnguentum ex opio, semine hyosc. mandragora coctis in oleo illitum testiculis: iidem sæpe illiti cum succo morellæ, semperuiui & aceto: Item, cum oleo in quo dissoluta sit caphura: verbena portata

aut sub ceruicali posita nõ sinit penem erigi: farina emplastrata inguinibus, pix cedria vncta, libidinem stringit: columbina herba gestata in veste coitum impedit: succus hyoscyami genitalibus illitus: viticis folia testibus admota: cicuta cum sua coma trita & genitalibus emplastrata est potentissimum medicamentum. Caphura renibus & testibus illita: sisymbrij succus testibus adhibitus. Lactucæ succus cum caphuræ momento testibus illitus.

Seminis profluuium. *Cap.* 64.

INuita seminis excretio cole non extenso citra venerem nascitur ab imbecila retentrice vasorum spermaticorum: aut eorundem conuulsione.

Huic conferunt drachma thuris cum aqua nympheæ pota: terebinthina veneta lota in aqua plantag. additis succino vel aspleno & caphuræ momento: semen baccarum rosarum & lanugo in vino austero pota: flosculi crocei rosarum capillíve hausti: conserua florum punicæ arboris ex vino austero sumpta: succus cichorij ebibitus, menthastri succus potus & testib⁹ illitus: aurigo aspleni drach-

mę pondere cũ semidrachma succini albi ex succo portulacæ aut planta. epota: sesquidrachma lithospermi vtriusque addita pari quantitate aspleni, & scriptulis duobus succini ex succo portulacæ duobus diebus haustum.

Millefolium cui candida inest vmbella vna cum floribus tusum & cum sua ipsius aqua stillatitia aut caprino lacte potum, vel cum corallio, succino & eboris scobe propinatum: corallium epotũ. Rec. menthæ siccæ drach. tres sem. viticis rad. iridis an. drach. vnam: sem. ruthæ: sem. lact. an. drachmas duas: sacch. vnciam vnam sumat cochleare vnum duabus horis ante cibum: nymphææ aut iridis illyricæ radix ex aceto pota: annulus cum topazio gestatus: annulus itẽ ferreus, ex gladio vel ensæ quo aliquis fuerit occisus.

Rec. Cineris intestinorum gallinæ vel pellicularum stomachi vnciam vnam, anisi vncias duas, galangæ drach. duas: coral. rub. vsti & lori drach. vnam. sem. agni casti semidrach. sacch. tertiam partem ponderis capiat cochleare vnum ante cœnam vel post non superbibendo.

Pollutio nocturna. Cap. 65.

HIc ſeminis exitus per ſomnia ſemel contingens non habetur loco morbi, ſi tamen perſeueret, vel partium ſeminalium robur, aut materiæ copiam, aut vitium vtpote irritantem acrimoniam agnoſcit.

Venerem reprimit coitus cum vetula: coriandri aut pulegij frequens eſus: ſemen lactucæ aut viticis comeſtum: matronæ Athenienſium caſtitatem cuſtodiẽtes è foliis viticis cubitus ſibi ſternũt: puluis pudendi tauri rubri potus ex vino ad drach. vnam mulierum libidinẽ reprimit: item, ſuccus verbenæ potus: cõſeruæ nymphex vſus cũ ſyr. papau. venerẽ cohibet: puluis qui proximè deſcriptus eſt ſumptus ad dr. ex cochleari hora ſomni.

Illinantur genitalia ex ſanguine ricini bouis ſylueſtris: vel oleo hyoſcyami: vel vnguento roſaceo in mortario plumbeo piſtillo plũbeo: vel diphryge illito ex vnguento roſ. vel ſucco ſolatri & ſemperuiui cum aceto: vel oleo nenuph addita caphura. Lapis topazius, ſapphirus, amaragdus geſtatus: bardana quoque in pudendis geſtata venerem reprimit.

Vteri affectus. Cap. 66.

Vteri inflammatio.

SEdant inflammationem vteri, hyoscyami oleum, oleum de momordica succus sonchi illita: decoctum ex semine & fol. vitic. ex nardo indico, iunco odorato, arthemisia, meliloto, leucoio, parthenio, althea fotum: cataplasma ex althea, farina fabarum, hordei, sem. lini decoctis, pistis ac passatis per seaceum.

Veteri inflatio.

INflato vtero confert cinnamomi aqua stillatitia: galanga: cubebæ: castoreum cum pipere albo & mellicrato epotũ: radices Dictãni albi duarum drachmarum pondere ex meraco haustæ: imperatoriæ radix hausta ex meraco: geranium & eius radix drachmæ pondere pota.

Item, litus ventris imi cum oleo laurino cnicino, nardino, ruthaceo, anethino, cum cerato stomachico gal. admoueantur imo ventri sacculi ex milio & sale in sartagine torrefactis: Item, sacculi pleni seminibus carminatiuis calefactis: sisymbrium in calenti tegula calefactũ & odo-

rato meraco aspersum vetríque applicatum: mentha græca in placentis addita, vt eius folia in oleo aut butyro frixa & tum deuorata, tum admota. Rec. Stercoris vaccæ librum vnam, cumini vncias duas, seminis apij, petros. an. drachmas tres, vini maluat. quantum suff. fiat cataplasma.

Vteri dolor.

LAc tepidum iniiciatur in vterum per metrenchysta, aut succus plantag. hyosc. lactucæ: foris foueatur imus venter decocto seminis lini, foliorũ viol. mal. portul. anethi, verbenacæ rectæ.

Quod si dolor hic vteri accidat in puerperio vel paulò antè puerperium illæ iniectiones locum nullum habent, sed ad ea confugiendum quæ facilitant partum, cuius aduentus caussa doloris existit tum temporis: illinatur ergo imus venter vna cum sinu pudoris oleo irino, amygdall. laurino, de scorpionibus, oleo lilior. alborum & de semine lini, imbuta in illis lana succida: Itẽ, imo ventri admoueatur botrys recens in tegula calefacta & cretico vino aspersa: vel botrys folia vna cũ parthenio & florib. anthemidis omnib. simul

cõcisis in oleo lilino in patella parum per coquantur, & deinde ex ouis gallinaceis excipiantur & simul misceantur, coquanturque quousque placentæ formam referant, & calida ventri superponantur, hoc cataplasma miraculo quodam puerperij cruciatus mitigat. Item, sisymbrium cum parthenio in calenti tegula calefactum & odorato meraco aspersum imponatur ventri: Item, chelidoniũ maius cum radice tusum & oleo chamamilæ feruefactum imo ventri admoueatur.

Bibatur horum cruciatuum tempore aqua stillatitia cinnamomi: nux myristica puluerata aut decocta ex rhodomelite & aqua vitæ hauriatur: Item, castoreum cum pipere albo ex mellicrato: Dictamni albi radices ex meraco vino: Imperatoria radix quouis modo sumatur: Decoctum radicum succisæ ex vino.

Vterus frigidus.

VTendum cubebis, aqua stillatitia cinnamomi, nuce myristica, radicibus albi Dictãni ex vino meraco potis drach. duarum pondere, imperatoria radice ex vino pota, balsamo factitio aut eius li-

quoribus, oleo ſcorpionum in vini potione, potu menthæ græcæ.

Fotu partis cum decocto nardi Italicæ, lauendulæ radicum Dictamni albi, menthæ græcæ, nepethæ, caro, matricariæ.

Vterus induratus.

ILlinendus locus adipe anſerino, gallinaceo, vrina humana cum liguſtrino oleo feruefacta, oleo amygdalino, ſeſamino, medulla ceruina & vitulina, oleo liliorum, bdellio, ſtirace.

Fouendus decocto maluæ, panacis heraclei, foliorum ebuli & ſambuci, parthenij, fœnugræci, radicis lilij, foliorum agerati, florum lupuli.

Indēdus peſſus ex ladano, panace heracleo, ex ſucco fœnugræci cum anſerino adipe, ex myrrha vna cum abſinthij & lupinorum cremore.

Vterus exulceratus.

ILlinendus oleo è momordica: vel potius iniectio in vterum facienda cum ſyphone ex oleo è momordica, ex decocto aſpalathi cum vino, ex lacte in quo igniti calculi extincti fuerint, ex ſucco

solidaginis mediç, saniculç, auriculæ vrsi, pilosellæ, pyrolæ, potentillæ: fouēda quoque pars spōgia marina macerata in decocto malicorij, aloës & aluminis.

Procidens vterus.

REponendus loco suo qua arte fieri poterit, repositus ibi continendus cucurbitula admota, quiete, decubitu supino, coxis elatis, lumbis depressis & capite.

Iniectio facienda in vterum ex succo myrti, decocto gallarum, vtriusque vrticæ, rosarum transmarinarum siccarum, hypocistidos, acaciæ, malorum cotoneorum &c. aqua stillatitia nucum, siue viridium conorum pineorū cum linteolis in ea madefactis admota.

Mensium suppressio. Cap. 67.

MEnses prouocantur multis remediorum generibus decocto epoto aut adhibito in insessibus ex radicibus iridis, eryngij, illiricæ, mei, acori, cyperi, asari, enulæ camp. raphani vtriusque, asphodeli, centaurij mai. anemones, baccaris, ligustici, seselis massiliensis, libanotidis, pæoniæ, rubiæ mai. radicis supe-

rioris gladioli, dracunculi, gentianæ, imperatoriæ, vincetoxici, iunci odorati.

Ex foliis valerianæ, lauri, crithmi, cymarum allij, pulegij, origani, saluiæ, thymi, serpilli, chamedryos, polij vtriusque, arthemisiæ, myrrhis, anthemidis, adianthi, hyperici, vtriusque vrticæ, beton. sabinæ, hyssopi, eupatorij, arthemisiæ, matricariæ, costi, saluiæ, rusci, calamenthi, satureiæ, ex seminibus viticis, lini, ammi, smyrnii, pastinacæ erraticæ, fœniculi, dauci, nigellæ, trifolij, leucoij, cicerum rubrorum, abrotoni, baccis iuniperi.

Item, hausto castoreo, lacte ficulneo, cæpe succo, cinnamomo, caprarum montanarum fimo, succo brassicæ, succo lacteo lactucæ syluestris, succo peucedani, Ammoniaco, sagapeno, succo scordij poto: vino scillino, absynthite, hyssopite hausto, viticulis vitis nigræ nouellis in cibum sumptis: decoctis in insculo ciborũ vel asparagorũ more: aqua stillatitia cinnamomi.

Pessis quoque ex lupinis, myrrha & succo rutæ: cochleis terrestribus cum suo operimento tusis & fœmineis locis admotis: cæpe succo pudendis illito

ciclamino subdito: Ruta subdita: Galbano suffito & imposito: radice rubiæ supposita: Hyperico subdito: gladioli superiori radice supposita: Elaterio in pesso subdito: mandragoræ liquore semioboli pondere subdito: veratro nigro aut albo supposito: lupini decocto cum melle & myrrha imposito: aristolochia longa fotu adhibita: Dictamno albo supposito: calamintha, centaurio maiore, radice imperatoriæ subditis: botry suffitu vsurpata pesso ex oleo, nigella & diagredio quod innoluatur in panno lineo forti: Emplastro ex sponsa solis, morsu gallinæ, arthemisia, satureia, farina nigellæ, amurca olei, radice lilij, maluæ, colocynthidos, melissæ, saluiæ, gallitrichi: fomento quoque ex decocto earundam herbarum.

Item, radicibus maluæ, aut lilij, aut rubiæ mai. aut aristolochiæ aspersis puluere scammoniæ inditis.

Item, sacculo pleno spiculis alij indito. Item suffitu galbani, castorei & blatthæ bizantiæ.

Mensium profluuium. Cap. 68.

MEnses vltra modum naturæ & cõsuetudinem fluentes multis remediorum generibus sistuntur.

Decocto gallarum, cortice tenuiore glandium, seminis myrti, ligni loti, foliorum lentisci, radicum rumicis, foliorum plantag. comarum porri, ramorum rubi, radicis spinæ arab. seminis papaueris nigri, foliorum equiseti, seminis iunci marini, radicis & seminis nympheæ, foliorum polygoni, symphiti petrei, seminis limonij, seminis hyoscyami, seminis mandragoræ, vinaceorum vuarum, mespilorum, primorum syluestrium, radicum bistortæ & tormentillæ, saniculæ, auriculæ vrsi, fragariæ foliorum & radicũ, sanguisorbæ millefolij, pulmonariæ alteriꝰ, floris amarãti.

Oxyacanthæ baccæ in potu vel cibo: semen rhois in potu: palmulæ non maturæ manducatæ: inuolucrum palmularum in potu: nuclei acinorum punicorum siccati in sole, obsoniis inspersi & concocti sumpti: coagulum leporinum, hœdinum, agninum, ceruinum, vitulinum in potu: puluis cornu cerui vsti

potus cum aliquo liquore astringente: Succus barbæ hirci haustus: semẽ papau. nigri potum: ocimastrum potum ex vino: grana 12. pæon. seminis ex vino austero sumpta: decoctum symphyti petræi ex vino potum: semen limonij acetabuli pondere haustum: Hęmatites lapis, ostracites lapis, samia terra cum decocto florum punicæ syluestris hausti: vinum baccarum crespini: Semen & lanugo baccarum rosarum ex vino austero potum: suberis cortex tritus & ex aqua calida haustus: conserua florum mali punicę: myrteum condimentum: vinum & miua cydoniorum: Cornua sacchuro condita sępe esitata: virgę sanguineę baccę: flores panicularum milij indici ex vino rubro: flos solis cum radicibus contritus & ex aqua plantag. sumptus: amaranti purpurei flos potus: corallium tam potum quam suspensum. Scobs dentis equi fluuialis pota: nuclei vinacei triti & cum ouo sorbili hausti mane: flores cucurbitæ & nucamenta iuglandis puluerata sumpta in ouo sorbili ad drachmam vnam.

Si fœmina biberit granum vnum coriandri fluxus retinebitur vno die, si duo,

duobus, si tria tribus.

Millefolium tritum cum aqua decoctionis hypocist. & balaust potum.

Succus capitum porri vel foliorum eius in tantum efficax est, vt fluxium ex abortu plus fere iusto retineat.

Cucurbitulę maiores mammis a lmotę, per horam integram: Rasis quoque iubet mammis sacculos cineris ranę maioris plenos suspendere.

Succus arnoglossi potus non habet par remedium in hoc sistendo fluxu.

Concułę de monte S. Iacobi vstę potę cum aqua sumach multum valent.

Semen vel radix nenupharis flores citrinos ferentis potum sistunt potentissime.

Cinis ranę maioris in sacculo portatus à muliere vbicunque voluerit, omnem sanguinis fluxum cohibet: si velis hoc experiri puluerem illum de collo gallinę suspende, post diem eam interfice, nil sanguinis effluet.

Si fęx quę desudat ex arbore quercu bibatur à muliere cum aqua pluuię sistuntur menstrua: idem facit aqua polygoni. Semen hyperici potum valentissimum in hoc affectu.

Iaſpis lapis aut corneolus geſtatus. cor ſalamandræ inter crura portatum.

Peſſus de fimo caprino cum ſucco ſanguinariæ vel arnogloſſæ: fotus de medio cortice quercus, plantag. virgæ paſt. Sanguinariæ & ſimilium.

Peſſus ex cinere cornu cerui vſti, acacia, hypociſt. mumia, bolo armena, maſtiche, gypſo, cedro, ſeuo caprino. an. q. ſ. cuius confectio extendatur ſuper renes & pectinem.

Peſſus ex ceruſa opio & ſemine hyoſcyami: Item, ex fimo ceu ſtercore aſini.

Fotus ex cinere glandium combuſtar. & cortice earundem: ſuccus ſolatri iniectus.

Peſſus ex thuris cortice, & glandium, ex acacia, foliis lentiſci, coagulo leporino, hœdino, agnino, ceruino: ex fimo caprarum montanarum ſiccato trito cum thure in lana ſuppoſita: ex cumino in aceto macerata ac trita ex ſucco lyſimachiæ, polygoni, ſolani: ex flore labruſcæ: ex rubigine ferri, ex chalcitide cum ſucco porri: ex fæce vini & ea quoque illita imo ventri ac pudendis: morochtho lapide in vellere indito: ex oleo hyoſcyami pubi, & lumbis illito & ſuppoſito: ex roſa-

ceo vnguento, mastiche gummi iuniperi: Leporino stercore supposito: ex succo pilosellæ, potentillæ saniculæ, fragariæ, earumque foliis subditis.

Flores albi ceu alba menstrua.
Cap. 69.

HÆc velut recrementa sunt deprauatæ sanguificationis, ob id ea reparanda ante vsum astringentiũ.

Hæc sistunt caphura cum succino & aqua nympheæ hausta: flosculi medij rosarum cum suis capitellis accepti puluerati aut distillati: aqua stillatitia foliorum tenellorum quercus.

Interior membrana rubens castanearum cum eboris scobe, & nympheæ albæ stillatitia aqua epota.

Conserua florum punicæ arboris deuorata: ossa dactylorum puluerata & cum sanguinis drach lachryma & aqua portulacæ pota: ossicula mali punici acidi cum thuris polline ex aqua stillatitia rosarum: auellanarum putamina ex vino austero hausta: puluis subtilissimus oboris maceratus in cremore seminis lactucæ in quo ferrum caudens extinctum fuerit, & ex eo potus.

Flores panicularum milij indici ex vino austero poti: ophioglossum ex aqua foliorum quercus potum: Rosmarinum quotidie idque diutius sumptum.

Aqua stillatitia Alchimillæ stellariæ appellatæ pota aut in vterum infusa aut eius decoctum insessibus vsurpatum: caryophyllatæ ra dices haustæ.

Farina potentillæ siccæ ex sua ipsius aqua stillatitia additis corallio & eboris scobe, epota: amaranti purpureus flos.

Millefolium recens contusum & suppositum pubique illitum vel cum corallio succino, & eboris ramentis ex sui ipsius aqua stillatitia epotum.

Malorum punicorum acidorum vinum potum: cymbalaria herba in acetariis deuorata.

Esus carduncelli cum nepeta loco acetarij ante pastum.

Ossa crurum capi, fauces lucij adustæ, ambra citrina, anthera, corallium vtrunque, rasura eboris, margaritarum electarum, semen myrti puluerata omnia & cum saccharo rasato tabulato puluerato sumpta ex coch leari mane pondere drachmæ vnius cum succo aut aqua portul.

Cinis putaminum oui, cornu cerui vsti, succini seminis anethi cuiusque drachmæ duæ puluerate, sumatur hic puluis ex chalibeata aqua.

Portulaca commanducata, balaustia, rubi semen & fructus, equisetum maxime sistit rubrum fluorem ex aqua aut vino potum: Albumen oui aqua rosacea concussum & ieiuno stomacho epotum cum pauco puluere mastiches.

Strangulatus vteri. *Cap. 70.*

STrangulatum vteri excitant suppressi menses, aut semen retentũ: Hæc tollentur caussæ necesse est, priusquam strãgulatus vteri percurari possit.

Sedant eum hæc remedia, mei radices tritę, iuniperi baccæ deuoratæ: Plantaginis succus, semen panacis heraclei, radix & semen seselis massiliensis cum vino epota per se aut simul: Semẽ & folia trifolij, bituminosi hausta: Grana quindecim seminis nigri pæoniæ epota: Iuli iuglandium in puluerem contriti & ex vino albo poti: Castoriũ semioboli pondere cũ pari assa fœtida in catapotiis deuorata: Imperatoriæ radix puluerata sumpta ex vino:

ſagapenũ in pilulis deuoratũ: radix tuſſilaginis maioris duarũ drachmarum pondere ex mero pota: Puluis radicum aut foliorum hyppogloſſi cochlearis menſura ex vino vel iure hauſtus: vitis albę radix ex vino hauſta quo remedij genere mulierem quendam ſtrangulatui vteri obnoxiam aliquot dies vſam per curatam fuiſſe ſcimus hoc ſymptomate vehementi: ea autem radix debet aliquandiu in vino albo efferueſcere, & vinum in quo efferbuit ſumendum hora ſomni.

Puluis cryſtalli ex vino potus ſubito tollit vteri ſuffocationem: Idem prędſtat ſemen dauci piſtum & ex vino potum ad drachmam vnam: Item, Rec. galbani, aſſæ fœtidæ an. drach. vnam cum oxymelite fiant pilulæ, dantur ſalubriter duæ inſtante paroxciſmo.

Radix pæoniæ appenſa confert omnibus hyſtericis mulieribus.

Naribus fœtida & circa vterum odorata admouenda: Ergo naribus offerantur cimices lectuarij, ſinapi tritum, peucedanum, ſagapenum, gagates lapis aut eius oleum, aſſa fœtida, caſtoreum: vtero ac circa vterum vngues odorati ſuffiti: vrina cum liguſtrino oleo feruefacta

infundatur in vterum per metrenchyta: Ruta trita melle excepta pudendis & sedi illinatur. Zibethum cauernulis vmbilici indatur. Alliariæ semen imponatur in formam pessi: folia flores & semen antirrhini mista cum rosaceo & melle vmbilico adhibeantur.

Sternutamenta quoque prouocanda ex puluere radicularum ellebori albi, & ex floribus ptarmicæ.

Titillandus vterus immisso obstetricis digito, & nascale indendum ex emollientibus & aperientibus cum rebus odoratis quibus vterus plurimum delectatur vt Rec. olei nardini & de lilio. an. vnciam vnam, in quibus diss. moschi vel ambari grana tria fiat nascale siue pessus: Sola etiam folia mercurialis trita id præstant & ea omnia topica quæ de mouendis mensibus dicta sunt: Cucurbitulæ item admotæ internis femoribus & coxis, frictiones quoque earundem, euulsiones pilorum muliebrium partium.

Ergo si suffocationem matricis fœmina patiatur: folia Vrticæ trita suppositaque, illi subuenire queũt. Vel semen eius cum vino datum idem valet ventositatem iuxta curans.

Di. ad idem valet semen pastinacæ potatũ: Itẽ, suffumigiũ Galbani cito sanat.

Item, ol. amyg. amar. per clysterem adhibitum siue pessarizatum suffocationem & dolorem vteri curat.

Eodẽ morbo supponatur Euphorbium cum aliquo ol. ac teneantur nares eius, prouoceturque sternutatio, & in potu exhibeãtur garyo. castoreum & assa fœtida.

Di. Leuisticum, hyssopus, absynth. & folia felicis simul in aqua coquãtur, & fiat emplastrum ad vmbilico ab muliebria, antè & retrò: Et sicut Rogerius inquit, filix vel absynthium per se tritum & coctum, ad idem efficax est.

Bitumen Iudaicum, nobile est ad sanandum matricis suffocationem.

Idem efficit ruta in oleo (licet etiam butyrum adiicere) cocta, si iniiciatur veluti pessariũ: vel potissimum, si addita axungia gallinæ vel anseris antè retroque apponatur.

Similiter, theriaca, garyoph. & allium dissoluantur cum vino forti calido: vinumque illud potui detur. Mirè iuuat sicut sæpissimè probaui.

Vtile quoq; fuerit, si prouocetur vomitus: continuò nãq; mulier quietẽ sentiet,

Gilbert. filtrum lineum coctum cum aqua & cineribus maxime ex caulium stipitibus, appositum: ventositatem matricis efficaciter curat.

Ego quoque experientia edoctus dico, quod si ventosa maior, vel olla rudis cum multa ignea scarificatione inter vmbilicum & pudenda apponatur, dictum morbum optimè curari.

Auic. fiant fumigationes horribiles ad nares. Et ruta, assaque fœtida admoueātur, inferius autem aromatica: sic enim omnes consulunt. Item, stercus anseris & gallinæ bibitum cum vino optimo suffocationes subitas mirabiliter sanat.

Contra syncopem ex suffocatione. Piper & sal tritum in nares proiice, & syncope mox cessabit.

Cō. Pulueriz. sal gemmæ & nitrum, & cum aceto mixtò iniiciātur cum bōbace.

Platear. suppositoriū vel pessariū eiusmodi fiat. Rec. calamenth. mentham regiam serpillum, muscum, castoreū, assam fœtidam, & rutam. Misc. & nares quoque impleantur illis in profundo.

Valet ad præcantionem emplastrum ex galbano dissoluto in aceto super à lutam extenso & super vmbilico agestato.

Peruersio vteri. Cap. 71.

PEruersio matricis est declinatio ipsius ad aliam partem. I. Et fit vel ex paralysi, quando relaxantur nerui ipsius. Peruertitur autem quandoque in dextram partem, quandoque in sinistram: idque cognoscitur per dolorem partis affectæ ex compressione factum. Et interdum deorsum cadit absque tamen exitu: vnde dolor sentitur circa pectinem & renes. Interdum omnino exit, quod per indicia patientis manifestum fit. II. Nonnunquam fit ex humoribus in matrice contentis, vbi illis motis matrix præcipitatur. III. Quandoque ex retētione menstrui contingit IIII. Sæpe etiam ex difficultate partus accidit: vnde matrix aliquando cum ipso fœtu exit.

Si fiat ex paralysi, accidit vel ex frigida sessione super lapidem, vel ex frigido balneo, vel ex nimio potu aquæ frigidæ, quod percipitur ex eo quod matrix insensibiliter & sine dolore tunc procidit.

Si sit ex humore: fit ipsa vel ex calido vel ex frigido. Si e calido, cognosci potest ex ardore & punctura in profundo matricis, & quòd ab illa resoluitur fumo-

sitas quædam totum corpus intemperatum reddens: & quod cholericum nonnihil expellitur.

Si ex frigido: animaduertitur idipsum per aggrauationem algoremque & põderositatem, & quod resoluitur quædam fumositas per spinam & alia membra, veluti in typo quartanę fieri assolet, & emittitur aliquid phlegmaticũ ceu aquosum.

Si ex Paralysi proueniat: digeratur primò materia cum oxymelite vel cum Theodoricone vel Benedicta. Et fiat stupa illo die de calamẽtho, origano, lauandula, saluia, nasturtio, primula veris, consol. maior. & ruta. Exeunti detur Mithridatũ vel theriaca cũ vino decoctionis saluię. Sequenti die aperiatur Saphena interior: & fiat vnguẽtũ ex succo lapatij acuti, oleo nucũ & cera, imposito simul puluere thuris, masticis: quo inungatur ab vmbilico ad pudenda antè & retrò. Prædicto succo etiam admiscetur Agrippa per ebullitionem: vt fiat inunctio, & supponatur ceratum vel diacerasеos. Inungere quoque licet pectinem & renes cum melle calido: super asperso puluere qui fit de thure, mastice, cornu cerui combusto, pice communi, vel colophonia, sem.

Sinapis & nasturtij. Et cooperiatur cum pellicula.

Si fiat ex humore frigido, eadem cura est. Sin ex calido eueniat, digeratur materia cum oxymel. cum elect. de succo rosar. primo die: Et fiat balneum. Secundo die fiat phlebotomia de saphena: & adhibeantur inunctiones frigidæ, & eiusmodi elect. Sirupi, emplastra quæ dicta sunt in caliditate hepatis. Item, accipe mel & ol. rosat. an. & pul. cumini: simul coquantur: & in decoctione, lana succida vel filtrum rubrum intingatur, atque ponatur super regionem matricis: reposita tamen prius matrice in suum locum.

Si fiat ob difficultatem partus: reposito intus vtero manu obstetricis oleo inuncta, localia exhibeantur.

Si fiat ex retētione mensiũ: prouocētur illi (vt suprà dictum est) odorificis vel aromaticis quæ naribus apponātur, & fœtidis muliebria fumigentur. Ex quibus speciale est illud. Mastix & colophonia ponātur super carbones lētiscinos vel iuniperinos, vt matrix fumũ capiat, secundũ constant. Idem fiat de stercore bouino. Vel vētosæ absque scarificatione ponan-

tur. Vel olea superius enarrata circa vmbilicum illiniantur.

Vuluæ constrictio & facilis conceptus.
Cap. 72.

SI vulua sit nimis aperta, vt collũ eius vacillet, vnde conceptio impeditur: poteris eam coarctare cum puluere aluminis, sang. drac. & atramenti, cum forti aceto confecti: si intromissus aliquandiu retineatur.

Et ego didici experientia, lolium & thus suffumigatum mulieres ad conceptum disponere.

Dioscor. laudanum immissum, emplastratum & suffumigatum humidam nimis & frigidam matricem multum calefacit. Vnde dicitur: Castas odore suo impręgnare.

Cibus cardui vtero vtilissimus est. Nam sæpe comestus facit vt masculi cõcipiantur. Item, vrina Elephantis bibita, mirabilis est ad conceptionem: Item, semen pastinacæ erraticæ.

Di. puluis testiculorum verris mulieri post menstruum exhibitus, conceptionem iuuat. Ad idem conducit vt mulier post mensium fluxionem lauet pudenda

cum vino puro rubeo: deinde suffumigetur cum vino decoctionis nepitæ: tandem supponat basilicon. maioranam ac mentham.

Exper. Theodoricon, Anacardinum & modicum scamoneę simul mixta per pessarium iniiciatur: & prima vel secunda nocte mulier proculdubio concipiet, si cum viro coierit.

Melissa quoque suffumigata multum confortat matricem ad conceptum.

Testa oui impleta drach. 1. colophoniæ: & masticis drach. 2. & calida vmbilico apposita matricem confortat, vt semen retineat.

Si mulier infœcunda manè bibat aquam decoctionis saluiæ eadem die ad concipiendum idonea & habilis efficitur. Et si impraegnata fuerit, dictum apozima rursum euomit, cum non possit illud retinere.

Item, vngantur membra mulieris iuxta atque viri cum succo Satyrionis, & interioribus mulieris aspergatur puluis. Et fit vt sterilis concipiat, actus intendatur & delectatio augeatur. Pretiosum & solenne remedium existit. Si mulier radicem comederit maiorem ac duram Satyrionis

tionis, concipiet masculum: si minorem, fœminam. Vel fiat sæpè fomentum cum decoctione rorismarini.

Præterea odor buxi arboris efficax est ad generationem.

Galen. in Di. bibat mulier spumam quę est circa os leporis herbam aliquam rodentis: & concipiet. Item, post fluxum menstrui mulier supponat sibi sacculum repletum nigella puluerisata: qui tamen non diu retineatur. Vel leporinum coagulum cum butyro.

Puluis quo stringitur vterus (veluti virginis alicuius) quò facilius cõcipiat. Rec. olibanum, masticem, colophoniam, myrrham, picem nigram, bolum, gallam, gypsum, cinerem cornu cerui, aristolochiam rotundã, singul. an. fiat puluis qui immittatur. Item, asphaltũ, fimus leporis, peucedanũ. an. Temperentur cum cera & fiãt trochisci, de quibus fiat suffumigium per inferiora.

Auic. omne coagulum post mẽstrua comestum aut suppositum, conceptionem promouet. Triphera magna cũ succo artemisię & bõbace, pessarizata multũ iuuat. Item, Mercurialis semen habẽs acutũ: si folia & semẽ eius terãtur: & cum illis vir-

ga virilis inungatur, fœminas facit concipere. Si verò mulier se inunxerit cum masculo minore semen rotundū ac combinatū ad modum testiculorum habente: masculos generabit. Similiter rasura eboris ad conceptum vtilis est. Item, aliiū siccum & humidum, tritum coquatur in ol. rosat vel sesamino adusque consumptionem olei, & cum lana subiiciatur. Remedium est potētissimum. Et oleum factum de lignis hederæ ab vmbilico ad muliebria sæpè & super renes inunctum, matricem confortat superfluamq; eius humiditatem consumit, vt idonea fiat ad concipiendum Electuarium pręstans: quo si vtatur mulier, statim concipit. Rec. dacty. lib. 1. Pinearum, fisticor. an. lib. 1. Hyperici, dr. 2. Nucis moschatæ, cinnamomi, an. dr. 1. Gallar. dr. duas zinz. dr. 2. saccari, lib. semis Conficiantur simul cum melle.

Puluis haliabb, in regali disposit. Accipe consol. maior. Alumen, balaust. myrrham olibanū, masticem, colophoniam, bolum, gallam, gypsum, cornu cerui incensum & atramenta. Terantur & puluerizentur vt fiat puluis in matricē iniiciendus. Succus saluiæ heminæ mensura additis salis modico quaternis diebus po-

tis: Imperatoriæ radix ex vino pota: Alchimillæ ceu stellariæ puluis ex vino aut iure quindecim aut viginti diebus continuis potus cochlearis mẽsura. Item, quod & macer docet. Rec. coagulum & fimum leporis, an. Misce cum melle & pessarij loco adhibe ȝ. dieb. ac totidẽ noctib. Et interea singulis diebus mulier de rasura eboris bibat. Et quãuis antè sterilis fuerit, ceps tamen concipiet. Item, quando semina ambo conuenerint, statim immittat sibi mulier supina succũ rutę cum bombeinbace vel lana molli, & dormiat. Con. mulier vuluam leporis assatam comedat in balneo: & concipere poterit. Vel lapis qui reperitur in ventriculo ceu cerebro aquilę, detur in cibo siue potu: vel sub dextro brachio viri aut mulieris ante coitum ligetur. Mulierem enim concipere facit.

Sic quoque lapis in vulua ceu ventriculo cerui repertus, si portetur vel assumatur à muliere, facit vt illa concipiat. Cerebrũ gruis mixtũ cum axũgia anseris & leonis seruetur in vase aureo argenteove: Et illo deinceps, si vir velit coire, inungat suam virgam. Efficax enim est ad conceptionem. Vel testiculus Mustelæ dexter teratur cũ vnguento aliquo optimo quod

haberi poteſt, & cum lana peſſarizetur: Quo facto, mulier cōcipere volēs coëat. Et lac aſinæ ſi vngatur ſuper vmbilicum mulieris ante coitum, idem operatur.

Kyra. Vt mulier ſemen retineat & concipiat, ſæpius vtatur granis Pœoniæ cum vino nigro, & emplaſtri loco adhibeat thus, maſticem & myrrham.

Albertus lib. de plantis. fœnugræcum tritum cum adipe anatis confortat matricem ad concipiēdum. Idem, muſcus cum ol. roſat. diſſolutus & immiſſus, efficaciſſimè præſtat.

Gilb. mulier lauet tribus diebus, deinde coëat: ac citò impręgnabitur.

Oleum è momordica vteri oſculo illitum ante veneris congreſſum. Oleum è lapide gagates inunctum.

Prohibitio abortus ceu retentio fœtus.
Cap. 73.

CAncrum fluuiatilem tritum cum vino ventrem ferentibus exhibe: & non abortient.

Gal. in dy. leporem pręgnantem per medium ventrem diſcinde, & coagulum quod reperies in vētriculo lepuſculorum, grauidę mulieri aſſumendum porrige.

Auic. pessarium solenne sedans dolorem prægnantium. Recipe cerebri cerui vel vituli, hyssopi humidi, butyri vaccini & caprini, gummi, amygd. storac. alb. liquidi, & mellis. an. drach. 1.

Olei de spica, drach. duas. Terantur sicca, liquefiant humida & misceantur.

Coccum infectorium quotidie in ouo sorbili sumatur addito thure modico, aut mastiche. Dactyli frequẽtes cum infectorij croci puluere deuorentur: Item cydonia mala frequenter dentur: Saluia aut conserua saluiæ sumatur. Puluis radicum bistortæ vel tormentillę sorbeatur in ouo sorbili. Plini lapis Aëthites (qui inuenitur in nido Aquilę) portatus efficaciter iuuat grauidas ne abortiant. Iaspis lapis gestastus. Item, spolium Serpentis (inscia vterum ferente) datum, cum emollita panis mica, partum retinet ne ante tẽpus exeat.

Difficilis partus. Cap. 74.

Contra partum difficilem plurimi docent, rasurã ossium dactylor. cum vino datam, miraculosa virtute præditam esse. Item, cortex lauri bibitus partum etiam mortuum excludit.

Di. petroselinum pistatũ immissumque in vuluam, fœtum mortuum expellit &

secũdinas : & hoc ipso potui dato matrix mundificatur & fœtus quoque ab humoribus grossis. Item, semen pæoniæ cum oleo teratur, & inungantur lumbi & pudenda mulieris: & absque dolore pariet. Sic suffumigatio de cornibus & vnguibus caprarum potenter matricem ad partum commouet. Isaac. Polypodium tritum & super pedes parturientium, statim eijcit fœtum mortuum vel viuum.

Exper. Si mulier bibat de cortice cassię fistulæ statim pariet. Eodem modo si detur capillus Veneris cum vino.

Item, si linantur muliebria cinere vngulæ asininæ. Et hoc est vltimum remedium. Similiter potus aquæ decoctionis castorei optimum medicamentum est. Magnetes quoque in manu retētus partũ facilitat. Item, si alligetur cruri mulieris storax Aphricana, dolorem ipsa non sentiet. Crocus tritus & in formam nucis redactus, coxæque appensus facilem reddit partum, ac secundinā expellit. Corallus eodem modo alligatus idem præstat. Mulier lac alterius mulieris bibens facilè pariet.

Verbena trita atque cum aqua bibita: Artemisia cocta & emplastrata super ym-

bilicum, fœtum cum secundina educunt. Pimpinella trita & apposita: Item, odor floris dracontij vel radix eius: siue seminum eius grana 30. bibita partum facilè excludunt. Idem betonicæ, drac. tres, cum aqua mellis datæ præstant, ab imminente periculo parturientem liberando.

Folia matrisyluæ supposita partũ mox excludunt: sed breui remouenda ne & matricem deiiciant.

Præterea folia iuniperi cũ aqua & melle bibita fœtum mortuum, secũdinam & sanguinem post partum citò eliciunt.

Penna vulturis, pedibus patientis subiecta, parem habet virtutem.

Cauendum sedulo ne pira sint in domo parturientis alicuius, quia partum prohibent, cum non sinant vuluã facilè aperiri.

P. Lu. herba sanguinaria sicca vel viridis cum aqua trita & bibita, statim sine dolore eijcit fœtum mortuum

Herba dracontion, id est, serpentaria alligata inguinib⁹ parturiẽtis, adeò partũ facilitat, vt nisi breui remoueatur, ipsa etiam matrix sequatur.

Rog. succus porri cũ aqua tepida bibitus, potenter operatur. Sic mentha cum aqua mellis assumpta partum facilitat.

Mac. ſuccus vel puluis diptami febricitãti cum aqua, non febricitanti cum vino datus, cõtinuò mortuum fœtum expellit.

Con. ſtercus equi cum aqua bibitum & ſuffumigatum, non modò fœtum, ſed matricem quoque ſæpè liberat.

Non minus efficit lac Caninum cum vino & melle bibitum. Item, cacumina hederæ trita cum oleo, & ſuppoſita, abortum citò expellunt.

Di. Radix cyclaminis coxæ alligata citius parere facit, adeò vt ſi mulier etiam ſuper hanc radicem tranſeat ante iuſtum tempus, abortiat. Item, herba vel flos violæ albę potui datus infantẽ mortuum extrahit, & viuum corrumpit, menſtrua poſt partũ prouocat, matriciſque inflationem curat. Galbanum acceptum mortuos fœtus in vtero excludit.

Si mulier poſt partum non poſſit purgari, recipiat boraginem, folia porri, & ſuccum radic. petroſ. cum ol. mixta: & ſtatim purgabitur.

Gilbert. myrrha in modum nucis minoris cum vino calido data, protinus fœtum, vel viuum, vel mortuum eiicit.

Saty. herba potata, vel inguini appoſita, eundem ſimiliter habet effectũ. Iaſpis

quoque, optima pollet virtute eijciendi fœtum. Adhæc si vngulam muli portet, fœmina facilimè pariet. Item, si suffumigium fiat de vngula equi.

Haliab. nidus hirundinis distemperetur cum aqua, & coletur, bibaturque.

Sic radix vna tythimali ad renes ligata partum cito excludit, ita vt si diutius ibi maneat, viscera quoque exeant.

Fiat suffitus vtero ex cancris aridis, aut ex radicibus Dictamni albi cum pulegio. Lingua chamæleonis ad alligetur.

Radices Dictamni albi vna cum pulegio ad duas drachmas potentur cum vino meraco aut cum decocto Dictamni cretensis.

Aqua stillatitia liliorum alborum addito croco & cassia odorata bibatur: Drachmæ duæ lithospermi minoris seminis cũ lacte muliebri hauriantur. Puluis herbæ cardiacæ ex vino albo calido cochlearis mensura sumatur. Chrysocolla fossitia drachmæ pondere potetur, sed nõ nisi in summo vitæ discrimine. Deuoretur argẽtum viuum pondere semiscrupuli sed vrgente necessitate. Fiat velut pessus indendus in sinũ muliebre ex cortice raphani & Mercurialis foliis ad va-

ciam vnam cuiusque, croci granis quatuor, drachma vna casiæ odoratæ & drachmis duabus succi sabinæ, omnibus simul in mortario contusis & tenuissimo linteo exceptis: Hoc enim remedium miraculo quodã ægre parturiẽtibus cõfert.

Fœtus mortuus educendus. *Cap. 75.*

SI suspitio sit vel potius certissima coniectura fœtum mortuum esse, his pugnandum erit remediis: Potandum galbanum cum myrrha ex vino: hauriendum decoctum radicis Dictamni, saluiæ, marrubij, tussilaginis, pulegij, cẽtaurij maioris & min. calaminthæ, botrys, chamepitys: Chrisocolla fossitia drachmę pondere ex succo sabinę potanda: Balsami liquores hauriẽdi: decoctum chamepitys ex aceto sorbendum, aut decoctum sabinæ & arthemisię: suffienda muliebria ex botri cocta.

Mola.

QVoniam mola cõceptus est inutilis, caro denique informis & ociosa in vtero ea expellẽda simulatque eius signa certissimam coniecturam molæ conceptę attulerint.

In quam rem præter ea quæ de partu

difficili & fœtu mortuo dicta sunt, hæc iuuabunt plurimũ molæ exclusionem.

Decoctũ ciceris, lupinorum cum myrrha & melle, dracunculi maioris, radicis gẽtianę, pulegij, dictamni, thymi, thymbræ, radicis baccharis, radicis panacis herculei, radicis pastinacæ erraticæ, radicis seselis massiliensis, clinopodij, chamedryos, scordij, arthemisiæ, conyzæ, radicis rubiæ, radicis anchusæ, myrrhis, foliorum heliotropij, seminis dauci, seminis perycly meni, radicis lauri Alexandrinæ, sabinæ, calaminthæ, radicis anthemidis.

Item, castorium duarum drac. pondere cum pulegio sumptum: lac primæ fœturæ canicula: fimum caprarum montanarum cum aliquo odoramento potum: fimum vulturis suffitum: Piper haustum: Scordij succus drachmæ põdere haustus: semen leucoij duarum drach. pondere ex vino potum: Semen peryclymeni pari pondere: Balsami omnes liquores hausti: chrysocollæ mineralis ex succo sabinæ drachmæ pondere pota.

Præterea œsypus in lana supposit᷒: fotus ex decocto lupinorũ cum myrrha & melle: Iniectio ex dracũ. mai. decocto, ex decocto arthemisiæ, ex decocto calamin-

thæ: Cyclamini radix fœmori adalligata: gentianæ radix, aut centaurij min. aut radix Dictamni, vel baccharis, vel panacis heraclei, vel pastinacæ erraticæ, vel rubiæ mai. pessi more in vuluam indita: suffitus ex galbano & myrrha ex sulphure, ex foliis botryos: lapis iaspis, aut radix cyclamini fœmori adalligata: Aëthites lapis pro amuleto fœmori suspensus: Samius lapis appensus.

Vt mitiores sint dolores partus.

Cap. 75.

DEuorandæ alternis diebus baccæ iuniperi aut lauri in turturis ventre assatæ: aut baccæ septem lauri.

Cochleæ ante tempus pariendi, diebus aliquot comedendæ.

Malua cum radice ac foliis decocta ad putrilaginem ac lentorem quendam in formam iusculi sorbenda: eiusdem quoque succus potandus.

Farina cardiacę herbæ siccatæ cochlearis mensura ex vino albo potanda.

Fouenda muliebria decocto emolliente ac aperiente ex rad. dictami, gentianæ, rubiæ mai. foliis maluæ, bismaluæ parietarię, seminibus lini fœnugręci altheę: illinenda etiam oleis liliorum, amygd.

dulcium, butyro recenti, axungiis gallinæ, anatis, anseris: medullis cerui, vituli, asini.

Secundæ pellendæ. Cp. a76.

HAuriendum decoctum pulegij, thymi, thymbræ, marrubij, stachij, arthemisiæ, adianthi, radicis baccharis & altheæ, menthastri, radicis Dictamni.

Hauriendum quoque castoreum ad duas drachmas cum decocto pulegij: semen apij, aut ciclaminis cum eodem decocto: sorbendum per aliquot dies continuos vinum dulce in quo radix circa quatuor librarum pondere contusa ac macerata fuerit per horas viginti quatuor: mirrha sumenda aut succus peucedani, aut chrysocome, aut smyrnij semen, aut semen bunij, aut nardus italica vel lauandula: aut aqua stillatitia cinnamomi, aut balsamũ factitium, aut aqua stillatitia liliorum alborum, aut ari semen ad duas drachmas, aut radix dictami, aut pęoniæ, aut fœniculum erraticum cum vino vel cum aliquo decocto.

Pessus indendus ex aristolochia, myrrha & pipere: aut ex radice rubiæ, aut radice bryoniæ, aut ex arthemisia recenti

cum myrrha & oleo irino trita.

Fotus faciendus ex decocto comarum allij, ex decocto arthemisiæ, dictami albi & pulegij.

Sternutamenta cienda, suffiendus vterus, propinanda ea sunt quæ valent ad expellendum aut educendum fœtum, naribus maleolẽtia, vtero beneolẽtia offerenda: fumus autem ex vngula asini licet fœtidus sit, tamen proprietate quadam vtero exceptus non solum secundinas, sed & partus emortuos expellit. Debet quoque parturiens animam comprimere, coercere & velut deorsum versus detrudere, excitari ad sternutationem, nares ad os comprimere.

Symptomata quæ suboriuntur circa & post partum. Cap. 77.

SI febris enixam corripiat, remediis febrilem calorem extinguentibus vtendum sublata prius caussa quæ febrem peperit, siue ea retentio mensium extiterit, siue lactis copia in mãmis collecta.

Si menses supprimantur ea cienda propriis remediis quę superius descripta sũt.

Si corpus, vel pedes aut venter à partu intumuerit clysteres carminãtes iniiciẽdi,

facculi partibus tumentibus admouendi, aut cataplasmata carminantia.

Si menses plus æquo fluxerint, potibus astringētib⁹, vinculis dolorificis bracchiis cucurbitulis admotis sub mammis, emplastris astringentibus admotis ventri & lumbis est incumbendum.

Vlcera vteri lenienda ex albo oui, lacte mulieris succo portulacæ inter se mixtis.

Si suo loco dimota fuerit anus, reponenda ab obstetrice manu molli tepefacta cum vino aut butyro recenti illita: restituta suo loco, fouenda decocto tapsi barb. sentinod. plantag. rosarum siccarum ne amplius excidat.

Si vterus nimio partus cruciatu foras prociderit reponendus quoque erit suo loco illis remediis quæ supra ad prolapsum vteri conferre diximus, suóque loco restitutus continendus globulo quodam cereo in formā pyri efformato aut subere cera cooperto in eandem pyri formam, indito in sinum pudoris, illito prius aliquo oleo astringente ac roborante.

Si plus æquo intumeant mammæ ob lactis copiam, aut quod in illis concretum fuerit lac, repetenda ea erunt remedia quæ supra ad lactis copiam exone-

randam & ad lac concretum dissoluendum attulimus.

Si violentus partus genitalia viciniúmque rectum intestinum, ita exulcerarit ac disruperit vt vnicus amborũ factus fuerit meatuś tum manu chirurgica opus erit, remediisque partes disruptas consolidantibus.

Termina ac dolores i partu. **Cap. 79.**

SI tormina vehementésque dolores discruciarint sumẽda cochlearia aliquot olei amygd. dulcium recens sine igne exstracti ex vino albo, aut cretico, aut hyppocratico, aut aqua stillatitia cinnamomi: vel hauriẽdus puluis diacymini ex vino albo tepido: vel semiscruptulus tripheræ magnæ cum opio cũ iursculo capi vel gallinæ: venter quoque totus illinendus oleo omph. iasmino, nucum, sambucino: frigenda quoque oua integra cum oleo nucum & in formam cataplasmatis toti ventri admouenda.

Itẽ, vrina cum ligustrino oleo feruefacta imponenda: sisymbrium cum parthenio in caudenti tegula calefactum & odorato meraco aspersum vẽtri imponendum: Item, chelidonium maius cum radice-

dice tusum & oleo chamæmelino feruefactum imo ventri admouendum: illinēdus totus venter oleo liliorum & oleo de semine lini cum lana succida: botrys recens n tegula calefacta & cretico vino aspersa ventri appllicanda: vel eadem botrys vna cū parthenio & floribus anthemidis concisa simul in oleo liliorum alborum in patella parūper cocta, & deinde ex ouis gallinaceis excepta coctáque donec totum formam placentæ referat, calida ventri superponenda.

Item, vitelli ouorū bene cocti in aqua, si febris adsit, sin minus in vino, & triti cū axūgia, succo artemisiæ & cimino emplastrentur. Experimentum certum est.

Si febricitat, cæpa coquatur in aqua, hinc cum oleo communi & vitellis ouorum trita emplastretur.

Radix altheæ & ebuli in vino vel aqua bulliat, & fortiter cum oleo teratur, calidáque ceu emplastrum apponatur.

Item, radix aloës cocta, & cum axungia trita, calida emplastretur.

Similiter baccæ lauri puluerisatæ coquantur & supponantur: superflua siquidem matricis consumendo, dolorem eius curant.

Ad dolorem matricis, quando fit ferox propter subitam sui euacuationem. Succus vuarum sambuci extractus cum farina & ouis distemperetur, & inde cũ sanguine placentæ fiant, quæ comedantur: & iuxta bibat vinum calidum decoctionis cumini.

Si stranguriam à partu patiatur suffumigium fiat de mentastro, nepita & pulegio, vel fomentatio ex decoctione iuniperi, pulicariæ, mentastri, folior. lauri, pulegij & absynthij.

Arthritis siue gutta. 79.

AD omnẽ guttam pretiosum vnguentum. Accipe limaces trium generum in mense Maio, in frixorio fac ex illis vnguentum. Electum & expertum.

Expertum in omni guttæ causa, nulla etiam præmissa purgatione, vngatur locus cum succo cæparum & sinapi, setur etiam cum puluere piperis nigri, ligata desuper spongia in vino decoctionis cumini & calamenthi infusa. Consumit atque extrahit humores nociuos.

Guttam quoque sanat emplastrum de succo radicis ebuli tritæ addita axungia porci, suppositum.

Macer. Semen ſinapis, mica panis, ficus ſiccæ, mel & acetum, q. v. mixta ſimul appoſitáque guttam ſanant.

Item, Recipe fimi bouis bene expreſſi, olei, ceræ & ſucci baſilici, an. lib. I ouor. crudor. q. ſ. miſcentur & emplaſtrentur.

Kyr. Vrticam quæ inuenitur in locis calidis & ſiccis coque in lixiuio facto de cinerib. vitis. Et cũ illo gutta fomẽtetur.

Omnem guttam citò tollit: balneum factum de decoctione pſillij. Ex experimentum illud probaui in præpingui vetula. Et radix cucum. aſin. cum polline trita emplaſtratáque omnẽ caleoſam duritiem tollit.

Contra omnem guttam & arthritidem vnguentum probatiſſimum. Caro vulpis in optimo vino coquatur, donec ab oſſibus ſeparetur, hinc fortiter in vino puro ad ſpiſſitudinẽ vnguẽti teratur, cum quo cera rub. puluis caſtorei, bdelij, maſticis, baccæ lauri, aliquãtulum euforbij & parum muſci incorporentur.

Ad omnem guttam aliud vnguentum Gilberti. Radix brioniæ groſſa, euacuata repleatur ſucco ebuli, iuæ artheticæ, calamenthi, item thure & myrrha ad duas partes cauitatis, reliqua parte vacua re-

licta: additis pyrethro, radice gentianæ, hermodactylis & oleo vetustissimo. Quo facto probè cum armilla pasta sigilletur, & sub prunis diu coquatur. Hinc teratur, succúsque omnis exprimatur, cum quo pars affecta inungatur.

Aliud vnguentum eiusdem efficax. Accipe catulum præpinguem excoriatum, deinde recipe succū radicis cucum. asin. rutam viridem, iuam, parietariam, fructus hederæ recentes, baccas iuniperi, euphorbium, castoreum, axungiam vulturis & anseris, adipem vulpin. & vrsinū. Hísque omnibus simul commixtis, catulus dictus repleatur, leuitérque in veru assetur. Tandem ex pinguedine effluente, & addita cera, fiat vnguentum.

Item, carnes ipsius catuli coque in vino, adiiciens illis rutam, betonicam, fœniculum, saluiam & agrimoniam. Tritis expressisque admisce medullam cerui, ac parum thuris, & coque in modum vnguenti quod adhibeatur.

Arthriticis & guttosis confert sequens vnguentum. Rec. Elaterij lb. semis, bulliat in vini lb. similiter semis adusque vini consumptionem, hinc adiiciens euforbij puluerizati vncias duas, probè com-

misce, vt fiat vnguentum, quod sciaticis quoque expedit.

Gal. Ad idem, apozema de iua arthetica, cortice ebuli & sambuci cum vino conficiatur, & addito multo sale membrũ inde balneetur, & certò liberabitur. Item, armoniacũ vel oppopanax cum cũ melle emplastratũ, salutare remediũ est.

Ad arthritidem & omnes dolores mitigãdos Rec. herbæ catholicæ. i. lanceolæ, q. v. ceræ opt. ol. oliu. an. lb. ȝ. Stent in infusione ȝ. dieb. deinde bulliant ad consumptionem aquæ, donec solũ oleum appareat. Hinc ter colentur per linteolũ, & herba abiecta, oleũ duntaxat reseruetur.

Guttam antiquam & desperatam sanat aqua in a qua formicæ cum suis ouis coctæ fuerint.

Guttam siue arthritidem antiquã tollit cardamus, qui & agaricus dicitur. Itẽ, asphaltum cum sale & nitro cataplasmatis loco appositum, dictos morbos curat. Item, mustelam in oleo ad dissolutionem vsque coque, & cũ oleo illo admixta cera inunge artheticam

Ad guttam frigidam vnguentum opt. Carnes cati pinguis, axungia anseris & vulpis, medulla cornu cerui, hedera, sal-

uia, ruta, cera virginea, thus, vitelli ouorum frixorum vel assorum, & limaciæ aliquot: ponantur omnia in olla inferius perforata, superius sigillata cum pasta: quæ parte inferiore reponatur in terra, in superiore autem circundetur igne copioso. Et destillabit vnguentum.

Ad eandem frig. & hum. Rec. axungiã veterẽ, & album. ouorum diu simul agitata, furfures, radix lapat. acuti & rubri, argentum viuum, commisceãtur sine igne, & in corio aliquo apponantur manè & serò: Quæ si remouebuntur, locus multùm pruriet. Idipsum si sequenti die rursum fiat, aqua effluet in magna quantitate, & æger liberabitur.

Gilb. Ad idem cæpe, alumen, sal, euforbium, ol. laurinum mixta apponantur. Medicamentum hoc probatum est.

Vel baccæ lauri, folia rutæ, origanum & pulegium, sapóque vetus, fricentur, calidáque super guttam cum stupa ponantur: loco prius iuncto cum melle.

Guttosis similiter de frig. causa. Carnes vulpis comestæ multùm prosunt. Itẽ, fomentatio aliquoties facta cum decoctione pellis asininæ cõbustæ, in vino, si causa sit frigida, in aqua, si calida sit.

Item, sal tostum, farinam frumenti cribratam, mel & vinum rub. coque ad spissitudinem & guttæ superimpone.

Ad dolorem iuncturarum emplastrum probatiss. Recip. Cerę mellitę, vnc. vnam. Amyli de ordeo facti cum aqua rosar. & cũ aqua iuæ arthiticæ. an. vnc. sem. mixta in mortario probè pistētur cum album. oui. Et fiat emplastrum quod apponatur.

Item, coquantur vespertiliones numero sex in aqua pluuiali, hinc colentur: & additis ol. ros. ac frustulis salicis, denuò coquantur ad consumptionem olei. Medicina est virtute quadam occulta plurimum valens in vtraque causa. Hoc tamē obseruato, vt in causa calida, frigida quędam addantur: in causa frigida contra.

Sextus ad octa. iuncturarum dolorem caseus antiquus cum ol. aut aqua pedum porci salitorũ emplastratus loco detētus, ceu maximum adiumentum extrahit.

Sanguis menstrualis serosus ac albicãs cum axungia bouina pistetur, & bulliat, itaque emplastrentur super podagram & artheticam.

Potio mirè valens artheticis & podagricis. Rec. hermodact. vnc. tres, cumini. vnc. S. zinz. vnc. totidē, miscētur. De quo

ſingulis vicibus vnciæ duæ exhibeantur.

Electuarium Amatoris Regis ad dolorem iuncturarum & podagram ex phlegmate viſcoſo, quo deſtruitur motus: valẽs ſimul ad debilitatem neruorum ex repletione, item ad omnes ſuperfluitates pituitoſas in mulieribus Recip. radicis lilij cœleſtis, aur. 20. Galbani, aureos ſex. ammon. aur 4. & drach. duas, ellebori, aur. ſex. ariſtolochiæ long. aur. quinque, rotundæ, aur. 20. liquiritiæ, aur. 10. turbith. aur. 6. ſtœchad. ſature. centaur. min. an. aur. 8 mei, aur. 6 phu, naſturt. calamẽthi, an. aur. 4. radic. agrim. aur. 1. eupat. aureos 16. ſucurgeni, aur. 38. Xylobalſ. carpobal. an. aur. octo. Nugar. aur. 30. olibani, aur. 2. chamæpyt. aur. 16. chamęd. aur. 2. aſari, granor. iunip. ſpartij, hyſſopi, an. aur. 6. cumini agreſtis, maioranæ, ſcyllæ aſſatæ, an. aur. 8. ſerapini, aloë ſuccot. an. aur. 5. coſti, gentianæ, an. aur. 3. origani, aur. 12. Omnia conficiantur cum melle, & reponantur in hordei cumulo per ſeptem menſes. Et ſi vſus poſtulat, detur in quantitate auellanæ cum aqua decoctionis ſatur. & duarum ariſtolochiarum,

Podagra. Cap. 80.

IN vtraque causa podagræ ante omnia ventris laxitas confert.

Obseruandum autem si causa sit rheumatica, nullo modo exhibenda esse subtiliantia, quia materia subtilis facta plus fluit. Si autem grossa & stabilis sit, tum demum subtiliantibus vti licet.

Et pro certò habendum, remedia inutilia esse, nisi materia sit purgata cum valido medicamẽto, vel nisi præcesserit competens materiæ euacuatio. Purgetur itaque humor calidus cũ electuario de succo rosa. vel oxymelite acuto. Neq; quidquam melius reperi pilulis competentibus, quæ in viatico describuntur & in serapione. Cautè tamen, & paulatim materiæ purgetur, ne virtus importuno motu destruatur, quoniam multa in istis pilulis reperiuntur, quæ cum magna violentia attrahunt, vt sunt euforb. Hermodact. colocynht. turbith. scamonea, quę omnia veluti venenosa habentur: ideoq; incautè exhibita syncopen inducunt.

Podagra si sit de causa calida. Recip. succum solatri, plantaginem, farinam siliginis, acetum & ol. ros. ac fiat emplastrũ.

Vel fieri potest emplastrum de fimo bouis & asini decocto cum axungia vulturis & aceto.

Similiter succus radicis salicis cum ol. inunctus mirè prodest podagræ calidæ. Item, radix cicutæ in pastam coquatur, quæ super podagricam posita, certissimũ remedium est.

Podagrã antiquissimã curat stercus ciconiæ cum axungia porci mixtum. Item, scordium cum axũgia, aceto ruta temperatum. Similiter radix elaterij cum aceto cocta plurimùm valet.

Ad podagrã Gilberti inuentũ mirabile & pluries expertũ. Accipe de terra formicarum lympida drach. 4. farinæ hordei, drach. 1. ros. farinæ fabar. an. drach. sem. puluerizentur: hinc maluam & mandragoram in tribus lib. aquæ ad medietatem vsque coctam & colatam, cum prædictis in mortario puluerizatis cõfice, admiscẽs simul cerã albam & vitellos ouor. 2. Omnia probè pistẽtur, nec opus habueris alio emplastro, nec vlla alia medicina.

Folia populi viridia trita atque apposita genua inflata curant, & pulegiũ cum polenta podagricis appositum medetur.

Item, radix altheæ cum axungia vetere

porci podagram intra triduum sanat.

Podagram quoque curat pellis vulpina pedi circumuoluta, ita vt cutim ægri pars pellis interior tangat. Idem facit oleum vulpis seu decoctio eius.

Di. aqua decoctionis rapæ fomentata dolorem podagricum sua proprietate mitigat.

Vel, si velis, accipe ranam (neque sole neque luna lucente) & abscissos pedes eius posteriores liga in pelle ceruina, dextrum dextro, sinistrũ sinistro pedi podagr. appones. Et podagra hauddubie sanabitur.

Item, folia arnoglossæ cum axũgia recenti emplastrata optimè valent ad eundem morbum. Vel semina eius duntaxat dicto modo adhibita, idem faciunt.

Beronica quoque trita & emplastrata, optimè conducit.

Podagricus eodem die surgit, si tapsum barbatum folia minuta habentem, & in vino coctum super emplastret.

Item, accipe catulum pinguẽ excoriatũ: qui abiectis ossibus fortiter tritus ponatur in vẽtre anseris præpinguis, additis butyri salsi, lib semis, piperis, sinapis, euforbij, diagridij, pirethri, rutæ, absinthij, allij, lardi vel axungiæ vrsi, an. drac. 1. ce-

ræ. vnc. 2. assetur, & quod destillauerit, reseruetur. Item, cinerem caulium confice cum recẽti axũgia porci: & cum illo inũge podagricum, ac tertia die sanabitur.

Contra immoderatum podagræ dolorem, opij drach. vna. pulverizetur cum croco vitellis ouorum & ol. rosat. Mitigat enim hoc, & repercutit materiam.

Itẽ, formicę & oua earum, cum terra simul, & sale, terantur, addita vetere axungia porcina: pannóque interposito imponantur.

Eadem ratione medulla cornu cerui trita bulliat in vino & oleo tota die: Et si siccata sit, denuò addatur ol. & vinum. Tandem coletur, & colaturæ inungatur, pelle aliqua superimposita.

Roger. Viscus arboris coquatur in aqua, & in illa membrum dolẽs balneetur. Item, cinis thuris combusti, cum album. oui confectus, & super locum emplastratus, attrahendo per cutim humores nociuos plurimùm valet.

Præterea fimus capræ vel ibicis, quæ vulgò gamos dicitur, cum axungia mixtus podagram curat. Et cum aceto bibitus, sciaticis quoque singulare præsidium existit.

Item, ſanguis leporis calidus inunctus ſuper pedes podagricos perfectè illos curat. Vel, mica panis tritici cocta in ſucco ſolatri, vel ſemperuiuæ tepide emplaſtretur.

Et ego audiui certum eſſe hoc medicamentum: Cineres vitium antiquarum, & teſtæ alliorum bulliant in aqua, vt fiat lixiuium, cum quo affectus fomentetur addito vino decoctionis rutæ. Vel fiat cauterium ſub genu. Et hæc eſt vltima cura.

Trochiſci in eodem affectu educentes choleram & phlegma abſque labore, & ſtomachum confortãtes. Rec. ſcam. drac. 1. Zinz. ſcrupul. 2. turbith. alb. gum. drac. 1. roſ. rub. drach. 1. ſpicæ nardi, drach. ſemis. confice cum ſucco citoniorum, vel ſirupo roſat. Et fiant trochiſci decem: quorum ſingulis vicib. æger debilis vnum, fortis duos bibat. Nec terrearis quod in paſſionibus iuncturarum patiens aliquãdo vna hora, aliquãdo tardius reualeſcit.

Iſchias. *Cap.* 81.

AD Iſchiaden, Recipe ſauinæ, chamæd. an. drach. 2 myrrhæ piper nig folior. hederæ, an. drach. totidem. Den-

tur de illis drach. duę cum vino decoctionis quercus. Item, calamentum recens tritum & suppositum, exiccando humiditates sciaticam de profundo trahit.

Sic radix capparis bibita sciaticis mirificè prodest, coxæ dolores amputando. Easdem vires habet cinis mugilis piscis.

Iisdem maximum præsidiũ est radix & herba peucedani in oleo cocta.

Isaac. costus emplastratus super sciaticam illam ipsam curat, extrahendo scilicet omnem humiditatem.

Idem efficit agarici, drach. 1. accepta.

Macer. Radix enulæ trita appositáque sciaticam tollit. Sicut etiam succus arnoglossæ bibitus, feliciter idẽ præstat. Item, herba nasturtij cum farina & aceto mixta, & super locum affectum posit multùm valet.

Item, coxa montonis calida apposita, efficacissima existit.

Antidotus sciaticis maximè salutaris. Recipe piperis, drach. 2. folior. hederæ. & rutæ, an. drach. sex, chamędr. drach. 3. misceantur & exhibeantur cum vino. Tantę efficaciæ esse dicitur hoc remedium, vt si mercedẽ cupias, protinus illa sit postulanda, quandoquidem eam propter breuissi-

mam curam alioquin non acciperes.

Vnguentum quod maximæ dignitatis esse Constantinus censet cum sciaticam etiam vetustissimam curet. Cornu cerui vnū minutim incisum ponatur in cacabo vini pleno, ac bulliat ad vini cōsumptionem addito semperuiuo, deinde abiecto cornu, medulla quæ remanet intus manib. fricetur. Postea Rec. ol. laurini, sambucini, an. drach. 4. masticis, thuris, an. dra. sem. nitri salis. euforbij, an. dra. quat. aloës, drac. 2. sarcocollæ, tereb. an. dra. 3. succi rutæ, lb. sem. ceræ, q. s. miscentur, & medullæ dictæ addantur, vt fiat vnguentum.

Itē, accipe absynth. radic. ebuli, furfur tritici, stercus caprinū, & sal: multū bulliant in aceto adusque illius consumpt. hinc trita, calidè apponantur.

Lolium in aqua & melle coquatur: postea balneetur membrum in aqua, & lolium emplastretur. Multùm enim ad sciaticum dolorem prodest.

Sciaticam curat fel capræ cum pluma in oleo trita suppositū. Item, succus tussilaginis bulliat in axungia porci modico ceræ admixto, & inūgatur herba in vino cocta. Lythargiriū quoq; diu tritū cū vri-

na mulæ, cera & oleo : inunctumque eodem die ægrum è lecto surgere facit.

Si dolor fuerit intolerabilis, pilosella in vino cocta superemplastretur.

Sciaticos omninò desperatos, stercus Leporis cum vino calido distemperatum liberat.

Idem præstat adeps marturellæ inunctus. Item, pinguedo piscium multùm iuuat. Item, fomentatio facta cum vino decoctionis iuniperi. Item, corticis populi arboris, drach. 1. bibita, Sciaticis medetur.

Si dolor sit cum tumore. Rec. farinæ fabarum drach. 4. vitellos ouorum quinque misceantur & emplastrentur.

Folia fabę cocta in aqua cum axũgia porci multum mitigant. Similiter radix violæ cocta in aceto & emplastrata prodest. Item, adipis leonin. lib. 1. ceræ lib. 2. ol. lentiscini, drach 4. simul liquefactæ omnem dolorem penitus extirpant.

Ramex siue Crepatura.
Cap. 82.

FOlia cicutæ torrefacta, trita atque emplastrata, omnem crepaturam, 9 vel 15. diebus sanant.

Epatica

Epatica trita & cum vino bibita singulis diebus citò sanat. Pili leporis confecti cum melle in modum pilularum, ac dati vehementer herniam cõsolidant. vel stercus leporis cum melle mixtum ad formã fabarum, & sæpe exhibitum, idem facit.

Caput capræ cum pilis coquatur, & vel comedatur vel bibatur. Omnia enim interiora rursum consolidat.

Si velis citò & securè sanare, patiens sẽper stet in lecto cruribus eleuatis, nec vẽter cadat super crepaturam, aliâs parum omnia valebunt, & tum emplastrum fiat de aloë, atramento, blaca, album. oui, & sang. humano.

Emplastrũ de vermib. terrestrib. ad locum affectum 9. diebus ponatur: & simul transglutiat patiens pilulas de pilis leporinis confectas, ac citò sanabitur.

Cit. eodem modo galbanum & poma expressi totidem diebus crepaturæ imponãtur, donec curetur & prędictæ quoque pilulæ exhibeantur.

Constant. Kyrannus refert succum foliorum bryoniæ cũ vino albo per 19. dies exhibitum, rupturam & ossa fracta consolidare. Et idem plurimi alij laudant.

Folia porri trita & cum sale vulnerib.

eiusmodi imposita mirè illa conglutinăt. Simile quid folia quercus faciunt.

Item herba quæ vulgò viola agrestis dicitur, ob florum similitudinē à plurimis consolida minor, item herba trinitatis, in medio maculā albā habens, inuenitur in locis opacis & montibus. Illa in potu vel in cibo assumpta ab hernioso, perfectè eū 9. diebus curat, id quod sæpissimè expertus fui. Potest ex eadem quoque herba emplastrum fieri.

Vel fiat balneum de ipsa herba, & foliis quercus, item porri foliis & vtraque consolida. Item, folia persici sicca puluerisatáque, recentia & adhuc dum cruenta vulnera protinus coniungit.

Balaustiæ emplastratæ, item mastix & millefolium omnem crepaturam consolidant. Id quod & succus cochleæ terrestris efficere potis est. Similiter folia caudæ equinæ incisionē intestinorum & alia vulnera statim curat. Terra quoque de fornace vitreorum addita cera & pice, emplastrata, vulnera vel diuturna curat.

In ruptura infantiū. Sanguis testudinis & vrina cū decoctione eius, mirabilē habent virtutē. Et si parum de fæce vrinæ & sanguine eius ponatur in inguine infātis,

mirus effectus sequetur. Emplastrũ valẽs in crepatura puerorũ. Rec. aluminis, aur. 15. Gallæ, aur. 4. trita conficiantur cũ vino ad spissitudinem vsque, & ponantur super locũ affectũ imposita spongia in aceto vel aqua madefacta. Vel glutinũ de coriis super pannum illinatur, & loco rupto imponatur: si deciderit, aliud fiat.

Auic. herba dicta sigillum S. Mariæ emplastrata multum in hoc affectu confert.

Di. sanguis hœdi sumptus intestina rupta mirè rursum sanat. Betonica recens trita atque superemplastrata omniũ optima existit.

Item, pro mea experientia: Calx viua, fuligo, album oui cõfecta in vase vitreo: valent in hoc morbo.

De generatione febrium. Cap. 83.

QVæritur, quid sit febris, & vnde generetur: & quare aliæ febres continuæ, alię interpolatæ existãt: Item, qua de causa vna breuiorem alia longiorem habeat interpolationem: de his hęc sequentia probè obseruãda sunt: alia enim omnia circa febres plana & euidentia sunt.

Anno plurimũ calido existente incenduntur in corde calor naturalis & spiritus virtutũ vehicula: illisque lęsis lædũtur ac

inflammantur simul humores & omnia membra eorúmque operationes. Et hoc est febris principium.

Proinde tenendum est fumum illum generari aliquando ex sola intemperie caloris vt in ephemera, in spiritibus, aliquãdo ex caliditate & siccitate in rore, cambio, & in membris solidis vt in ethica. Interdum verò generatur fumus ille ex humore inordinato, propter excessum videlicet vel quantitatis vel qualitatis: Quã inordinationem natura corrigere nequit ob humoris inobedientiam, ideo quoque dimittit eum velut inimicum. Et humor colligitur in loco aliquo sibi simili: vbi indigestus & neutiquam coctus progignit corruptionem quæ propriè dicitur putrefactio. Hinc ex illa putredine oritur calor igneus, & cum hoc procedit vapor igneus putridus dissimilis planè naturali, qui inflammando inficit membra atque viciat: quæ vitia attrahuntur per motum diastoles, cum aëre frigido subintrante corpus per poros. Vbi lęsus calor naturalis ac spiritus, concurrunt ad cor ipsum cum fumo illo venenoso: & inde à corde nimirũ inflammatus calor & spiritus expulsi velut infesti reliqua omnia mẽbra & humores

incendunt: & magis magisque inflãmant.

De causa continuationis & interpolationis febrium. Cap. 84.

CAusa autem interpolationis & cõtinuationis ex hoc est, quòd materia intra venas putrefacta continuè inflãmat calorẽ naturalẽ & spiritus: & quoniã maior fit materiæ læsio in continuis quàm in intermittẽtibus, ideò maior etiã æstuatio sentitur in illis, & copiosior vrinæ effusio. Materia autẽ extra venas putrefacta non continuè, sed per interualla affligit: quo tẽpore interpolationis colligitur in loco putrefactionis materia, quæ dicitur facere paroxysmũ. Et idcirco quandiu durauerit materiæ illius resolutio, tã diu quoque durabit accessio: & quãto interuallo tẽporis materia paulatim de toto corpore descẽdens ad locũ putredinis ibidẽ colligitur, tanto etiam à læsione naturalium humor. abstinet qui non læduntur nisi ab re aliqua, quæ totaliter illis aduersatur.

De causa longioris vel breuioris interpolationis. Cap. 85.

CAusa verò longioris breuiorisve interpolationis febrium: principaliter

desumi potest ex materiæ quantitate. Sãguis continuè affligit, quia maior huius copia in corpore est quàm reliquorũ humorũ: post eũ plus phlegmatis adest, ideò citius cõgregatur ad locũ putrefactionis: excitatur siquidẽ, & liquescit eius viscositas, attenuata à calore extraneo: & naturali se expedire attentante, minuere verò illius quantitatem. Hinc minus choleræ adest, ideóque tardius colligitur ad locũ prædictum. Melancholia denique ob minimã sui quantitatem, tardissimè omniũ humorum mouetur & infestat. Sed hæc omnia plenius & absolutè magis haberi possũt ex Isaaco, & ex Theorica Cõstantini de febribus, Item ex quarto Auicennæ.

De causa longi vel breuis paroxysmi. Cap. 86.

CAusa item paroxysmi longi aut breuis est ex quãtitate vel qualitate materiæ putrefactæ. Quæ si sit multa & crassa longum reddit paroxysmum: si pauca & subtilis breuem: si mediocris, medium. Prӕterea calida humida, citius resoluitur, quia nihil admodum resolutioni resistit. calida sicca tardius: quoniam siccitas repugnat resolutioni: frigida & humida ad-

huc tardius, eò quòd frigiditas velut actiua qualitas, coagulat humiditatem, quæ passiua existit. Tandē frigida atq; sicca, licet sit pauca, tardissimè tamē dissoluitur, quia vtraque qualitas & duritia materiæ cooperantur.

De necessitate consequentiæ paroxysmorum. Cap. 87.

SEd quæ necessitas sit consequētiæ paroxysmorum non memini me legere: Pro meo tamen (si quod est) iudicio hæc causa necessaria est.

Natura perpetuò appetit optimū subiecti sui statum, vnde semper conatur purū ab impuro separare. Eapropter nititur ante primam accessionem cōtinuè materiam indispositā inordinatamq; cōsumere, Quod cùm non possit, faciēs id quod valet, priorem partē à cæteris humoribus seiungit, ac transmittit ad aliquem locū, quocūque scilicet potest. Qui humor ad locū sibi similē perueniēs, in eóque putrescēs febrim progenerat, cuius fumus per vniuersum corp' effusus corruptione sua atque putredine inficit omnes humores, maximè illos quos natura regere nequit, adeoq; ad similē putredinem disponit. Et hæc necessariò recipit formā illā & facit

secūdū paroxysmū, & terti⁹ deinde quartū, & ille vltimū, donec vel putredo disponēs vel humor suscipiēs deficiat. Quicunque igitur febrim sanare auet, quātitatē superfluā minuere eum oportet, ardorē discretè infrigidare, qualitatem humorū alterare, id est crassum subtiliare, subtilē ingrossare, putredinēque auferre: qua ablata febris quoque tollitur, virtutē deniq; cōseruare. Propter primū euacuatio qualiscunq; requiritur: propter secundū frigida & humida exhibeātur: propter tertiū diuretica & incrassantia dētur: Ad quartū conueniūt venenū consumentia, qualia sunt pimpinella, tormentilla, gentiana, atque motum auferentia, vt opium, & alia huiuscemodi. His itaque generalibus præmissis, deinceps de singularum febrium curatione dicemus.

Febris ephemera. Cap. 88.

IN febri ephemera, ira, & omnia quæ cor inflāmare valent, item, vniuersa calida & grossa vitentur.

Si inflāmetur spiritus animalis: in principio somnus leuis procuretur, & æger odoretur Camphorā cum aqua rosat. mixtam, & rosas, & violas, & similia.

Quod si spiritus vitalis incendatur, vtere infrigidantibus & cor ipsum cōfortantibus, vt sunt margaritæ, sandali, rasura eboris: & inunge simul regionē cordis cū ol. rosat. vel nenuphar. superimponendo emplastrum de farina cum aceto temperata.

Si spiritus naturalis æstuet, exhibenda fuerint electuaria similiter infrigidentia, vt sunt sacch. rosat. violæ, & sandali: item, rosæ, & id genus alia super epar emplastrentur.

Si ephemera procreetur ex frigiditate, euita phlebotomiā, maximè si sit cū rheumate, rosat. Nouellā cum sacch. rosat. vel viol. mixtam assumens, & odorans basilicon, alia odorifera calida contemne.

In causa rheumatica fugiendæ quoque sunt fomentationes.

In causa calida sine fluxione conferunt fomenta frigida, & eiusmodi vnguenta: maximè si fuerit ex nimio labore, coitu, ira vel æstu aëris & similibus. Vngantur volæ manuum & plantæ pedum cum ol. rosat. viol. lacte mulieris. Spina verò dorsi, frons ac tempora inungantur cum ol. rosf. populeō, & lacte mul. fœminā nutriētis cibus & potus sit facilis digestionis

& frigidus.

Si ſit ex nimio labore vel nimia inanitione: nutriri æger debet cũ reſumptiuis. Sudores item prouocari debent, quia maximè ſunt vtiles. Sudoriferum autẽ eiuſmodi fiat. Folia ſalicis, violę, roſæ & ſimilia bulliant in aqua, & linteum ingens in ea madefiat, cum quo patiens probè cooperiatur vt ſudet. Poſt ſudorẽ lauẽtur pedes, tibiæ, & brachia in eadẽ decoctione.

Contra febrim ephemeram fiat ſirupus de roſis, ſandalis, & floribus nenupharis.

Item, Succus viridis cucum. cum ol. roſ. mixtus pulſibus admotus, & ſuper cor illinitus omnem febrilem calorẽ mitigat.

Platearius habuit quendam febricitãtem viribus deficiẽtem, quem iuſſit lauare in balneo aquæ in qua cicon. qua fuerint reſoluta. Quod cùm faceret æger, rurſum confortatus abijt.

Febris ethica. Cap. 89.

ETHica febris dicitur habitudinalis ab ἔθος quod eſt conſuetudo in quam venire illa conſueuit.

Fit autem Ethica ex principali vitio ſolidorum membrorum.

Eius tres ſunt ſpecies, ſecundum triplicẽ humiditatem in fontibus contentam.

Si enim calor in mẽbris accensus primæ humiditatis maiorem partem consumat, fit prima species Ethicæ, si secundæ, secũda, si tertiæ, tertia.

Signa febris huius partim communia, partim specialia sunt.

Communia sunt continuus calor in volis manuum, & pedum, modò lentus, modò acutus, vrinæ oleaginosa.

Specialia primæ partis. Calor continu⁹ maior est ante prãdium, quàm post illud, vrina oleosa in superficie, sine resolutionibus. In secunda specie calor acutior est, quàm in prima post prandium scilicet vrina similis cum minutis tamen resolutionibus furfureis.

In tertia specie calor maior quàm in reliquis est: & maior quidẽ à prandio quàm ante, sed propter eius intentionem haud benè discerni potest, quando maior vel minor fit, vrina in colore & substantia oleo assimilatur cum multis resolutionibus grossis, quæ à Theophilo crinoides appellantur. Cutis eleuata cum sit arida & sicca per se non residet nisi manibus comprimatur. Et hæc vltima species incurabilis est: secunda vix curatur, prima verò absque difficultate.

Obseruandum denique Ethicam vel cum rheumate fieri, vel sine illo, si cum illo fiat, oritur Tussis, & vuæ titillatio, multa sputi mucilaginosi emissio. Si absit rheuma, econtra fit.

Præterea huiusmodi febris aliquando exacerbatur, aliquãdo minus vehemẽter affligit. Ad hæc nonnunquã simplex est, nonnunquam coniuncta est aliis.

Quãtum ad modum curationis, imprimis dieta est obseruanda. Exhiberi potest pullus cum brodio vel cum farre coctus, & dari possunt extrema porcorum, nisi calor sit nimis intensus: Item, farina hordei, lac amygdalarum, amillum, penidię, oua: Et (nisi multum febricitẽt) olea mixta de borragine, malua, atriplices, spinachia cum lacte amygdal. vel cum lacte recenti: Pisces saxatiles, & in aquis salsis degentes: Vinum album vel subcitrinum temperatum cum aqua hordei vel aqua decoctionis gummi Arabici, liquiritiæ & succi eiusdem, quæ aqua semel in hebdomada assumatur: Lac caprinum in quo lapides fluuiatiles sunt extincti. Aegro animo, & stomacho inanito, manè vtatur patiens tragacantho cum diapenidio & cum triasandali: Vel vtatur hoc Sirupo,

Rec gummi Arabici, tragacanthi, liquiritiæ & ſucci eiuſdem, ſem. maluę, citonior. æquales partes. Buliant in aqua, colaturę addatur ſaccarum. Et fiat ſirupus perfectè decoquendus quia aliâs corrumperetur. Aſſumatur cum aqua hordei & cum aqua prædicta decoctionis tragacanthi. Valet etiam Ethicis ex nimio coitu conſumptis. Item, piſtacia, nuclei pinei, amygdalarũ.

Febris continua & nimius eius feruor.
Cap. 90.

AD nimium feruorem febris cõtinuæ mitigãdum, folia caulium coquantur cum cicere veteri, & terantur cum ol. roſat. emplaſtrẽturque ſuper ſtomachum. Idem fieri poteſt cum foliis ſalicis, maurellæ, & aliis.

Pro certo curioſus quidam experimentator mihi retulit: Pimpinellã cum aqua calida reſolutam bibitamque, febrem cõtinuam tollere, & ventrem in illa conſtipatum ſoluere. Item, baccarum creſpini ſuccus cum iulep. violaceo potus: Vuæ ſpinæ, ribes vulgaris: Ceraſa acetoſa: cremor lacteus ſeminum melopeponum cucumerum, cucurbitarum. Anguriæ

pulpa deuorata ardorem febris ardentis extinguunt.

Auic. sirupus nenuphar. vehemẽter extinguit febrim continuam acutam.

Sin febris non sit admodum acuta, potui detur vinum cum aqua mulsa mixtũ. Infrigidat enim multum, & aperiens oppillationes materiam per vrinas educit, viresque simul confortat.

In vehementi autem febre vinum euitandum. Sed si nimium appetat vinum, panis calidus in illo ponatur, & absque expressione coletur, ac vinum istud propinetur. Similiter si carnes serió desideret, exhibe illi colaturam Gallinæ cum agresta decoctæ, quæ efficatior erit, si simul cum ea terantur quatuor semina frigida. Item, fiant pastilli multum caseati additis amygdalis tritis cum semin. frigi. mundatis & medulla cucurbitæ.

Item, portulaca trita & emplastrata super stomachum & hypochondria plus omnibus febris huius calorem extinguit.

Dioscor. ad febrim continuam & aliam quamuis curandam: Oleum ros. acetum, album, oui, an. commisce fortiter agitando, & cum illis inunge totum corpus præter plantas pedis & volas manuum &

verticem capitis, ac ipse sanabitur.

Item, potentilla plantis pedum ac volis manuum admoueatur.

Quotidiana febris. Cap. 91.

SI citò velis curare quotidianam. Rec. betonicæ, vnc. 2. plantag. vnc. 1. Exhibeantur cum aqua calida ante accessionem.

Macer. Idem facit Apium cum aqua tepida bibitum.

Sirupus ad idem. Rec. radic. apij, petrosel. fœniculi, filipendulæ, folior. beton. capill. vener. scolopendriæ, medij corticis sambuci an. M. 1. fiat decoctio addendo sub finem. Agar. vnc. vnam, polypodij, vnc. 2. epithymi, vnc. 1. in colatura diss. Mellis q. s. valde efficax sirupus est.

Item, micam panis & fel capræ æquo pondere confice cum ouo molliter assato & oleo laurino vel cypressino, & panno inducto super stomachum ventremque pone. Vtile enim hoc esse ego meipse diuturna experientia didici. Vel fiat vomit⁹ de elaterio & thapsia, & modico cinnamomo cum decoctione radicis cucu. agrestis, raphani atque aceto.

Itẽ, accipe radic. & semina raphani, sem.

Atriplicis, Rad. ebuli, aceti & mellis q. s. coquantur & bibantur 2. horis ante accessionem. Item, semen sinapis comestum ante accessionem, aufert febres diuturnas ac quotidianas. Confert plurimum rhei dilutum frequenter vsurpatum : Item, agaricus. Item, aqua stillatitia gentianæ vel eryngij quæ è tenellis foliis paratur.

In quotidiana de phlegmate acetoso. Digeratur materia cum oxymel. simplici & oxysacch. an. vel cum sirup. de cich. composit. Digesta purgetur cum hoc remedio. Rec. foliorum senæ, thymi, epithymi polypodij, an. vnc. 1. tamar. & myrabol. chebul. vnc. 2. fiat decoctio. Ad lib. 1. in colatura diss. sacch. quantum suff. fiat apozema pro quatuor docibus sumẽdis quatuor matut. Macer. abrotanum tritum & cum aqua temperatum ac bibitum mirificè prodest. Emplastrum post vniuersalem purgationem arteriis vtriusque brachij applicandũ. Rec. folior. Vrticæ maior. solatri, semperuiui, an. M. 1. telę aranear. drach. 2. salis q. s. Terantur omnia simul & fiat emplastrum.

Constantinus in sua practica asserit se multos quotidiana affectos liberasse cũ medio cortice sambuci in aqua calida

dato,

dato, vel cum cortice nucis: Item, cum 9. granis catapuciæ vel pæoniæ: quæ tamen posteriora laboriosis hominibus exhibenda sunt.

Ad eundem morbum, nouem radices ebuli ad modum digiti discinde, & tritas cum cereuisia vel vino albo ante accessionem ægro porrige: sed caue ne assumptis iis dormiat. Vel tres guttulæ lactis mulieris masculum nutrientis assumantur cum aqua ipso nesciente.

Vel iecur leporis tritum potui detur in aqua fœniculi.

Item, sanguis asini cum vino potatus, continuas febres curat, si singulis vicibus tres guttulæ bibantur.

Item, cor salamandræ viridis collo gestatum febrim dictã protinus extinguit.

Febris tertiana vera. *Cap. 92.*

PRincipio materia digesta fac phlebotomiam in 4. vel 5. die ante accessionem, si virtus permiserit, signaque digestionis præcesserint. Sola enim eiusmodi sanguinis missione morbum hunc curatum fuisse, expertus sum.

Si tertiana fuerit vera, da patienti succum capitis monachi ante horam accessionis ter vel quater:& febris remittet.

Item, digesta prius materia fiat emplastrum super pulsus brachiorum de vrtica minore crescente in locis calidis & siccis, trita cum multo sale in 6. die accessionis. Id conferre mea ipsius & aliorum multorum experientia obseruaui.

Radix raphani trita cum farina siliginis & emplastri instar super vmbilicum posita. donec torsio aliqua ceu dolor sentiatur. Probatum remedium est contra omnem tertianam.

Adhæc tria folia pimpinellæ in aqua cardui benedicti potui data ante accessionem, vel in ipsa accessione, siue si placet etiam post, optimè conducunt. Idem præstat succus pimpinellæ vel cichoreæ. Item, succus apij ceu corrigiolæ, quilibet sigillatim cum vino ante accessionē sumptus, febrim tertianam penitus extirpat.

Vel farina siliginis, succus verbenæ barba Iouis, vrtica Gręca, & succus Plantaginis simul conficiantur cum 4. oui fiat emplastrum ventri imponendum.

Exper. succus Arnoglossæ solus ante accessionē datus, non mediocrem effica

ciam habet. Nec minus efficiũt tres radices illius integræ tritę, ac cum aqua & vino ęquis partibus pota.

Di. tria grana coriandri in ouo sorbili assumãtur post tertiũ vel quartum paroxysmum (ipso ægro ignorante) ante solis exortum. Item, succus vuę acerbę nouem diebus manè exhibeatur.

Tria folia verbenæ & tres eius radices in aqua resolutæ, sidentur ante accessionem, sanitatem restituunt.

Item, verbenacæ supinę tertius à terra geniculus cũ adiacentibus foliis haustus.

Hypericum ex vino potum. Portulacæ succus haustus.

Sic totidem folia herbæ trifolij ceu millefolij: vel tria grana eius bibita cum aqua, ad idem conducunt.

Tela araneæ alba emplastris iuncta, & fronti tẽporibusque emplastrata prodest. Vel tela eiusmodi cum ipsa aranea trita, & ad collum suspensa, tertianam de cholera sanat. Vermes terreni cum anserino adipe decocti & illiti. Itẽ, oculi cornicum de collo suspensi optimè conducunt.

Similiter succus tapsi barbati naribus patientis iniectus ante accessionem, tàm simplicem quàm duplicem tertianam

curat. Idem facit centinodium (aliis lingua pafferina) ſi emplaſtretur ad carpum.

Tertianam puerorum puluis Chryſtalli nutrici exhibitus perfectè curat Item, liquor diſtillans à pulmone Arietis tertianam & morbos renum in iis natos curat.

Item, allium corpori humano alligatum tollit tertianam & quotidianam, trahendo materiam ad exteriora & membra principalia corroborando.

Morſus gallinæ, herba ſcilicet parua & rotunda, ſi ſuccus eius in nares copiosè inſtilletur, dictam febrim optimè ſanat.

Item, ad tollendum calorem tertianę, accipe ſuccum agrimoniæ, & cum melle confice, vt illinas tempora.

Experimentum probatiſſimum ad eandē febrim. Barba Iouis in vino forti madefiat, deinde teratur, ſuccuſque exprimatur, in quo drachmæ duæ Rhabarbari infundantur, quæ ſingulis diebus bibantur. Item, præſtāt radix Aſari ex vino decoctū addito melle, maci & cinnamomo potu: Roſarum ſuccus & dilutum epotū. Aqua ſtillaritia gentianæ: decoctum centaurij minoris aut chamedryos aliquot diebus potū. Sirupus contra tert. de chol. rubra. Rec. ceterach, polytrichi, adianthi,

capill.ven.viol.rostri porc hepat.sing.an. M.2.flor.nenuph.pug.1sem.frig Lactucę, portul.pug.1.papau.alb. an.drac. 2. spodij,drach.sem.vini malor, granat. vnc. 1. sacchari,lib.2. fiat sirupus & clarificetur.

Alius sirup. Item, alia decoctio contra tert. tàm simpl. quàm dupl. Recip. succi end.scariolæ, rostri porc plantag. scolopend an. vnc.1. sem. vini malor. granat. lb.1.sacch. quantum suff. fiat sirupus, de quo manè cochlear.5.dentur.

Item, vt purgentur humores cholerici, primò digeratur materia cum oxysacchara, vel cum sirupo acetoso, deinde purgetur cum elect. de succo rosar laxat. drach. 2.additis diagred.g.4. Aliud cholagogon in tertianis. Rec.Cassiæ fist.vn. 1. tamarind. vnc. sem. fiat bolus addito saccharo conferunt. Rhab.& agaricus in potu sumpta. Caninum stercus album in accessitoue cochlearis mensura ex vino potum: Lapis iuuentus in capite limacis suspensus: Iaspis lapis gestatus.

Febris quartana. *Cap. 93.*

DIgesta primum materia & præcedẽte purgatione detur ante accessio-

nem modicum de oleo iuniperi. Vel aperiatur vena paulo ante accessionẽ, vt sanguis in parua quantitatę fluat, idque sæpius reiteretur. Imprimis autem aperiatur Saluatella sinistræ manus, die quæ Luna prima dicitur, & vltima morbus haudquaquam affliget.

Carnes vrsi comestæ quartanam curãt. Idem facit vinum fortissimum, in quo fuerit cocta agrimonia.

Item, cimices lectularij ponantur in foramine fabę alicuius, & transglutiãtur, plurimum siquidem conferunt.

Succus vngulæ caballinæ 9. dieb. bibitus, quartanam tollit. Item, succus arthemisiæ oleo communi mixtus, si per triduum tepidus propinetur.

Vitis alba trita pulsibus temporum, & brachiorum emplastrata.

Succus plantag. cum aqua tepida & melle, an. bibitus 2. horis ante accessionem quartanam aufert. Item, quatuor radices eius tritę, & ex aqua bibitæ.

Radices asparagi multum bulliant in qua & 7. dieb. bibantur & quidem post vsum frequentis balnei.

Item, postquam ieiunauerit æger totã diem, vigilaueritque per integrã noctem,

manè comedat perdicem assatam, quæ tota nocte sub dio fuerit, & bibat vinum forte ac purum, nihil aliud die illo assumens. Item, sanguis asini recens inunctus super spinam dorsi, quartanæ vtilissimus est. Idem præstat vinū album decoctionis radicum gentianæ. Item, tormentilla aliquoties bibita.

Vel tria frustra aristolochiæ rotūdæ, & fimus gallinæ terantur, & cum vino albo distemperentur: colatura potui detur ante accessionem.

Tria vel quatuor folia verbenę, & quatuor eius radices cum vino coctæ, si bibātur, quartanam curant.

Item, plantæ pedum ac volæ manuum, item frons & spina dorsi inungantur oleo scorpionum communi: vel inungatur patiens cum axungia vulturis albi cum oleo mixta. Nepeta ante accessionem cum vino copiosè bibita, totam materiam resoluit in vapores & typum aufert.

Diosc. Semen atriplicis tritum cum vino calido, potuíq; datū, optimè conducit.

Præterea succus pulicarię cum pul. myrabol. indorum detur ad pondus denarij vnius in diebus interpolatis interdiu, tēpore autem accessionis quatuor horis

ante diem. Item, costus cum oleo tritus & ante accessionem inunctus, quartanæ rigorem periodicum tollens, illi plurimum resistit.

Radix virgæ pastoris inuoluta, & de collo suspensa, vel brachio alligata penitus quartanam curat.

Centaurea puluerizata, & cum vino sumpta, probatissimum est remedium in quartana.

Item, betonicæ drach. tres cum melle ac vino sumptæ plurimum faciunt.

Et decoctio hellebori nigri ante omnia valet ad tollēdam antiquam quartanam.

G. super Viat. Stercus hominis siccum datum cū melle vel vino, accessum quartanæ prohibet.

Item, piperis grana nouem cum aqua calida, si assumantur, multùm valent ad auferendum quartanas & alias febres periodicas.

Auic. Cancer marinus eadem virtute pollet. Sicut & chamomil. bibita, vel succus chamom. cum oleo mixtus, & super spinam pulsúsque febricitantis inunctus.

Ad idem succus parietariæ minutim tritæ bibatur.

Plantaginis radices integræ quatuor

cum vini cyathis quatuor & pari aqua potentur.

Hypericum ex vino hauriatur. Grana quatuor seminis heliotropij hora vna ante accessionem potentur.

Vel bibatur etiam in hora suspecta vinum in quo rutæ syluestris M. 9. cocti fuerint.

Item, si quartanarius vngatur oleo decoctionis ranæ viridis, breui euadet. Et cor ranæ alligatum frigora febris minuit. Similiter epar delphini piscis potatum vel gustatum. Item, cor leonis circuitus quartanæ anteuertunt.

Ad idem cranei human. drach. vna bibatur ante accessionem, & magna pars cranei integra teneatur sub ascella sinistra iuxta cordis situm.

Item, vinum decoctionis saluiæ ramorum quinquefolij, rosmarini & lauandulæ mirè valet.

Item, rhaponticum feb. quartanis & aliis periodicis singulare remedium est. Sicut radix quoque cucum. asin. potui data.

Aliud opt. caudam, pedes, nares & aures muris abscindens, in panno illa simul ligata collo suspende, omnem enim typum & rigorem antiquum huius febris

occulta ratione curat. Idem facit filum cum acu per os muris immissum, & per posteriora extractum, collóque circumligatum.

Adhæc oculi coturnicis collo portati omnem quartanam sanant.

Et ante omnia alia confert membrana nucis interior, quæ cõtinetur iuxta membranã nuclei, si teratur bulliátq; in vino, vinúmque illud clarificatum bibatur ante accessionem.

Verbenacæ supinæ quartus à terra geniculus vna cum adiacentibus foliis hauriatur.

Ad tollendam quartanam. Recip. Gallinam vnius anni, deplumatam imple foliis petroselini & basiliconis, & ouo vno integro, ablato cortice, & sale q. s. Et in pasta testa inuoluatur: de qua patienti pars vna exhibeatur vno die, alia pars alio die, quidem diebus interpol. Competit quoque idem feb. tertianæ & quotidianæ, vrinam enim prouocans, materiam digerens, febrim aufert.

Vel, Rec. Caponem, eúmque repletũ polypodio, florib. & fol. borag. & sena, coque in aqua. Ius illud optimè purgat humores crudos & choleram adustam,

Efficacius autem fuerit, si addatur pulegium regale.

Alliud, Rec. Assæ fœtidæ, folior rutæ, piper.longi, an.drach.semis, conficiantur cum melle ad formam castaneæ, & duabus horis ante accessionem dentur.

Macer. Ad idem Recip. Helleb.vtriusque, an. scrup.1. lapid.lazuli, calamin. & lapidis armẽ.an.drach.1.polypod.drach.1.sem.florum borag. vnc.1 sang. hircini exiccati, drach. 2. fiat puluis qui 2. horis ante accessionem detur.

Constant. Recip. Agarici, myrrhæ, an. semidrachmam, dẽtur vna hora ante accessionem febris cum decoctione saluiæ: hoc enim remedio plurimi curati fuẽre.

Emplastrum contra eandẽ. Vrticæ cum sale tritæ ponãtur super pulsus manuum, & ad plantas pedum ligentur, in hora accessionis quando calor febrilis intensus est. Et in eadem hora talis potus fiat. Saluiæ extremitates decocantur in vino, in quo deinde theriaca dissoluatur. Et vinũ illud bibatur.

Decoctio in quartana ad euacuandam choleram nigram adustam. Recip. Calamenthi, origani, pulegij, ruthæ, buglossæ, boraginis, linguæ ceruinæ, corticis radic.

tamarisci, fraxini, chamæd. thymi, epithymi, senæ, an. betonicæ, manip. sem. arthemisiæ, agrimon. radicum graminis & sparagi, an. M. 1. simul bulliant in vino albo addito melle: bibantur manè & vesperi ante cœnam.

Cōtra quart. de cholera adusta in æstate. Recip. Endiuiæ, scariolæ, ling. ceruinæ, ceterach, polytrichi, adianthi, capil. Ven. violariæ, M. 1. florū borag R. 3. quatuor sem. frig. an. vnc. 1. prunor. 10. thymi, epithymi, an. vnc. 4. senæ, vnc. sem. sacchari, lb. 2. fiat sirupus qui clarificetur.

Præter hæc remedia ista ad quartanam curandam mirum in modum conferunt.

Decoctum azari ex vino albo addito melle, maci & cinnamomi.

Aqua stillatitia gentianæ, aut eryngij, quæ è tenellis foliis paratur.

Drachma vna myrrhæ ex vino critico aut hippocratico calido pota hora vna ante accessionem, sed ægros subinde in lecto sudare oportet, & potionem in tribus accessionibus repetere.

Drachma vna radicis imperatoriæ aut angelicæ sumpta ex vino meraco hora vna ante accessionem.

Cardui benedicti decoctum aut aqua

stillatiria, aut herba ipsa in puluerẽ sumpta. Radices palmæ Christi multis potibus vsurpatæ.

Succus radicis verbasci fœminæ pondere drachmarum duarum ex vino cretico haustus ipsa hora accessionis.

Flammula & eius aqua epota: myrrha vna cum theriaca in pilulas conformata sumpta frequentissimè duabus horis ante accessionem.

Elebori nigri dilutum haustum: vermiculi qui in dipsaci echino internis partibus conclusi reperiuntur in aluta collo brachióve adalligati.

Consulit Amatus Lusitanus vt die paroxysmi quatuor horis ante aduentum paroxysmi sumatur purgãs medicamentum, quod eo tempore humor sit in motu ac proinde facilior ad eductionem.

Multi quoque fœlici successu experti sunt sectionem venæ è brachio eo ipso die quo febrilis paroxysmus debet inuadere, nec tantum eo ipso die, sed ea ipsa inuasionis hora, quod tamen faciendum non suadeo nisi in corpore robusto viribúsque admodum constantibus.

Vinum album in quo sub dio per totam noctem folia saluiæ maduerint epotum

plurimum confert: vt vult Rondeletius.

Bertrucius: tria grana myrrhæ subtiliss. puluerată cum tribus vnciis vini albi. veteris amari sumpta paulò ante paroxysmum cōtinue vsque ad tres paroxysmos, febrem illico tollunt vel abbreuiant vel alleniant euidenter, quia myrrha ex proprietate subtiliat, prouocat, deoppilat & putredinem prohibet.

Item, vinum decoctionis absynthij colatum, & cum melle aut saccharo dulcoratum & potum ieiuno stomacho: similiter & aqua decoctionis pyrethri & gentianæ dulcorata sicut prius. Item, Rec. Pyrethri, gentianæ, chamedryos an. semunciam, mellis albi libram semis, cap. semidrachmam quouis die ieiuno stomacho cum duabus vnciis decoctionis hyssopi & ruthæ: hoc enim breui tempore melancholiam interficit.

Vsus piperis in condimentis & iusculis quartanam inueteratam sanat: theriaca post signa coctionis danda est, aliquando etiam ante signa coctionis in initio accessionis, sed non nisi robustis.

Quum frigore quartanarius torqueri cœperit, cyathum aquæ stillatitiæ rosarum ebibat quo multa & biliosa euomet,

& sanus euadet.

Contra quartanę ingens frigus ex Galeni præcepto oportet grana quinque vel sex piperis integra deglutire frigoris tempore cum pauco vino generoso.

Rec. Aquæ vitæ distillatæ quantum suff. infunde in ea medullæ panis albi quantum volueris, deinde distilla, huius aquę sume semūciā in qua macerētur per horas 24. pulueris caryophyllorum duæ drach. permitte crassum subsidere, sorbeto quod clarum fuerit hora vna ante accessionem.

Nonnulli fœlici successu propinant drachmam pulueris radicis asari crudi cū vino albo vel theriaca semihora ante paroxysmum, sumpto prius iusculo pingui vt humectato ventriculo facilius erumpat vomitus.

Alij vtuntur stibio præparato ad grana quatuor: alij quinque aut sex guttulis olei vitrioli cum aqua abscynth. nonnulla admouentur fœliciter. Rec. folia sambuci, saluiæ, pedis columbini, ruthæ an. semimanipulum calthæ tertiam partem vnius manipuli, salis & vini parum, omnia simul trita admoueantur carpis ante accessionem, & remoueantur quoties vi-

debitur. Item aránea lacerto appensa: aut tela araneæ albæ in corio ligata & collo vel super adiutorium appensa: aut nucis putaminibus exempti nuclei loco, aranea viua includatur, eáque colligata suspēdatur in collo, ac dies nouem relinquatur, inde in ignem coniiciatur cum horum verborum additione, In nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Vvierus.

Amuleta. Lapilli albi & nigri in ventre hirundinum inuenti, linteo inuoluti, & ad collum suspensi, vtiles sunt ad quartanam, authore Marcello.

Grilli collo suspensi: oculi vrsi aut dés leonis brachio sinistro alligatus

Scarabeus vterque cornutus & pilularius, alligatus: canis nigri dens longissimus: lacertæ oculus: setæ ex cauda camelli contortæ, & sinistro brachio ligatæ.

Heliotropij magni semina quatuor grana suspensa quartanam finiunt: limacius lapis suspensus.

Batrachium pulsibus adalligatum ante accessionem, quartanę insultum arcet: oleum scorpionum spinę dorsi, plantis, volis manuum, frōti, temporibus illitum ante accessiones, curat febrem quartanam, continuam & tertianam, si Rosario credimus:

credimus: addi poterit aliquantulum vini cretici.

Diuturnæ febres. *Cap. 94.*

IVs galli senis Dioscoridis modo paratum & vt præcedenti capite dictum est.

Agaricus frequenter in decocto vsurpatus. Frequens vsus hydromelitis vinosi, maximè vero si adsit magna ventriculi imbecillitas.

Rhabarbari infusum aut dilutum sæpissime sumptum.

Aqua stillatitia gentianæ: decoctum eupatorij, foliorum & folliculorum lupulorum, rad. asari frequenter haustum.

Decerpe flores chamamillę absq; foliis, tunde in mortario, & ex suo ipsius oleo dissolue, & cum eodem pastillos conformato: si ex his pastillis suo ipsius oleo dissolutis febrientes à vertice capitis vsque ad pedes illinas móxque stragulis, vt sudent, integas, quascũque febres sanabis, si modo sudor copiosus fluxerit.

Ellebori nigri decoctum aut infusum: grana aliquot antimonij deuorata sanãt istas febres.

Hepialas febres.

HYoscyami trici, vel quatuor folia recentia cum vino pota sanant hepialas. Item, decoctum acori, fœniculi, asparagi, eupatorij, agarici sumptum frequenter.

Causus.

VSus frequens succi baccarum crespini, vuæ spinæ in iusculis, ribes vulgaris, cerasiorum acidorum: cremoris lactei, seminum melopeponum cucumeris, cucurbitæ: pulpæ auguriæ. Item, potentilla planti pedum & volis manuum admota causi feruorem temperant.

Circuitus febrium.

ARcent paroxysmum hæc, si paulò antè sumantur.

Sinapi in cibis, smyrnij semen, aut piper in potu, decoctũ rutæ, sagapenũ deuoratum aut haustũ, chamamilla in clystere, succus polygoni potus: folia quinquefolij ex dulci aqua aut diluto vino cum exiguo pipere pota.

Rigores febrium.

RIgores febrium hæc arcent aut saltem mitigant si sumãtur paulò antè accessionem.

Piper haustum, aristolochia rotunda pota, chalaminthæ decoctum potum, aut smyrnij semen & radix ex mulso haustũ. Laser cũ pipere & thure ex vino potum.

Item, abrotonum ex oleo illitum mustellæ sanguis, cinis vnguis asini ex oleo maceratus illitus.

Compositæ febres. Cap. 95.

FRequens vsus infusi rhei, agarici & foliorum sennæ.

Aqua stillatitia radicis gentianæ: semen ocymi cum semine portulacæ ex vino haustum.

Auicennas has pilulas commendat ad hemitritæum, Rec. aloës mastich. corr. myrobal. citrin. rhei, succi eupatorij, succi absynth. rosf. rub an. partes æquales, croci partem mediam, fiant pilulæ cum aqua end. & dosis sit ad sequidrachmam.

Smaragdus collo suspensus sanat hemitritæum, teste Alberto.

Item, corallium & crocum inclusa simul in fellis corio & collo suspensa, teste Sereno. Item, vox Abracadabra in eam formam descripta ac depicta, quam recenset Agrippa tertio lib. de Occulta philosophia: sic enim Samonicus.

Inscribis chartæ quod dicitur Abracadabra
His lino nexis collum redimire memento.

Præcautio pestis ac pestilentis febris.

Cap. 96.

AD pestis præcautionem hæc valent, Mirrhis bis vel ter qualibet die ex vino pota: decoctum radicis & foliorum valerianæ, aut menthæ, aut Dictamni albi, aut tormentillæ & bistortæ, aut cardui bened. aut scordij, aut scabiosæ, aut sanguisorbæ, haustum.

Succus baccarum crispini, aut vuæ spinæ, aut ribes vulgaris, aut mali citrei, aut aurantiorum acidorum.

Mirrha & caphura in formam catapotiorum hausta.

Aqua stillatitia foliorum quercus: aqua stillatitia florum limonij & aurātij: aqua stillatitia succi limoniorum: aqua stillatitia lentis palustris: vinum malorum punicorum ex oxalidis, aut intybi, aut borraginis aqua epota.

Cyanus herba & eius flores, scordij, galanga scabiosa quouis modo vsurpata.

Armenia terra ex oxalidis aqua pota.

Curatio pestis ac pestilentis febris.
Cap. 97.

SI quis peste correptus fuerit his vtatur remediis.

Semine pomi citrij puluerato & ex succo oxalidis poto.

Osse cordis cerui frequenter cum aqua cardui sumpto.

Succo radicis scorzoneræ & eadem radice puluerata sumpta cum aqua stillatitia cardui.

Cremore expresso ex cæpa excauata, theriaca & succo citrij repleta, sub cineribus calentibus cocta, hausto simulatque suspicio fuerit veneni pestilentis.

Caryophyllis deuoratis & conserua ex eorũdem floribus. Succo ex tota caryophyllorum planta vna cum floribus expresso & hausto. Aceto ex floribus caryophyllorum parato manibus & arteriis illito vbi prius insolatum fuerit.

Zedoaria commansa vel in potione sumpta. Radice succisæ viridis ac recentis ex vino epota.

Radicibus cruciatæ vtriusque quouis modo vsurpatis.

Aristolochia longa, radice dictãni albi,

radice imperatoriæ, radice vincetoxici, radice tussilaginis mai. radice pimpinellæ, radice angelicæ, singulis harum aut inter se mixtis quibusdam, sumptis cum theriaca aut cum suis ipsarum aquis ad ciendũ sudorẽ, aut ex vino meraco potis.

Succo galegæ siue rutæ caprariæ, addita theriaca pondere trium vnciarum epoto. Conserua florum rorismarini.

Chamedry à ieiunis quotidie in acetariis sumpta.

Scordio quomodolibet vsurpato. Aqua stillatitia sanguisorbæ: succo aut aqua stillatitia veronicæ maioris ad vncias duas vna cum drachma vna theriacæ ex vino meraco pota.

Calaminthæ aut scordij decocto sumpto. Armenia terra in antidotis addita.

Argento viuo præcipitato ex saccharo aut conserua rosarum deuorato.

Oleo è calchanto scriptuli pondere sumpto citato subinde sudore.

Ambaro sumpto cum aliquo puluisculo cordiali vt ossis de corde cerui.

Centaurio minore pisto & poto ex vino meraco. Oleo ex floribus persicorum, aut oleo de scorpionibus pulsibus brachiorum illito.

Cataplaſmate cordi impoſito ex theriaca, caphura, oleo de nenuph. ſucco citrij & limonum. Radice pimpinellæ collo ſuſpenſa: carbunculo rubino, granato, hyacintho, ſapphyro, agate geſtatis.

Anthrax. Cap. 98.

OBſeruandum primò, ſi galbanum ſuper partem affectam poſitum in loco illo remaneat eique adhæreat, patientem euaſurum: ſin minus contrà futurum.

Aduertẽdum porrò de Anthrace quod ſi appareat ex ſignis certis aliquid de materia anthracis eſſe in venis mẽbro apoſtematico vicinis, ita vt venæ videantur plenæ & virides, tangẽdam tunc eſſe venam illam membro propinquam. Hoc enim ſi fit, materia ad venas maiores poſteriores non retrogreditur, ſed potius tranſit ipſa ad membrum infirmum.

Vt vulgaris ſic vera opinio eſt: ſi circa diaphragma, punctura & ſudor frigidus ſentiatur, mortem in ipſo (quod aiũt) eſſe limine, maximè ſi in remotis partib. fuerit anthrax. Itẽ, ſi è regione cordis ſit: etiam lethale eſt. Tertiò, ſi diuerſi coloris fuerit, ſubitóque ſubſederit. Quartò, ſi quã-

do primum apparet, protinus ab homine, scalpendo rūpitur, haud est sine periculo.

Proinde obseruat. particularibus consentiētibus in ipsa parte affecta fiat phlebotomia, atque si sit in partibus superioribus, Cephalica: si in mediis, Mediana: si in inferioribus, Basilica secetur: & quidē semper secundum eandem partem. Quod si verò particularibus mīnus conuenientibus, haud possit fieri phlebotomia: reficiatur æger pane azymo & aqua. Porrò in nullo apostemate venenoso, materia repercutienda est: sed potius circa locum frigidis ei subueniendum, vt ol. rosato, viol. succo solatri, aceto, malor. granat. succo plantaginis & similibus.

Gilbert. Apium, oryza, pes columbinus multùm valent: si contra anthracem in opposito vel remoto emplastrentur. Attrahunt enim materiam venenosam.

Item, sapphirus si teneatur contra anthracem. Ruta, nuces & mel simul trita & emplastrata, apostema melancholicū siue phlegmaticum mirè dissoluunt.

Isaac. Nuces cum suis corticibus tritæ, & super vmbilicum positæ, apostemata omnia in corpore intrinsecꝰ fixa destruūt.

Nucleus nucis magnæ tritus cum so-

his rutæ & emplastratus manè seróque: haud dubie apostema quantumcunque durum rumpit.

Item, cardobenedictus, senecio & limaces pistentur simul & emplastrentur super apostema, ídque tum vel maturabitur vel resoluetur.

Exper. Radix consolidæ minoris trita inter duos lapides rumpit anthracem ac dolorem eius mitigat.

Dy. Corsanda alio nomine cauda equina minor (quæ stipitem habet submissum vel subrufum) trita ac superligata miro modo anthracem delet.

Gilbert. Mora terrestria bene matura cum melle & pane contrita apostema anthracis mirificè rumpunt.

Fermentum & herba nasturtij commixta, atque in emplastrū formata, eundem affectum citò sanant. Item, linaria trita ac superposita rumpit anthracem ac curat. Vel pimpinella ac linaria simul. Etemplastrum factum de stercore pauonis & impositum, fideliter curat.

Sic scabiosa potui cum vino data vel comesta, apostemata interiora ad exteriora educit, ac insensibili euacuatione soluit. Ad idem, Accipe radicem lilij,

ſuccum apij, vitellos ouorum crudor. ol. zinz. farinam frumenti, an. ad libitum, fiat vnguentum.

Et ſecundum Auic. nux grandior, frumentũ, caules decocti, cæpæ decoctæ, fimus columbinus, ſing. an. terantur, & fiat emplaſtrum.

Emplaſtrum maturans & attenuans apoſtema crudum & indigeſtum. Recip. ſucci ſambuci, ſucci caulis & rutæ, an. mellis, butyri, an. vnc. vna, farinæ ſiliginis q. ſ. fiat emplaſtrum.

Aliud Pariſiis probatum. Bibat patiens perforatam, deinde ex farina frumenti, ſucco apij & melle, fiat emplaſtrum.

Morſus venenoſorum. Cap. 99.

Pimpinella decoquatur, ac mane detur cum vino in quo ponatur puluis ſequens. Recip. Gentianam, chamæd, ariſtolochiam longam, pulucrizentur: & omnia hoc remedio venena fugãtur. Creber item vſus cæparum crudarum & porrorum multùm proſunt forâs venena eiiciendo.

Serap. Cerebrum gallinæ ſiue cor eius aſſumptum vel appoſitum, præ omni-

bus efficax est. Sputum quoque proprium abundè contra morsus venenosos valet.

Vngulæ bouinæ elixæ & cum sinapi comestæ omni veneno resistunt, vt haud alia opus sit medicina. Omnem puncturam venenosam stercus capræ cum melle temperatum & suppositum mirè curat.

Ventriculus ciconiæ. Item, vitellus oui cum sale tosto mixtus, ac bis vel ter suppositus in die, venenis multùm aduersatur.

Di. Radix cyclaminis emplastrata saluberrimè subuenit morsui venenoso.

Radix asphodelorum omne venenum protinus extrahit: ac mane sumpta ab omni cibo venenoso præseruat, adeò vt qui eam mane comederit, diem lætum traducat.

Isaac. Semen plantaginis cum vino sumptū omnes morsus venenosos sanat.

Præterea testa oui cum succo agrimoniæ potui data, statim per os promptissimè venenum qualecunque educit, mira facilitate omnes morsus curans.

Apes & muscæ si tritæ atque in melle & vino coctæ superligentur, venenum attrahunt.

Allium tritum & adusque rupturam appositum. Diptamus tritus & emplastratus vel bibitus: Item, serpillum potatum vel emplastratum efficaces medicinę ad dictum morbum existunt.

Cir. caro mulæ syluestris salitæ vna est de fortiorib. medicinis contra venena.

Auic. Baccar. lauri, terrę sigillatæ, ireos, an. æquales partes, cōfice cum oleo & da potui, cum impetu venenum extrahit.

Succus buglossæ clarificatus omnem venenum è corpore pellit.

Diosc. succus vel ipsa herba, vel radix siue puluis tormentillæ potatus continuò venenum quodcunque discedere cogit.

Item, cyathus fiat de orichalco: huic enim in mensa posito si appropinquauerit venenum statim incipit ipse diuersos recipere colores per lineas multas distinctos. Et sic omne venenum deprehēditur.

Idem, in electro naturali contingere isidorus, & alius quidam haud vulgaris rerum naturalium perscrutator edocent: idque obseruari per stridorem. In aspectu siquidē vel attactu veneni stridet ipsum, & varios iuxtà colores adsciscit.

Haly. Galbanū mirabiliter venenis resistit. Macer. Idem præstat coagulum

apri, itẽ sanguis agni tritus, siccus & potatus à venenis præseruat.

Proinde si quis prægustauerit allium, & biberit sanguinem galli calidũ cũ vino, immunis ac liber erit ab omni veneni noxa. Hypericon tritũ & emplastratum subitò super morsum serpẽtis, à parte cordis aliquantulum remota à morsu, nunquam permittit venenum sursum ascendere

Agrimonia potata cum vino contra morsum serpẽtis, canis & hominis rabiosi optima est.

Item, grana iuniperi morsum serpentis curant, & contra venenum valent adeò, vt non habeant sibi simile.

Variolæ. *Cap.* 100.

Vitentur fomentationes: item repercutientia & laxatiua omnia, carnes porcinæ: nec in parte inferiori adhibeantur infrigidantia ne coaguletur sanguis. Circa oculos tamẽ vtere repercussiuis ne exeãt per oculum, circa gulam gargarismis repercutientibus.

Variolas si quis sanare velit, eum oportet prius curare, vt omnes citò exeant. Id vt fiat, sequẽti vtere remedio. Rec. Ficuũ siccarũ, farinæ Lentiũ mũdatarũ, an. dra.

10. lactis, tragacanti, an. dra. 5. coquantur in la lib. 5. vini ad remanent. vnc. 4. colẽtur. Et de illo vnc. 1. bibatur ante cibũ, & in hora ipsa sõni donec omnes exierint.

Constantin. integrum corpus inuoluatur in aqua decoctionis lentium calida vel linguę canis: hoc experimento materia statim exterius trahitur.

Si fuerint rubeæ inuoluantur in pannis rubeis. Vitrum mixtum cum terebinthina omnem saniem attrahit. Item, de foliis basiliconis imple locum vlceris, & citò replebitur.

Fistulæ præcipuè cancrosæ. Cap. 101.

AD fistulam occidẽdam, lac tithymali misceatur cum axungia recenti porcina liquefacta: simul modicum bulliant vt incorporentur, hinc illis addatur puluis myrrhæ.

Exp. Vinum decoctionis anabullæ immissum perfectè curat.

Item, potentilla 30. diebus bibita, fistulis medetur.

Similiter succus pedis columbini exterius fistulæ iniiciatur, vel etiam intrinsecus potu assumatur.

Serpilium tritum cum sale & superem-

plaſtratum ad idem efficax eſt.

Item, ſtercus hominis vſtũ addito puluere piperis, præ omnibus aliis ad fiſtulã cancroſam confert.

Vel recipe ſuccum pedis columb. calẽdulam, millefolium, primulam veris (quæ piloſa eſt, terræ adhærens, florémque habens album, in medio rubeum) conſolidam minorẽ que naſcitur in pratis ac dicitur propriè prunella, chelidoniũ, & violariam. Omnia ſimul pulueriſentur, vel ſi placet, ſuccus ex illis exprimatur, & patienti exhibeatur.

Con. cinis de capite canis factus fiſtulam ſanat.

Si fiſtula ſit ingẽs, ſtercus caprinũ cum melle tepido apponatur, hoc omnem dolorem tumorémque ſoluit, putredinem remouens, vitiatóſque neruos expurgãs.

Item, tria capita herbæ quæ dicitur filius ante patrem continuè potata vel potata fiſtulam curat.

Decoctio mirabilis & pluries tum à me ipſo tũ ab aliis experta, quæ fiſtulam vbicunque locorum corporis interficit, & oſſa corrupta expellit Recip. radicem & folia vel ſemina ſinapis & ſummitates lapatij acuti, folia tormentillæ, radicem

altheæ maioris, pimpinellam, folia caulis rub. sing. an. tanaceti, q. s. Omnia coquantur in vino: cui postea percolato addatur mel in sufficienti quantit. vt potio dilucida fiat: quæ per calamum argẽteum fistulæ immittatur, superimpositis semper foliis cauliũ rub. Ad idem arnoglossa tusa atque immissa prodest.

Di. sanguis testudinis marinæ inũctus. Item, vt kyrannus docuit, Betonica trita emplastratáque: Item, succus pentaphylli fistulam omnem curat. Vel ad idem reple testam oui atramento & vitreolo, & fimo humano, comburantur simul. vt fiat puluis, qui fistulæ inspergatur.

Auripigmentũ, sulphur viuũ, calix viua, & sapo simul incorporata imponantur, citò mortificant fistulam cancrosam.

Item, succus pimpinellæ si immittatur ipsáque herba superligetur summum remedium est.

Puluis quo melius remedium mihi nequaquam est cognitũ. Semina milij, stercus gallinarum, an. comburantur in olla benè obturata.

Deinde tritis illis, adde salis partẽ tertiam, & fell. terræ quantum volueris, fiat puluis qui intromittatur fistulis, superimposita

posita theca de radice aristolochiæ.

Cir.potio mirę & incredibilis efficacię, quæ exhibita vulnerato (dummodò non prorsus lethalis sit fistula) 13. diebus, omnem immunditiem à fistula abstergẽs, optimè illam curat. Recipe caul.rub fœnicul. Petroselin. Abrotanum, tanacetum, fragar. folia rubeæ maior. herbam rob. plantag. apium, fol.cãnabis, artus muris. Coquãtur simul in vino albo, puro, & addito melle fiat potus, cum (quo postquam æger biberit) vlcus quoque lauetur.

Alia potio ad fistulam. Rec garyophyl. pimpinellæ, valeriã. pilosellę, herb. roberti, tanaceti, an. coquantur in vino albo & bibantur.

Puluis probatus Recipe agrimoniæ, vnc.1. piper, arnogloss. tartari viridis, an. vnc. totidem. Fiat puluis qui mundificato vulneri inspergatur.

Galenus in Dyoscori. puluis marmoris (qui aliâs sal petræ dicitur) itidem fistulã cancrosam occîdit.

Item, Rec. piper, allium, ficus siccas, radices petrosel. simul terantur & fiat emplastrum.

Ad idem, caput gruis & eius ventriculũ cum omnib. cõtentis exicca & fac pul-

uerem: ille inspersus non modò cancrum, verùm & alia vlcera dira curat.

Item, radicem lapatij, rufum semē habētis in fistulam immitte singulis diebus, donec non amplius aqua putrida seu nitrosa effluat. Tunc enim mortuam esse fistulam scito.

Ad eandem curandam thus mascul. cū vino veteri mixtum conducit. Item, pilulæ factæ de pul. aristolochiæ rotundæ, quantum scilicet tres digiti capiunt, mirum in modum conferunt educendo materiam per secessum.

Caryophyllata sæpè cum vino bibita & fistulæ emplastrata, absolutè eam curant. Idem facit polium montanum cum carduo benedicto & vino bibitū. Item, agrimonia, ac fimus colūbinus cum lacte caprino bibitus omnem fistulam sanant.

Ad cancrum prodest: Succus tapsi barbati cum melle coctus despumatúsque ad succi ferè consumptionem hinc addito pul. de psidiis & myrabol cācro impositus. Item, succus stercoris vaccini in iure vel vino iniiciatur, & fimus superemplastretur.

Fermentum infundatur in forti lixiuio per noctem, & postea apponatur: de pro-

fundo siquidem putredinem extrahit.

Lepra. *Cap.* 102.

AD curandam lepram confirmãdam, Accipe serpentem de monte aliquo sicco, & protin⁹ capite eius & cauda amputatis, ita vt sanguis omnis effluat, mundifica eum, interiora exenterando: hinc coquatur in vino, & caro comedatur, vini autem semuncia singulis diebus bibatur, tantisper dum ęger intumescat & caro eius turbetur, cutisque excoriari incipiat. Tandem ipse in stupa positus, cum oleo in quo vipera fuit cocta, vngatur & corpus eius totum renouabitur.

Auic. Serpens niger decollatus sepeliatur, donec vermibus repleatur, hinc exiccetur, & de hoc dra. 1. cum sirupo melleo singulis diebus leproso exhibeatur.

Item, frumentum infundatur in aqua decoctionis serpentis: & frumento illo vescantur gallinæ, & aquam illam iuxtà bibentes, ac decident earũ plumę: Deplumatæ autem ipsæ coquantur, & à leproso comedantur, qui aquam decoctionis quoque earum bibat, item manus, barbam, ac integram faciem suam inde lauet.

Item, serpēs ponatur in dolio vini optimi pleno & bene obturato: donec illud sit putrefactum: Et de vino deinceps illo leprosus bibat.

Scabies. Cap. 103.

Remedium quod vna die scabiē curare valet. Rec. picis liquidæ, vnc. 3. sulphur viui, nitri, thuris, an. vnc. 1. olei quod sufficit. Terendo cōficiantur & vsui reseruentur.

Exper. cortex bedagar tritus cum aceto & super appositus omnino tollit scabiem & morphæam.

Item, ellebor. alb. leuisticum & fœniculum bulliant in vino, cum quo impetigines ac serpigines lauentur.

Vnguentum prætiosum & expertū cōtra scabiem. Rec. argenti viui, drac. 2. euforbij, vnc. 1. Staphisagriæ, semuncia: lythargyr. vnc. 3. axung. lib. sem. fiat vnguētum, quo patiens inungatur ad solem vel ignem post nonam, à parte cubitorū posteriorū ad tres inferiores vsque digitos, donec videatur tibi phlegma viride ad eucomitum velle, vel ad inflaturam frontis ascēdere: tunc enim desistendum: sin minus per integrū diem: & deinde fomente-

tur stomachus cum aqua decoctionis rorismarini & saluiæ. Post triduum, fiat balneum cum aqua decoctionis enulæ & lapatij, & super loca vncta ponatur pannus lineus crudus, ne videlicet vnguentũ tangat reliquas partes corporis. Hoc remedio plurimi, qui leprosi videbãtur restituti fuêre.

Ad malignã & inueteratã scabiẽ remediũ probatiss. Rec. sulphuris, ellebor. alb. argent. viui, cumini, an. drach. 2. staphisagriç drac. sem. incorporẽtur cũ vn. 6 axũgię porcinæ vetustissimæ. Itẽ, succi summitat. raphani, vnc. 6. aceti, ol. an. vnc. 3. aloë admixta cõficiãtur in modũ vnguẽti. Emplastrum factũ de alliis diutissimè tritis cum axung. porc. omnem scabiem curat in tribus appositionibus.

Item, gallus, qui post tridui ieiuniũ comederit bufonẽ, interfectus coquatur in vino optimo. Et vino illo colato, addito prius melle crudo, æger singulis diebus vtatur. Gilbert. aqua de qua mortu⁹ fuit ablutus, scabiem malignam virtute acquisititia sanat, si cum illa caput lauetur.

P. Lu. Idem folia lilij trita ac emplastrata præstant.

Item, vitriolum citrinum cum aceto

temperatum exiccetur, idque tertio fiat: hinc torreatur pulueriseturque. Puluis ille appositus est efficacissimus.

Si capilli radic. porro, torrefacto emplastrentur super glādulas, vnde scabies maligna oritur: apposito prius vnguento sequenti, Rec succum folior. porri, oleum, & cerā, misce & inunge. scabies sanabitur. Pānus quoque lineus in seuo liquefacto infusus suppositúsque pustulas tibiarum, aliásque optimè curat, sicut aliquoties expert⁹ fui. Aliud ad pustulas tibiarū, coque cepam, anethum, & percolatis hisce super ignem adde colophoniā, thus, myrrham, mastichem, lytargyrium, velut emplastrum appone. Item, medulla panis fermentati trita ac distemperata cum melle & vino, bulliat probéque misceatur. Et in illo decocto infundatur pānus postea apponendus.

Sanguinis missio de vena quæ est inter maiorē articulū pedis & partis patientis, scabiē & pustulas illius partis remouet.

Exper. ficus siccæ præpingues cum flore æris tritæ & appositæ intentissimis doloribus tibiarum subuenit.

Radix lapatij cum axungia porci cocta

tritæque & Mercurius viuus cũ saliua & cineribus extinctus misceantur & inungantur.

Aliud. Recipe, staphisagriam, sulphur viuum, lithargyrium. Puluerizentur vt fiat vnguentum, quo inungaris, deinde aliquoties laua: hinc rursum inunctus secundo laua, donec curatus sis.

Ad idem, zinz. ruta, rubus, solatrum, radix lilij domestici terantur cum albũ. ouor. & aceto, an. deinde colentur, atque colatura inungatur.

Flores tithymali cum aceto coque & addito oleo inunge: Lepram, scabiem, & omnem pruritum sanat.

Vnguentum quo si vngantur volę manuum ac pedum plantæ, certo scabies omnis aufertur. Recip. ol. laur. vnc 3. thuris alb vnc. 2 ceræ puræ, vnc. 2. Mercurij cum sputo mortificati, vn. 1 axung. porc. vnc. 5. salis marini benè triti, vnc. 8. succi plantag. & fumi terræ, an. ad libitum. Misc. & fiat vnguentum.

Item, serpens cum sale assatus in olla obturata cremetur, vt fiat puluis qui detur contra desperatam scabiem.

Scrophulæ & glandulæ. Cap. 104.

AD ſcrophulas & ſtrumas auferendas. Recipe lolium, ſulphur viuum, ſem. lini fimum columb. & in vino decoque ac ſuppone.

Item, fimus columb. ſulphur, ſemen lini & nigella, trita coquantur cum vino puro & emplaſtrentur.

Aliud: Pix & axungia porci liquefiant, & addito ſulphure viuo & furfure frumenti, fiat emplaſtrum, quod ſcrophulis colli & gutturis ſupponatur.

Radix lapatij cocta cum vino & cataplaſmatis loco adhibita ſcrophulas diſſoluit.

Eadem radix collo ligata ſcrophulas naſci non permittit.

Radix brioniæ cum axung. & fimo columb. mixta ad idem efficax eſt.

Radix cucum. aſin. cum polenta, trita & emplaſtrata omnem duritiem tollit.

Ouum benè coctum piſtetur cum lacte anabulæ, & potui detur per triduum manè & ſerò.

Gilbert. Recipe fimi columb. caprin. bouin. lytarg. cineris radic. caulis, ſem. raphani, armon. galbani, amygd. amar.

an. conficiantur omnia cum pice & modico oleo antiquo vel axung. antiqua, ſcropulas citò diſſoluit, maximè ſi præceſſerit purgatio cum turbith.

Eiuſdem virtutis eſt ſemen ſinapis tritum cum axung. antiqua piſtatum & emplaſtratum.

Similiter plantago trita & ſuppoſita cum ſale ſcrophulas diſſoluit.

Item, farina fabar. cum ſucco coriandri emplaſtretur. Eadem quoque farina cum album. Oui & oleo veteri emplaſtrata prodeſt.

Item, ſuccus herbæ S. Mariæ & agrimoniæ mixtus cum vino rubr. omni die detur à principio Martij vel Auguſti donec ſanetur.

Vel aſſumat patiens per 9. dies decreſcente Luna ſuccum agrimoniæ & ſerum lactis vacuo ventriculo. Sæpius probatum fuit.

Puluis piperis nigri aſſatus cum pice dura confectus infantium ſcrophulas ſanat. Idem efficit ficus matura cocta emplaſtrataque Item, liquiritia tuſa eodem modo adhibita.

Dy. cum mulier quædam à S. Dominico (vt fertur in illius vita) peteret vt

mederetur scrophulis, quibus ipsa infecta erat: quæsiuit ille ex muliere vtrum nouisset æs viride, lapatium, pyrethrum, succum porri, & illa hoc annuente, iussit vt cum succo porri reliqua conficeret, & cum bombace apponeret. Idque cum mulier faceret, denuò restituta fuit.

Diosc lamina plumbi strictè ligata super glandulas, illas ipsas delet.

Ad idem, cinis plumarum de alis columbæ & hyoscyami adusti, confectus cum pane, & appositus, scrophulas colli resoluit, & absque ferro consumit.

Aliud. Rec. succum lilij agrestis, euforb. puluerizatum: misc. & fiant pilulæ nu. 6. quæ manè assumantur: idque fiat per 30. dies.

Vel Rec. radicem & sem. lilij tere cum aceto & addens fimum columb. fac emplastrum. Item, fel testudinis siue marinæ siue syluestris. Item, sanguis mustelæ: Itē, raphanus, scrophulas discutiunt.

Et folia persici cum sale trita atque imposita optimè conferunt. Similiter oleum in quo viua lacerta fuerit decocta, præstantissimum est. Ad glandulas etiam tollendas sulphur & fursur frumenti mixta cum terebinthina emplastrentur.

Ad idem confert semen lentisci cum vino subtili datum.

Item, calx viua cum oleo vel axungia porci temperata.

Verrucæ & porri. Cap. 105.

AD tollendum verrucas: pedes gallinarum super prunas calefiant donec coriũ, ceu cutis inde separetur: & cum hoc corio calido verrucę fricẽtur.

Exper. cortex salicis combustus & cũ aceto temperatus, appositusque verrucas & porros curat: Idem efficit succus folior. salicis inunctus.

Et agrimonia cum forti aceto & sale trita emplastrataque.

Item, portulaca fricata verrucas sua proprietate eradicare potest.

Auic. incide vitem viniferam in parte subtiliori, & aquam effluentem in potu exhibe, vel verrucis superline.

Item, stercus Aquilæ circum ligatum vel inunctum iisdem viribus pollet.

Item, euforb. bdellium bulliant in oleo laur. & applicentur.

Gilbert. auripigmentum cum aceto mixtum suppositumque optimè cõducit.

Gilbertus & Constant. singulas verrucas tange cum singulis ciceribus, deinde inuolue ciceres omnes in panno & post tergum proijce. Idipsum Serapio in mensium calendis faciendum esse præcipit.

Preterea gummi hederę easdem aufert. sicuti & succus tithymali appositus, abscissa tamen prius verruca.

Verrucæ eradicentur cum calce extincta, vlcus deinde curetur cum oleo liliaceo.

Ambusta. Cap. 106.

AD curandam combustionem ignis vel aquæ calidæ pili leporis minutim incisi atque superaspersi plurimùm prosunt.

Con. Si ambusta sint ab igne, radicem filicis combure, & cum album. oui appone.

Item, oleum nucis & ceram æqualiter misce ac inunge.

Vel calcē viuam nouies in aqua ablue, & vltimæ aquæ residentiam misce cum oleo communi, fortiter agitando.

Ad idem, atramentum surorium cum aqua & oleo cōmuni pistetur & inūgatur.

Diosco. radix lilij cocta super prunas, & cum ol. rosato resoluta admodum efficax est in cicatrizanda ambustione ignis.

Pellis muris recens imponatur ambustioni donec sanetur.

Item, fimus columbinus comburatur in panno lineo, & mixtus cum oleo rosat. apponatur.

Macer. Recip. succi liliorum, partes 5. aceti, part. 1. & mixtis inuicem vtere.

Exper. cinis cucurb. siccæ aspersus optimè sanat ambusta. Idem facit cinis corticis vlmi.

Et pro certo idem autor tradidit, quòd si recenti adhuc combustioni vitellus oui crudi superlinatur, illam protinus sanari.

Item, albumen oui crudi, & oleum oliuarum tandiu simul agitentur, donec fiat vnguentum quod illinatur.

Item, membrum ambustum ponatur in vino tepido, ne in profundum combustio radices agat. Vel stercus bouinum tepidè supponatur.

Ad idem, oleum quoque de vitellis ouorum præstans est.

Item, cinis de testa testudinis siccæ. Item, folia platani viridia trita & emplastrata conferunt.

Similiter porrum elixatum appositúmque est optimum.

Et folia altheæ in oleo cocta & emplastrata, ambustiones sanant.

Ignis sacer. Cap. 107.

AD ignem sacrũ euacuatis primum adustis humoribus: Oua cruda illinas imponens simul folium bletæ: & sanitatem velocem miraberis.

Con. cornu capræ vstum teratur cum aceto & scylla, & inungatur.

Item, alsita aut fimus columbinus oleo solutus, & cum panno in illis madefacto appositus: expertissimum & fortissimum remedium est.

Sal cum oleo tritum appositumque, ignem sacrum extinguit.

Chymolea illita eundem affectum citò sanat. Idem affectus in principio statim cum sapone sarracenico inungatur.

Ad idem conuenit puluis pilorum leporis vstorum.

Infixa corpori extrahenda. Cap. 108.

LIgnũ, spinam & cætera infixa abrotanum cum axungia tritum extrahit.

Item, fimus anseris suppositus, lignum & ferrum infixum eijcit.
Alex. succus quoque betæ & Dictamni cum dicto fimo confectus, idē præstat.
Item, aristolochia trita & super apposita: Item, semen rutæ.
Gilber. cinis hirundinis vstæ cum aceto temperatus, qualiacūque infixa extrahit.
Idem efficit polypodium tritum cum axungiæ porcina.
Et gladioli radix tusa suppositáque. Sicut helebori quoque radix.
P. Lu frondes papauer. agrest. & ficus immaturæ emplastratę, ossa fracta extrahunt. Isaaci testimonio beronica. D. Radix peucedani, id est, fœniculi syluestris, ossa contusa excludit.
Discor. cinis vermium terrestrium cum melle crudo suppositus vulneri, ossa minuta expellit.
Item, allium elixatum tritumque & cum pice adhibitum, omnia, quæ in vulnere aliquo continentur, educit.
Similem virtutem obtinet spolium serpentis cum axungia leporina tritum.
Radix enulæ cum pingued. cyrogrilli & melle temperata, sagittam, spinam, & similia expellit. Id quod & lolium tritum

& pistatum efficacissimè potest.

Con. cinis lumbricorum tritus, & cum melle coctus & adhibitus, ossa fracta extrahit.

Macer. Si os capitis fractum fuerit, protinus patienti in potu exhibe violas cum vino tritas: & si dextra pars sit læsa, violam contritam liga super plantam pedis sinistri, sin sinistra, sub dextri: Et eodem die os exiliet.

Potiones percussorum. **Cap. 109.**

AD potionem pro percussis. Rec. beton. agrimon. folior. fragar. asari, violar. linguæ bouis, ambrosiæ, Quinquineruiæ, pentaphylli, hyperici, pimpinel. maior. singulor. an. M I. trita coquantur in lb. 3. vini & mellis q. s. colentur & additis centum gran. piperis, bibantur. Quantò frequentius æger hoc potu vtetur, tantò celerius restituetur. Deinde. Recip. succum apij, album. oui, pul. thuris & farinam frumenti. Conficiantur & vnguenti instar apponantur.

Alia potio laudabilis. Accipe agrimoniam, beton. saluiam, plantag. folia hederæ, herbam venti. pistentur & conficiantur pro potu.

Alia.

Alia. Recip. pilosellæ, betonic. sanæmundæ, an. M. I. rubeæ maioris ad quātit. omnium, fiat puluis cum vino albo decoquendus: de quo æger ter in die bibat, quantum oui testa capere queat.

Ebrietas fugienda.

PAlladius. pulmonem ouis ante cibum assume, & quantumcunque postea biberis, non senties ebrietatem.

Item, assume cinerem hirundinum combustarum, & in æternum non eris ebriosus.

Vini correctio.

SI vinum sit turbidum, & velis illud clarificare, puluerem gypsi subtilem in dolium immitte, deorsum siquidem in fundum tendens secum trahit omnem fœculentam materiam.

Idem fit, si albumina ouorum cum melle multum agitata in vino posueris.

Item, radix filicis immissa in dolio, non patitur vinum acescere.

Exper. cinerem vitis albæ in vino rubeo pone, & fiet album.

Et econtra, cineres vitis rubeæ vinum album faciunt rubrum.

Item, folia vel radices altheæ vinum molle reddunt austerum.

Malleficiæ tollendæ & Demones fugandi.

HYpericon si in domo suspendatur, fugantur eo maleficia & dæmones: vnde etiam fuga dæmonũ dicitur.

Magnes lapis gestatus, tollit discordiam inter coniuges.

Vulturis cor portatum, fugat omnia dæmonia à proprietate, & omnes feras, & facit gratiosum omnibus hominibus, & abundantem diuitiis.

Pica auis assata vel elixa, & comesta, velocem sanitatem ægrotis reddit, & maleficia, etiam in iis qui à creatione fascinati sunt, soluit.

Item, fiat suffumigium cum dente hominis mortui trito.

Itẽ, si sub ceruicali, vel sub limine ostij per quod dæmonium ingreditur, supponatur calamus, vel auellana, in quo sit argentum viuum inclusum, maleficium soluitur.

Sanguis nigri canis, omnibus parietibus domus, in qua est maleficium, illitus,

tollit ipsum. Idem facit scylla integra in limine domus suspensa.

Si quis ad aliquam, vel aliquem, nimis amandum, maleficiatus fuerit, tum stercus recens illius quem, vel quam, diligit, ponatur manè in ocrea vel in calceo dextro amantis, & calceet se, & quamprimum fœtorem sentiet, maleficium soluetur.

Artemisia super limine domus suspensa, facit vt nullum maleficium domui illi noceat.

Antirrhinon herba super limine ostij suspensa, protegit ab omnibus maleficiis.

Bryoniæ radicem si tecum gestaueris, omnia maleficia abs te effugient.

Coniuges semper concordes erunt, si vir cornicis masculæ cor, & vxor cornicis fœminæ cor, secum gestauerint.

Eryngij radicem qui secum portat, nūquam dæmonum insidias experietur.

Eadem radix, si sub vestibus dæmoniaci ponatur, tum dæmon confitebitur quis & vnde sit, & fugiet.

Vpupam viuam seca, & cor eius adhuc palpitans deglutias, tum omnia secreta & futura in mentibus hominum scies.

NVNC itaque ad finem labore nostro perducto, ore te Domine IESV CHRISTE, qui vera salus es omnium, qui mihi seruo tuo operandi scribendique voluntatem, & perficiendi facultatem, ad tui honorem, & hominum maximè pauperum utilitatē, dedisti, ut hunc libellum à maleuolorum iniuria protegas, & eos qui salutis remedia fideliter & cum iudicio in eo quærent, clementer conserues, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per omnia secula seculorū. Amen.

FINIS THESAVRI PAVPERVM.

IACOBI SYLVII MEDICAE REI APVD PArisios interpretis Regij Libellus de Peste & Febre pestillẽti.

Quid pestis, pestillens febris & earum caussæ.

PESTIS, est morbus communis vulgariũ perniciosissimus, ab aëris substantię corruptione è sublimi cœlitusque demissa: cum febre cõtinua carbunculo conspicuo vel latente, tumoribus axillarum, inguinũm, auriũ phlyctenis aliisque horrẽdis symptomatibus, qui potissimam partem hominum quos corripuerit, trucidat.

Febris pestilens est incendium quod præcedit aut consequitur illos tumores qui pestis sunt certissimi characteres: ita vt hoc discrimen inter pestem & pestilentem febrem statuere liceat, quod pestis re vera ac proprie sint bubones ac carbunculi cæterique huiuscemodi tumores à venenata aëris corrupti pernicie prodeũtes ac erumpẽtes extra corpus aut delite-

ſcentes in corpore: febris vero peſtilens eſt calor ille præter naturã qui præcedit, aut ſubſequitur tumores illos pernicioſos: non autem, quemadmodum nonnullis viſum eſt, peſtis, eſt aeris venenata qualitas ceu corruptio, peſtilens vero febris, morbus qui ad eã aeris venenatam qualitatem ſequitur: cum aeris venenata qualitus cauſſa morbi peſtilentis non peſtis ſit: Peſtis peſtilentiſque febris cauſſæ duę, vna aeris corrupti ac inquinati venenata qualitas: altera humorum in corpore contentorum putredo aut ſane ad putredinem promptitudo: quarum alterutra ſeorſim ac ſola, licet paulò tardius, ambę tamen ſimul iunctę & citiſſime & potentiſſimè peſtẽ peſtilentemque febrem poſſunt committere: Quare vtrique cauſſæ occurendũ, vt ab huiuſcemodi pernicioſis ac calamitoſis morbis noſtrã valetudinem ſartam tectã tueamur.

Aëris correctio.

IMpuritas aeris expugnãda ac abigẽda venit luculento igne ex lignis odoratis accẽſo: aſperſis per ſolium cubiculi foliis ac floribus beneuolentibus roriſmarini, maioranę, thymi, ſatureię, hyſſopi, ſaluiæ,

lauri, iuniperi, geniſtæ, calēdulæ, toſti, origani, calamēthi, polij, menthæ ac ſimiliū: ſuffitibus aromatū ſelectiſſimorū, in quibus vis ſit confirmandorū ac roborādorū ſpirituum vitaliū, animalium & naturalium, qualia ſunt cinnamomū, cortices limonū, citriorum, aurēgiorū: Caryophylli, nux moſcata, cyperus, grana iuniperi, baccæ lauri, radix valerianæ, myrthus, ſtyrax, ladanū, lignum aloes, & huiuſce generis, ex quibus in puluerē paulò craſſiorem redactis parentur ſuffitus: in tenuiorem, fiant Aniculæ cypriæ, trochiſci lupinares: In tenuiſſimū, conformētur poma odorata: Renouandus quoque ſæpiſſime aer cubiculi apertis eiuſdem feneſtris aquilonem ſpectantibus: Expurgandus habitationis locus rebus omnib⁹ fœtētibus, putidis, aut fœtere promptiſſimis: Exhaurienda frequentiſſime ſentiua domus, ac cloaca: Non relinquenda pro foribus domus lociſque vicinis animalium qualiūcumq; demortua corpora, non etiā ibi ſinēdæ aquę quieſcere, ſtare, dormitare, lutoſę ac cœnoſæ fieri, multomin⁹ ſordes domus, vicorum cœnum, vrbiūq; publicas ſentiuas paſſim putredinem cōtrahere permittendum, potiſſimum verſus.

meridiem, & cum aër aut ventus aliquis calidus ac humidus spirat: Quod si horum omnium tibi non suppetat facultas: nec per tenuitatem fortunæ, aut loci iam diu tibi familiaris ac domestici incōmoditatem, hac arte aëris pestilentis perniciem ac putredinem emendare possis, natiuum ac vernaculum solum mutabis: venenat⁹ enim ac inquinatus aër, si quid aliud, potentissimas vires obtinet ad excitendos huiuscemodi morbos pestilentes: Huius igitur contagionem quam citissime vitabis, longissime ab eo recedes, & ad eum quam tarde ac sero poteris, redibis: Hoc habe ad prioris caussæ præcautionem.

Putredinis humorum præcautio.

VT humores tui corporis ab omni putredine vindices, cibariis optimis, pane cādidissimo ex puro ac nitido tritico confecto, probe fermentato, exacte pertrito, salis aliquid recipiente: piscibus recentibus aut certè non vsque adeo inueteratis, non vitiatis, non fœtidis, aut putredini ac fœtori obnoxiis vtitor.

Vino generoso tenero, leni, non aspero, non secundario, non præliganeo, nō tortiuo, non fæcato, non pergulano, non de-

fruto, non mixto, non turbulento, non fugiente, non muſcido, non vappa.

Oleribus in ſabuloſo ſolo, Orienti ſoli obiecto, mediocriter riguo, ac bene excul to, nõ paluſtri, aquatico, limoſo, fimo plurimo pinguefacto, nõ in æſtuariis immũdas ciuitatis aquas excipientibus, ſuccreſcentibus: Carnibus non ſalitis & muria cõditis, nõ multũ ſpeciatis aut fumo exic catis, non paſta ad diutiorẽ conſeruationẽ occluſis, non porro, cępis, ſinapi conditis, non porcinis, hircinis, vaccinis, ceruinis, leporinis, ſed potius gallinaceis, veruecinis, perdicinis, vitulinis, aſſis potius quam frixis aut elixis, cõditis cũ omphacio, aceto, ſucco oxalidis, citri, limonũ, malorũ medicorũ: Aquis nõ lacuſtribus, nõ ſtagnãtibus, nõ turbidis, nõ ſalſis, non niuoſis, nõ paluſtribus, ſed fluminum rapidorũ, è medio ipſorũ alueo & antequã vrbes ingrediãtur hauſtis, deſumptis quoque ex iis fontibus qui ad orientem ſpectant, aperto ſoli ſunt expoſiti, ſabuloſoq; decurrunt alueo, ſin minus, per aliarum inopiam pluuialibus, ciſternis optime inſolatis & arena aſſeruata conſperſis, aut puteanis, maximè quæ ex profundiſſimo puteo, editiore loco ſito, non operto ſed

aëri ſolique liberrimo expoſito, atque ex quo frequẽtiſſima aqua hauriri cõſueuit.

Fructibus paucis iiſque acidis, vt ceraſis groſſolariis, prunis Damaſcenis, citriis, limonibus, paſſulis: Itẽ, nucibus, ficubus, amygdalis, oliuis, capparibus, alliis (quæ ruſticorum theriaca dicũtur) ſed parcis.

Vitabis omnia lacticinia, aut ſi lactis vſus tibi arrideat, ſolo lacte vtere, nec illi vllos cibos admiſceto, alioquin corruptelã aliis cibis adferes: abſtinebis quoque à dulciariis, placentis, itriis, libis, gaſtellis, turtis, paſticiis ac infarctis carniũ. Oua gallinarũ dũmodo recẽtia ſint, tremula, ſorbilia, nõ dura neque frixa ſalubria tibi futura ſunt: anſerũ autẽ anatum, columborũ, teſtudinũ atque indicorũ pauonum inſalubria omnino, tẽpore peſtilẽti: potiſſimum poſtrema hæc, quæ venenata ſua ſubſtãtia & qualitate peſtilentẽ morbum inducere exiſtimãtur. Parca manu cibos ſumes parciore cœna quã prãdio: bis die tantũ comedes, exibiſque è mẽſa famelicus, citrã famẽ tamen quam tibi iſta tempeſtate nocentiſſimam eſſe ſcito: nec ieiuniũ in longum tempus protrahes. Potus eſto tibi parcus, iſq; dilutiſſimus, hauriendus ſi facultates liceat è poculis auratis

aut argẽteis: sin minus iuniperinis, fraxineis, tamariscinis: & in aqua qua vinum diluetur auri scobs ignitus extingatur ex consilio macrobij. Somnus sit cõsuetus, non pomeridianus nec nisi duabus horis post cœnã in lectulo molliori, hyeme: paulo duriori æstate: in linteis lineis maceratis ac ablutis prius in lixiuio parato ex herbis fragãtibus, deinde occlusis ac asseruatis in arcula herbis bene olentibus referta. Surrecturo fricetur totũ corpus linteo satis aspero à tibiis & coxis sursum versus primũ, deinde à ceruice ad spinam & brachia deorsum versus: Expegefactus totum os ac faciem collues aqua rosacea & vino simul mixtis, aut aceto caryophyllato: ac antequam domũ egrediaris hauries tria cochlearia vini de absynthio aut de betonica, vel potius, in quo per dies aliquot macerata fuerit radix angelicę aut imperatoriæ, aut aliud quod vim habeat cardiacam ac bezoarticam. Exercitatio sit pro consuetudine, minor tamen quam alio tẽpore: & ea quidem in qua nequid nimis: Venus nulla sit aut rara, mens omni pathemate omnibusque curis soluta, aluus satis facilis ac libera.

Et quoniam, cum corpora vitiosis plena

ſunt excrementis, quo plus ea nutrias eo grauius læſeris, imprimis, ſi qua ſit tui corporis impuritas leui cathartico ſæpiſſimè eluenda venit: nimirum pilulis communibus confectis ex aloë lota, aut ſaltem ſi aloë lota non ſit, hauſtis, ſtatim à pilulis deuoratis, tribus cochleariis ptiſanæ vel ſeri lactis, vel ſucci oxalidis: ea quidem cautione vt augeatur vel minuatur harũ pilularum doſis pro ætate, viribus, ac natura cuiuſque. Iterandæ verò illæ ſunt ſingulis fermè hebdomadis põdere drachmæ vnius: quod commodius magiſque ex vſu fore videtur, quam ſi ſingulis matutinis vnica deuoretur pilula: quod ſi ruri degas aut per tenuitatem fortunæ reique familiaris anguſtiam hiſce ſumptibus non poſſis ſufficere, ſumito tartarum, id eſt ſpumam vini quæ dolij vinacei lateribus adhæret, illud in ſubtiliſſimum ac tenuiſſimum puluerem redigito: è quo puluere vna cum vino cõdimentum (Diuinenſi ſapidio non abſimile, licet palato gratius ac ſalubrius) parare poteris, quod abſque vllo caloris empyreumate purgat, quod in hoc affectu imprimis optãdum: harum pilularum cõdimentíque huiuſce loco propinabis diuitibus ac pinguioris

fortunæ hominibus dilutum aut infusum rhei aut alterius huiuscemodi medicamenti pro natura ac viribus cuiusque ægrotantis, & vt assidentis medici doctrina ac prudentia suadebit.

Pueris verò sorbendam præbebis mannam in iusculo carnis gallinaceæ, aut oxymelite galeni pauco aut aqua hordei, aut ptisanæ, aut lacte consueto ac familiari, aut aqua rosarum dissolutam.

Quod ad phlebotomiam attinet, ad præcautionem nullomodo ea conferre videtur, quia exhausto sanguine perspirabile fit corpus externisq; iniuriis magis peruiū redditur: quinetiã vires fiunt debiliores, detracto sanguine qui vitæ pabulum ac thesaur⁹ est: si tamen adsit plethora, ætas cõsentiat, sitq; suppressa aliqua naturalis vacuatio vtiliter mitti poterit sanguis ĩdq; quatuor diebus ante plenilunium, & parca manu, vt liceat largiore, vrgente propter pestem necessitate.

Spirituum partiúmque nobilium confirmandarum ratio.

VBi aëris externi contagio ac pernicies remediis supradictis edomitæ repressa, totiúsque corporis impuritas.

tum cauta ac salubri victus ratione, tum opportuno catharticorum vsu expurgata fuerit, spiritus præ cæteris occurrunt, qui non solum veniunt recreandi suffitibus ac pomis illis bene olentibus iam ante explicatis, sed etiam omni præsidiorum genere, in quibus vis sit refrenandæ putredinis aëris, augendorum spirituum, omnis occasionis auertendæ ne qua humorum impuritas succrescat in corpore: roboris denique conciliandi, augendi, ac restaurandi vtriusque cordis vitalis scilicet & stomachici: hyemis ergo tempore contine ac voluta ore interno frustulum aliquod cinnamomi, caryophyl. nucis moschatæ, zingib. zedoariæ, galangæ, radicis angelicæ, imperatoriæ: æstiuo cœlo misce hæc eum rosis, violis, sandalis: aut eadem in aceto communi, rosaceo, aut acerrimo macerato: ex vsu quoque fuerit ore continere vel internis indere naribus fœniculi viridis vmbellã, ea quidem tam exigua quantitate, vt inde non impediatur respiratio: aut ore cõtinere semen fœniculi, anisi, aut frustulũ radicis enulę camp. condîtæ in melle aut saccharo vel in vino, aut quod præstiterit in aceto fortissimo maceratæ: quinetiam frustulum

aliquod opiatę aut trochiscorum, aut electuarij nostri, quorum omnium conficiendorum formulas mox explicaturi sumus: Omnia denique amara obsistũt putredini, vermésque enecant à quibus sæpenumero pestis febrísque pestilẽris caussæ suboriuntur ac succrescunt in corpore: hæc ob id salubria ac vtilia futura febri pestilenti expugnãdæ, cuiusmodi sunt radices, folia, ac flores cynaræ, caryophyllatæ, cardui benedicti, rutæ, saluiæ, hyssopi, chamedryos, chamamillę, fumiterrę, cornu cerui herbę, absynthium, abrotoni, cupressi humilis, menthæ, balsamorum omnium, enulæ campanæ, centaurij minoris, arthemisiæ, hormini, radicis gentianæ: rhubarbarum, myrrha, aloë, nuclei persicorum, cerasorum, prunorum, amygdalarum amarum, nuces virides conditę: ex horum quibusdam opiatam aut conseruam potes conficere: alia verò macerare in aceto communi fortissimo aut rosaceo, aut in vino atro ac crasso cœlo frigidiore, huiusque vini propinare vnum aut alterum cochleare singulis matutinis quatuor horis ante pastum.

Dioscorides, Galenus, Plinius omnésque monspessulani opiatam conficiunt

ex ficu integra per medium secta, dimidia nuce veteri in mediam ficum imposita & quinque aut sex foliis rutæ: ídque totum tempore pestilenti singulis matutinis deuorant, alij quidem crudum, alij vstulatum ex cuspide cultelli super ignitos carbones.

Græci quinque aut sex persicorum nucleos iam veteres in mortario conterunt, eósque cõtritos hauriunt cum succo sonchi ceu cicerbitæ vulgo lacteronis aut herbæ cuniculi nominatę duabus saltem horis ante pastũ matutinum: eo quidem consilio atque industria, vt succi sonchi sorbitione sanguinis feruor ac incẽdium temperetur, & ne, quæ nucleis percisis aliísque simplicibus subest amaritudo, commoueat aut plus æquo sanguinem excalfaciat: ob eámque caussam videas quamplurimos monspessuli singulis matutinis aut etiam pomeridianis ac vespertinis horis longe à pastu deuorare solitos folia aliquot oxalidis tũ domesticæ, tum syluestris qualiscumque ea extiterit: alios quidem sola folia nullo succo condîta: alios in aceto aliquandiu macerata: nonnullos initio ac fine pastus in acetariis parata: multos in iusculis, sed parũ cocta: quosdam

quosdam eorum succum ex foliis pistis ac contritis expressum iusculis elixarum carnium permiscere, plurimos succum ab illis expressum sorbere: alios vice condimenti ceu salsæ cuiusdam eorum, succo vti: Etenim in oxalide quemadmodum & in cæteris acidis, vinosis & acerbis vis est mirifica refrigerandi sanguinis, indéque arcendę putredinis, è qua febris pestilens suboritur, & reprimendi feruoris ac incendij sanguinis, vnde carbunculi nascũtur: easdem vires obtinent pimpinella, lactuca dummodo illę in solo fimo copioso subacto ac pinguefacto, aut in ęstuariis quibusdam immundis non succreuerint (quales existũt fermè omnes escarię herbę & vina quę in tractu Parisiensi progignuntur, vnde diuini numinis beneficentiam non satis suspicere ac admirari licet, quod nõ sępius ac crudelius ibi grassetur pestis) spinacia, portulaca potissimum syluestris & vinacea, cucumeres, mellones in solo sabuloso sine fimo solíque ac ventis exposito progeniti ac educati. Conferunt hîc quoque hordeum mũdatum decoctum in modum pisorum aut tritici cum lacte vaccino deuoratum: mala medica acida aut acidodulcia, ma-

la armeniaca acida aut acidodulcia, crespini baccæ siccæ aut saccharo conditæ, cerasa condîta, omphacium condîtū, persica sicca aut condîta, apricoca sicca aut condîta in aqua madefacta, pruna omnis generis, lactucę cōdîtę: syrupi de agresta, de granatis, de limonibus, succi vel aquæ stillatitię limonum, citriorum, pomorum, de ribes, grossularū rubrarum, oxalidis, violarum, rosarum acetosarū: aquæ stillatitiæ, cichorij, pimpinellæ, scabiosæ, lactucarum, oxalidis, morsus, cardui benedicti potissimum cœlo calidiore. vt etiam frigidiore tempore aqua hyssopi, saluiæ, rorismarini, maioranæ, ebuli, baccarū ebuli: hæ enim aquæ omnes calidę sunt, quemadmodum istæ temperatæ, buglossus & borrago & earum aquæ stillatitiæ. Item, præstantissimæ sunt aquæ nucum viridium, macianæ arbusti cuiusdam humilis nascentis in cædius syluis.

Imprimis verò Deo optimo maximo, omnis salutis, vitæque bonæ ac beatæ authori non modo diebus aut horis, sed singulis diei momentis pia vota facienda sunt, qui tibi puram nulláque viciorum turpitudine inquinatam mentem infe... ...umque animum omni suspicione

ac metu cuiusque imminentis mali, potissimum vero contagionis pestiferæ apprehensione omni vacuum ac liberum faciat: nil enim æque sanguinem commouet ac conturbat quam metus fixáque in rem aliquã cogitatio suspicionis plena: nihil quod æquè humores ac spiritus corporis putredini reddat obnoxios: liberabis verò mentem hoc omni pathemate, si veterem hominem exuas, & nouum induas: si tuas omnes cogitationes, studia, actiones diuinæ voluntati committas, id solum optes aut fugias quod diuini numinis nutus imperabit: denique si tecum reputes id mortem non esse quod mortem existimamus, sed potius cõmutationem vitæ breuis, fluxilis, ac ęrumnosæ, in vitam nunquam desituram, omnísque beatitudinis ac fœlicitatis, dotibus exornatam. Sed hæc de pestis pestilentísque præcautione hactenus dicta sunt.

Opiata, Trocischi, & Electarium Syluij ad pestem.

Opiata: Recip. Conseruarum rosarum, bugl. borrag. singulorum vnciam vnam, boli armenici opt. theriaces optimæ (qualis Romana, aut Venetiana,

aut monſpeſſulana) vel mithridatij opt. an. ſemunciam, pulueris elect. diamargariti frigidi, lætitię gal. de gemmis an. drachmam vnam miſceantur omnia ſimul in opiatæ formam è quo capiat ſingulis matutinis inſtar nucis auellanę: augeatur doſis conſeruarum aut mithridatij ac theriaces pondus minuatur tempore calido: contra fiat tempore frigido.

Item. Rec. Radicum gentianæ & ęnulæ camp. temperatarum in aceto roſaceo aut acerrimo per horas ſex deinde lentè exſiccatarum, radicis tormentillæ an. ſemunciam: ſeminum card. bened. oxalid. citri an. drachmas tres: corticis citri ſicci boli arm. an. drachmas ſex, coral. rub. ſpodij arab. veri, pulueris lætitiæ gal. diamarg. frig. de gēmis an. drachmas duas: ex vna parte huiuſce confectionis fiant trociſchi admixto ſyrupo de acetoſitate citri aut de limonibus: ex parte reliqua cum ſaccharo diſſoluto in aqua roſarum, cardui benedicti & ſcabioſæ fiat electarium per tabellas ponderis drachmę vnius: ſumatur tabella vna ſingulis matutinis ſola & per ſe tempore frigido: vel ſemidrachma cœlo calido: ſuperbibendo duo aut tria cochlearia aquę roſarum &

oxalidis: hęc ſpirituum partiumque nobilium roborandarum vim habent potentiſſimam, ac proinde in illis non mediocris peſtis pręcauendę poſita ſpes eſt.

Peſtis curatio.

ATqui ſi ab hac peſtilenti lue teipſum tueri ac vindicare non potueris, & aut quod cum peſtiferis fueris verſatus, aut quod non ſatis cautè ac prudẽter aëris venenati perniciẽ cæteráſque putredinis iniurias vitaueris, te peſte correptum ſentias, eiúſque funeſtos emiſſarios iam tibi plurimum negotij ac moleſtiæ faceſcere deprehendas, nimirum febrem continuam, ſummam capitis grauitatem, ſomnum profundum, hebetudinem, nauſeam, vomitum, ciborum faſtidium, lypothymiam frequentem, cordis palpitationem: abſque vlla mora, alioquin imminens vitæ periculum grauiſſimámque ſalutis iacturam experieris, opiatæ pręſcriptæ ſemunciam: aut electuarij drachmas duas: aut trociſcorum drachmas tres: aut mithridatij vel theriacæ veteris ac optimæ ſemunciam deuorabis: aut drachmam vnam pulueris ſequentis ſuperbibendo

illico aceti rosacei aut acerrimi cochlearia tria: quibus haustis deambulabis velocissimo gradu & ab ista deambulatione calidissimo lecto corpus committes, multísque stragulis tegendum curabis, nullo interim inito somno, donec toto corpore sudor copiosissimus erumpat, qui huiusce luis sentiuam totam exhauriat: saltem à partibus principibus virus (nisi iam eruperit) foras propellat, nimirum à cerebro in ceruicem aut collum: à corde in axillas: ab hepate in inguina partésque his vicinas: cui tandem his quæ sumus allaturi præsidiis medeberis.

Puluis ille cuius modò facta est mentio, paratur ex roremarino, absynthio, arthemisia, ruta, radicibus enulæ camp. & morsus diaboli, hedera terrestri, ormino, scabiosa, singularum vncia vna, ex radice gentianę, card. bened. centaurij min. maioranæ cuiusque semuncia: sumi verò debet ad pōd. drach. vnius (vt dictū est) cū duob. aut tribus cochlearib⁹ aceti acerrimi aut rosacei ante missionem sanguinis: & eo hausto deambulādū, motúq; aut exercitio valido corpus agitandum

ad sudorem vsque, deinde decumbēdum, sudorque qui erumpit aut in lectulo stragulis multis cooperto erupturus est, detergendus sedulò ac exsiccandus: quodsi per virium imbecillitatem deambulare aut vllo modo corpus exercere non licet, decumbendum cōfestim ab hausto puluere, sudorisque omni arte non cogenda quidem sed tamen iuuanda eruptio.

Pulueris huiusce loco, commodè vti poteris puluere mithridatij aut theriaces, detractis interim medicamentis frigidis.

Alij sorbēt vncias duas olei nucum veterum, succi chelidonij & calendulæ, cuiusque vnciam vnam: quibus haustis deābulant, nec decumbunt aut vllo modo dormiunt: hacque arte venenatam pestis materiam per vomitum ac aluum foras propellunt.

Nonnulli duas aut tres drachmas mithridatij in vnciis duabus proprij lotij dissoluunt, & id totum hauriunt: in eaque mixtura pari quantitate parata linteolos macerant quos pestilenti tumori admouent, tùm citissimè deambulant, lecto decumbunt, & toto sudant corpore.

Plures opiatam, cõficiunt ex æquis partibus radicis bistortæ, croci, aceti, theriacæ, mithridatij veteris: eiusque drachmas duas propinant cum vino, quibus sumptis deambulationem validissimam imperãt ac decubitum ad sudorem eliciendum: Hoc probatum multoties fœlicissimo successu à pharmacopeo quodã Rothamagensi.

Rutam, allia, chelidonium pari ferme portione contere cum aqua vitæ: contrita exprime: expressum succum sorbeto, deambula confectim: decumbe & suda si fieri possit: inde non mediocre leuamen senties.

Drachmas duas euphorbij & semunciam mastichis malaxabis simul cum succo acido citriorum aut limonũ, aut aurantiorum, aut oxalidis: huiusque mixturæ singulis matutinis ieiuno stomacho scriptulos duos deuorabis duabus horis ante cibum. Quod si te iam correptũ sentias, sume drachmas duas cum vino generoso & aqua pimpinellæ: hoc remedio gentilis inter Arabas non postremus medicus quamplurimos pestilenti lue correptos percurauit.

In ea peste vehemẽti quæ Romæ graf-

sata est, non dissimili ab ea, quam Athenis crudelissime homines exercuisse refert Thucides libro secundo, omnes qui boli armenici portiũculam aliquam hauserunt, salui, & incolumes ab ista lue euaserunt, exceptis paucis in quorum partibus principibus fixas iam radices egerat ac penitius serpserat perniciosa istius veneni qualitas: Sumendus autem ille est põdere drachmãrũ duarum, ex cochleari cum vino albo subtili pauca aqua diluto, si nulla aut leniuscula adsit febris: aut si adsit eaque ardeus & insignis, cũ aqua plurima potissimum buglossi, cardui benedicti & similium: Easdem pene vires electissimæ Theriacæ tribuit Galenus.

Bubonis pestilentis curatio.

BVbo pestilens sæpius erumpit iuxta aures, aut in axillis, aut inguinibus, locisque vicinis: immobilis, rubens, graui ac pulsatili dolore comitatus, liuidus ac velut cæruleus, nigricans in sui ambitu: cauendum imprimis vbi primum apparuerit, ne intrò recedat ac sensim remeet: cui vt occurras aliquod ex supra commemoratis alexipharmacis propinandum, nisi illud iam tentatum fuerit,

nimirum drachma vna theriaces veteris cum vnciis duabus aquæ buglossi aut similis, eodemque temporis momento, de cephalica sanguis mittendus, si collum, aut circa aures aut partem aliquam corporis is tumor obsideat: De basilica, si in axillis, aut pectore, aut dorso, aut parte superiori ventris medij eruperit: de saphena vel maleolo, si inguina aut partes his vicinas occupet: detrahendus vero sanguis satis larga copia, idque semel si vires robustæ extiterint, aut iteratò si debiles: buboni vero admouendum in formam cataplasmatis magnum cæpe exenteratum eaque canitate theriaca veteri selectissima aut mithridatio optimo repletu, sub cineribus calidis coctum, pistum: illudque renouandum bis in die manè & vesperi: Quinetiam si alterum eo modo præparatum exprimas, eiusque succum expessum addito pauco aceto sorbeas, vtile futurum hîc remedium: Sic vero te gerito, vt si mittendus sit sanguis, è ventre proximo mittas, simulatque cardiacum hauseris, & antequã cataplasma è cæpe admoueas: addunt alij axungiam veterem porci, fermentum & galbanum vel ammoniacum vel sagapenum aut

bdellium: nonnulli axungiæ loco admiſcent radices valerianæ ebuli, & leuiſtici decoctas in lixiuio, deinde piſtas, his omnibus exceptis cum melle, pice reſina & cera.

Multi conficiunt cataplaſma ex ſquilla & radicibus lilij decoctis ſimul ſub cineribus cum ſemine rutæ, vrticæ: deinde contuſis addito oleo ſufficienti.

Alij apponunt emplaſtrum de meliloto aut ceroneum: alij virus foras eliciunt admotis cucurbitulis cum magna flamma ſine ſcarificatu.

Nonnulli deplumatum galli vel gallinę podicem buboni admouent occluſo aliquoties eius roſtro, vt expirando, venenũ in bubone conceptum foras attrahatur: quo demortuo alium denuo gallum admouẽt, idque ſæpius eodẽ die repetũt: interea gallorũ demortua corpora profundiſſimo ſolo ſepeliẽda ſũt & procul à domo, ne pernicioſa cõtagione aërem cõficiãt. Colũbus albus, viuus, per medium ſectus calidus buboni alligatus, nec inde dimot⁹ donec nigreſcat, vim habet maximam attrahẽdi veneni: tum vero auferẽdus, ac ſepeliẽdus, aliuſq; eius loco reponendus. Hoc remedij genus carbunculo

plurimum confert. Alij bubonem maturant, ad suppuratum deducunt sola radice liliorum decocta sub cineribus, addito butyro, aut axungia veteri, aut stercore proprio, aut pane commauso ieiuno stomacho: deinde vbi bubo ferme ad suppuratum deductus est, tandemque ad abscessum conuersus, & apertus aut suapte sponte, aut admotis foliis oxalidis coctis, sub cineribus, aut ferro vel cauterio, digestinũ parant ex vitello oui, oleo rosato & theriaca: postremo detergent vlcus mũdificatiuo de apio: carnẽ demortuam collabi faciũt cũ puluere mercurij admixto puluere aluminis cocti, aut emplastri ægyptiaci pari omniũ põdere: tãdẽ carnẽ regenerant, vlcusque ad cicatricem ducunt pulueribus radicis ireos, aristolochię & similium: Si vero adsit incendium, in ambitu illinunt vnguento rosaceo.

Alij hirudinibus sanguinem venenatũ è bubone exhauriunt.

Alij nulla expectata concoctione aut maturatione cauterio potentiali, aut actuali tumorem aperiunt.

Alij robustis ac fortibus statim misso sanguine forcipibus ac scalpris candentibus incidunt.

Alij malunt antequam incidant aut aperiant bubonem, illum ab emunctoriis extrahere affixis cucurbitulis paulò inferius, primum quidem ſine ſcarificatione, deinde vero cum ſcarificatione: ſed in hiſce operationibus cauendum ne venis, aut arteriis aut neruis aut tendonibus vulnus aliquod infligatur.

Alij brachio aut coxæ è regione bubonis admouent cantarides pulueriſatas exceptas galbano.

Alij eidem parti euphorbium aut pyrethrum, aut naſturtium ſiccatum, aut lepidion vulgo piperitin, aut radicem ranunculi apponunt.

Alij cutem aperiunt, qua parte bubonem foras attrahere tentant, ibíque parum ellebori conquaſſati, aut radicem chelidonij minoris ceu ſcrophulariæ in ſolo ſicco prognatę applicant, quorum ope bubonem foras euocant.

Alij maius vel potius minus chelidonium conterunt, illudque calidum plantis pedum ſupponunt, vt illhuc peſtem attrahant.

Carbunculus vel anthrax.

CArbunculus aut anthrax initio quidem parua est pustula, in cuius medio eminet exiguũ aliquod tuberculum nigrum instar capitis aciculæ, insigni calore ceu potius feruore præditum & re vera maiore quam tenuitas ac paruitas tuberculi postulet, è quo, vel acicula vel scalpello adaperto aliquantulum puris emanat: sed interim nigrum illud tuberculum totum putridum insensile & fœtorem non paucum expirans remanet.

Victus ratione & cauta & tenuissima hîc opus est: vescendum spinaciis, buglosso, borragine, oxalide, prunis: vino abstinendum, cuius loco aqua cum pauco aceto aut omphacio, aut cum saccharo rosato, aut prunis, aut oxalide cocta vtendum: non dormiendum ante horas 24. confestim drachma vna theriaces aut mithridatij deuoranda ex aqua rosarum, oxalidis, scabiosæ, morsus, plantaginis, aut ex succo oxalidis, aut oxicrato aquoso aut cum triplo conseruæ rosarum: vbi primum soluta

aluus fuerit vel clystere vel glande indita: ex eodem latere sanguis mittendus quam longissime à corde fieri poterit, isque larga manu detrahendus, si æger lautissime viuere consueuerit, si valde plethoricus sit: nec semel tantum sed iterum atque tertiò sanguinem mittere expedit, quod sanguis qui in venis tum continetur totus pene adustus existat, quemadmodum is qui carbunculum cõmittit: Quod si per puerilem ætatem, aut virium infirmitatem sanguis commode detrahi non possit, scarificetur locus similis, admotis cucurbitulis: aut hirũdines carbunculo admoueantur: aut corpus paulo vehementius repurgandum, deinde admouendum carbunculo scabiosa pista sola, aut cum axungia recenti salis experte: aut butyrum recens sine sale: aut equisetum minus: vel tapsus barbatus: aut theriaca, vel mithridatiam tum foris admouendum tum intus sumendum: hæcque omnia renouãda sæpissime simulatque exiccata fuerint. Hac arte & diligentia incrementum carbunculi impedies eiusque malignitatem reprimes.

Quodsi iã insignis, sit ac magnus, inflãmatus vndiquaque, ceruleus, liuidus, niger: misso sanguine, repurgato corpore, seruataque victus ratione eadem quæ nuper dicta est, illinc eius ambitum (ne serpat latius) terra sigillata aut bolo armena, oleo rosaceo aut myrtino excepta: vel succo plantaginis aut solani: aut sola cotula fœtida (quæ apes abigit) superposito stercore humano fœtido: aut alliis, puluere piperis, nucibus auellanis domesticis simul contusis & admotis: aut terebinthina vna cum sulphure pauco: aut melle cocto cum sale: iisque omnibus vtendum si modo materia venenata foras euocanda sit, cuius tanta sæpe necessitas impendet vt non modo topica suprascripta admouere sed & cucurbitulas affigere cum magno scarificatu, & sępissime candens ferrum carbunculo impingere sit opus: procurandus escharæ casus, nisi suapte sponte decidat, illito butyro sine sale, aut seuo sine sale, vitellis ouorum & farina frumenti aut aliis huiuscemodi additis: vbi eschara deciderit, reliquum curationis perducendum vt in cæteris fit vlceribus nimirum, rhypticis, sarcoticis, epuloticis: sed si carbunculus parti

parti cuidam nobili vt cordi aut hepati sit vicinus, procul ab ea euocandus remediis illis quæ in pestilentis bubonis curatione descripta sunt.

Hæc mihi sufficere videntur pauperibus ac mediocris fortunæ hominibus pro curanda hac lue pestilenti, donec doctissimorum medicorum, ac chirurgorum suppetat facultas: rogamus vero vnumquemque vt si his remediis melius ac præstantius quidpiam nouerit, proferat in medium, & candidus typographo excudendum impertiatur, pauperibus ac locupletibus plurimum profuturum, necnon in gloriam honoremque Dei Optimi Maximi immortalem perpetuo cessurum: cui omnis beneficentiæ salutisque authori preces piæ votis omnibus ferendæ sunt, vt nos ab hac ferocissima ac perniciosissima clade liberos faciat: aut si forsan ea nos dinexari contingat, diuino sui numinis fauore nos soletur, ac remedia suggerat, quibus felicissimam eius opem experiamur: Qui viuit & regnat Deus in secula seculorum trinus & vnus. Amen.

hh

Aliud remedium contra pestem.

CVm salutis publicæ non mediocris nobis cura insideret potissimũ quòd ad præcauẽdos ac propulsandos grassantis vndique pestis impetus attinet, rogauimus vnumquemque vt si vel remedia quæ supra à nobis descripta sunt, vel noua quædam his meliora ac tutiora aliquando expertus esset, nobis candidè impertiretur, quò certissimis ac minimè fallacibus eorum experimentis securior adhiberetur fides: Proinde his alia noua à nobis certissimò probata adiungenda duximus, nimirum.

Oxalidem minutam agrestem macerato per horas 24. in aceto optimo, maceratam linteolo exiccato, detersam ac exiccatam alambico vitreo distillato: aquę huius stillatitiæ sumito vncias duas, simulatque te peste correptum senties, deambula citissimo gradu & sudore copioso curaberis: si eam gratiorem exoptes, admisce aliquantulum sacchari aut mellis: si tantundem haurire velis die sequenti paulò ante cœnam, poteris tuto ac commodè, vt si quæ pestilentis veneni supersint reliquiæ expellantur. Hoc probatum

toties in Picardia, & Lutetiæ, statim à misso sanguine, licet sine vlla missione sanguinis cacochymis & delicatioribus corporibus possit salubriter vsurpari.

Item, radicem vnam si ampla sit satis aut plures vatrachij, aliâs ranunculi ceu pedis corui medicis dicti, tritam ac contusam admoue pollici manus è regione bubonis pestilentis in axilla eius lateris delitescentis: aut pollici pedis è directo inguinis vbi bubo pestilens erupit: hanc ibidem relinquè per horas 24. excitabit vesiculas, per quas sua sponte apertas ac exulceratas manabit virus pestilens, illhuc attractum per venam vtrique parti communem: Sed quia radix hæc paulo acrior & calidior est, inter pollicem & eam radicem interpones linteum quoddam quadruplicatum densum ex tela noua aut panno: vel lineum aut attritum quater geminatum: illudque teges: ac vincies satis arcte: Deinde vlcus pollicis percurabis aliorum vlcerum more cum vitellis ouorum, butyro recenti simul pistis & tantillo herbæ consolidæ mediæ contritæ, aut tantillo aloës lotæ.

Quod multoties probatum est tum Lutetiæ, tum in vicis ac pagis quamplurimis Parisiensibus: Id autem noluimus celare quenquam, licet nulla de eo à nobis facta fuerit mentio in eorum remediorum numero, quæ ad pestis curationem valere commemorauimus, quòd nimirum nullum adhuc eius certissimum fecissemus periculum: fruamur igitur hoc fœlicissimo alexiterio, gratiasque Deo immortales agamus, quod nostræ calamitati faustum ac fœlix leuamen attulerit.

Si radix hæc haberi recens non possit, sicca eius loco sufficì poterit, sed tot duplicatis linteis opus non erit: Quod si nec siccæ nec vrecentis vlla tibi suppetat copia in pratis: poteris euphorbium, pyrethrum, cantharides vsurpare, eaque in puluerē simul redacta admouere carbunculo: cuius remedij exitus multo celerior ac fœlicior est quam cuiusuis alterius remedij, maximè vero quod nulla præter id aut missione sanguinis aut purgatione sit opus.

Prodest quidem plurimum hîc oleum nucum haustum ad vncias tres cum vini albi pari quantitate, si statim ab huius

olei haustu citissima deambulatione corpus commoueatur: hoc enim oleum virus pestilens foras propulsat: sed tandem subortus bubo maturantibus, detergentibus, cæterisque remediis venit percurandus aliorum abscessuum more.

Quod si febris adsit pestilens, necdum eruperit bubo aut carbunculus, vt is erumpat supradictis pugnandum erit remediis, saltem aqua stillaritia oxalidis & aceti cuius facta est mentio.

Si aliud remedij genus occurrat, lubens publicæ saluti impertiar: Interim hortor vnumquemque vt tot rebus afflictis opem Dei optimi maximi imploret.

FINIS.

DE VICTVS ET MEDICINÆ RATIONE, CVM alio, tum pestilentiæ tempore obseruanda, Commentarius, per Ioannem Guinterium Andernacum: ad Honoratissimum, & Principem virum, Hermannum à Vveeda, Archiepiscopum Coloniensem, & Imperij Electorem.



VANDOQVIDEM grauis iam diu pestilẽtia passim grassatur, Princeps Honoratissime, videtúrque agris nostris, ac finitimis, vt cæli status est, & anni huius conditio, iamiam imminere: cogitaui nuper nõ esse ab officio meo, & professione alienum, rationem aliquã cõmunem præscribere, qua se vnusquisque ab ingruenti malo tueri, & eo correptus, possit liberare. Ad quã rem autẽ absoluendã, autor & consiliarius mihi extitit. Nobilis ille & natalibus & doctrina

Iuriscõsultus Antoni⁹ Huysmã à Namedey, Regiodolæ dominus. Cuius fidẽ, integritatem, prudentiam & ingeniũ nõ tu solũ, sed alij quoque heroes quotidie experiũtur. Vereor autẽ ne labor hic meus parũ apud nonnullos proficiat, qui certũ vitæ terminum, vnicuique à Deo præfinitum esse, eúmque humana ratione, & arte nec produci posse, nec breuiorẽ reddi, atque ideo frustra etiam opem ex medicina postulari contendunt.

Vitæ terminus duplex.

Verum opinionem ipsorum confutare, non est difficillimum. Duplex enim vitæ terminus ex sacratioribus etiã scripturis intelligi potest: Vnus naturæ ad extremum vsque cursum perficitur, qui plurimum cẽtum annis & viginti comprehendi solet: Alter naturæ curriculo nondum absoluto errore ac vitio nostro accelerare solet. Nam Deus Opt. Max. vbi primum hominem Adam creare statuisset, corpus ei ex luto, quatuor Elementorum particeps, ineffabili harmonia, fabricatus est. Reliquam deinceps progeniem, ex aliis duobus primordiis, semine puta genitali, & sanguine menstruo nasci voluit: quæ & ipsa ex Elementis sunt conflata, sed inæquali temperaturæ mensu

Naturalis terminus vitæ.

Primordia corporis semem & sanguis.

ra, ita vt calidum frigido, humidum ſicco præpolleat.

Primum enim fœtus rudimentum in vtero, calore cogitur, paulúmque concreſcit, mox ſiccius indidem redditum, veluti lineas quaſdam, & figuram vniuſcuiuſque particulæ obtinet: vbi magis ſicceſcit, non lineamenta ſolum, ſed exactam quoque cuiuſque membri formā repreſentat.

Infātia. *Pueritia* *Adoleſcentia.* *Iuuentus.* *Conſiſtens.* *Declinās ætas.* *Senectus viridis.* *Senectus decrepita.*

In lucem editum, & maius efficitur, & ſiccius valentiúſque donec ad ſummum ætatis vigorem peruenerit, quando nimirum omne incrementum ſiſtitur: ſanguinis autem, ſpirituſque vaſa in latum aguntur, & vires ſuas ſummas obtinent.

In eo autem, quod ſuccedit tempore, cum omnes particulæ ſupra modum ſiceſcant, non modo actiones ſuas minus probe obeunt, ſed corpus etiam ipſum macilentius graciliuſque redditur: paulo poſt rugoſum quoque euadit: artus labaſcunt, atque ad motus ſuos inualidi, & inconſtantes fiunt, natiuo ſcilicet calore, qui corpori incrementum, robur, & agilitatem ſuppeditabat, imminuto.

Vbi iam ignis ille nobis inſitus ex va-

riis naturæ actionibus fuerit consumptus ineuitabilis sequitur interitus necessitas: qui terminus vitæ vnicuique à Deo præscriptus est, quem nemo potest effugere, huic citius, illi tardius aduenniens, prout summus ille fabricator ab initio corpora eorum temperare voluerit. *Mors.*

At naturalis hic vitæ cursus nostro sæpe vitio interrumpitur, nempe cum Deum grauiter offendimus, cum aliis sceleribus commissis, tum inhumana prauáque viuendi ratione, & rerum quas ille homini in salutem ex terra procreauit, contemptu & ignorantia. Ita rursus cum errorem agnoscentes, veniam ex animo, & omni mente efflagitamus cursum vitæ ab initio datũ, aut absoluimus, aut longiorem etiam impetramus. *Violẽtus terminus vitæ.* *Vitam Deus aliquando prorogat.*

Quippe legimus in sacrosancta veteris testamenti historia, Deum subinde populi sui delicta grauissimis & morbis, & aliis calamitatibus vltum fuisse: nonnullis contra reconciliatis vitam alioqui finituram, produxisse, cuius rei locuples testis esse potest Rex Ezechias, qui Deum quindecim annis ad viuendum diutius exorauit. *4. Regum.*

5. Ioannis. Christus, vnicus humani generis conseruator, ei quem morbo, annos iam triginta octo conflictatum, sanarat, monet serio vt deinceps à viciis desistat, ne alio deteriore malo afficiatur.

11. Ad Corinthios priore. Quid quod Paulus suo tempore ob cenę Domini abusum accidisse commemorat, vt multi ægrotarent, nonnulli etiam obdormierint, vt verbo ipsius vtar. Dicet forsan aliquis, hoc tempore plures bonos tolli è medio, quam qui impie vixisse cognoscuntur. Huic respõdeo, hic quoque irã Dei cognosci, dũ populo suo duces optimos, & pietatis exẽpla, magistrósque adimit, ingratitudinem ipsius nimirũ vlciscẽs. Ita etiam, Deus seculis aliquot superioribus, c[illegible] iram suã vellet ostẽdere, meliorũ litera[illegible], linguarúmque prope omniũ, quib⁹ salutis nostræ doctrina cõscripta est, professores mortalibus eripuit, vnde maxima nõ solum scripturæ sanctę, verum honestissimarum quoque scientiarum ignoratio subsecuta est.

Obiecto multos bonos tolli è medio.

Meliores literæ diu latuerunt.

Euangelium per linguas ceu media quædam restitutũ.

Tandem vero populi sui infœlicis misertus, easdẽ ei restituit integras, vt hinc iam pure & syncere Euangelium Christi & doctrina passim cognoscatur. Proinde omni mente & cogitatione est nobis eni-

rendum, vt ne praua viuẽdi ratione diuinum beneficium amittamus, nosque metipsos in præceps demus exitium.

Quemadmodum enim corpus humanum mirabili cõstructum est artificio, ita exactam quoque prudentemque vitæ regulam sibi postulat: vnde genuinus ille calor iam inde ab originis nostræ initio nobis insitus, conseruetur.

Calor genuinus quibus conseruetur.

Id quod rebus non ita difficillimis fieri potest, si euidentiæ ipsi & Hippocrati credimus. Primum sane moderato corporis exercitio, quod pro naturarum ratione recte accommodabitur. Nam vt moderata corporis commotio maximum, ad sanitatem tuendam, bonum, ita summa quies extremum malũ adfert. Neque aliquis omnino ægrotabit, si oportune prospiciat, ne concoctione frustretur, neque à cibo validam quandam ambulationem suscipiat. Imo perpetua frui sanitate poterit, si bonũ corporis habitũ nactus (qui nimirum temperatus eit, & latos succis distribuendis meatus habet) congruam ante cibum exercitationem subeat, obseruétque, vt secundum illum quiescat, ac neque animum intendat, neque ambulatione quamuis leui dimoueatur.

Exercitatio.

Quomodo quis non ægrotabit.

Commotionis à cibo incõmoda. Nam ex qualibet corporis post cibos commotione, alimentum prius à ventriculo rapitur, quàm cõcoctione sit elaboratum: vnde crudorum humorum copia in venis collecta, omnigenas morborum species procreare solet, nisi protinus labore assiduo fuerint discussi, vel concocti, ac in sanguinem transmutati.

Ciuilib9 negotiis occupati in morbos sæpè incidũt. Quibus igitur ob rerum agẽdarum necessitatem & officia, non licet, vel ante cibũ probe exercitari, vel satis oportune cibũ sumere, vel probe eum concoquere, ij sane immunes à morbis permanere non possunt, nisi ex interuallo cibi, ventris subductione, interim purgatione valida cum tẽpestiua sanguinis dimissione, & salubribus quibusdã medicamẽtis prospexerint.

Quemadmodum iam labor calorem natiuum, vnde omnes naturę fiunt actiones, excitat, augetque, ita cibus & potio, si vti conuenit assumantur, vires conseruãt integras. Sin copiosiores, crassæ, alienequæ naturæ ingerantur, opprimunt & extingunt. Quanquam agricolæ, aliique priuati homines qui quotidianis vtuntur exercitiis, non tam exacto victu indigẽt. Nam labor improbus, vt ait ille, omnia vincit.

Cibus. Potus. Immoderatus, crassus & mali succi succus quid agat.

Idem de somno dictum putato, si moderatus, qui non ex horarum numero, sed temperamenti ratione æstimari debet, concoctionem promouet, spiritus, & animum refocillat. Immoderatus, diurnus, & statim à cibo initus, corpus eneruat, ingenij aciem, & sensus obtundit, graues cerebri morbos, & prauam concoctionem progignit. *Somnus & eius cōmoda.* *Immoderati, diurni, & à cibo initi somni incōmoda.*

Post somnum vero nonnihil facit ad sanitatem etiam cōcubitus: sed iis tantū, quibus est licitus, hoc est, coniugibus, & ætate florentibus, iisque proximis. Non autem nimis cōcupiscendus, neque nimis pertimescendus est. *Concubitus.*

Ratus corpus excitat, tristitiam animi discutit, & recrementis quibusdam liberat. Frequens soluit, sensus omnes, & mentem perturbat. Cum autem frequens non numero sit, sed natura, ratione ætatis & corporis, scire licet non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Idem interdiu peior est, noctu tutior: ita tamen si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor, sed somnus statim sequitur. Item, si neque facietas nimia, neque cruditas, neque lassitudo, neque vomitus, neque pur- *Vsus licita & moderatæ veneris.* *Quæ obseruanda in concubitu.*

gatio aliqua præcesserit.

Hippocratiũ. In summa, labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria conducunt: Immoderata vero, & viciosa, senium, mortemque præmaturam, sæpe præsens exitium conciliant, aut certe occasionem maximam excitandis morbis præbent.

Incommoda, immoderatorum & viciosorum. Hinc enim humores crudi, prauique in visceribus colliguntur, qui dum concoqui, mutarique in sanguinem nequeunt, computrescere coguntur: magis autem, vbi externa quædam caussa accesserit, cum alio, tum pestilentiæ tempore, de qua hic sermonem instituimus.

Pestilentiæ origo & causa. Etenim ex solis interdum corporis humoribus, putredini obnoxiis nascitur, quoties animal vel leuem ex ambiente nos aëre occasionem acceperit. Frequentius autem ex inspirato fit aëre: quem putrida exhalatio infecerit: aut ex cœli inclementia, aut contagione, & societate, aut inuectis ex vicinia veneni seminibus, contrahitur: Verum nihil aut parum adeo etiam tum corpora inquinare potest, nisi ea iam antea fuerint impura, viciosisque succis scateant.

Vnde sanè accidit, quod alij facile à caussa foris aduenieme vincuntur: alij in

victi prorsus, & impatibiles permanent; aut certe ita afficiuntur, vt promptius ad naturalem statum redeant.

Quia vero dissimiles corporum status, variique existunt, nimirum ex diuersis tum naturis & ætatibus, tum alimentis & vitæ studiis, constat in pestilentia quoque nō eodem omnes casu infestari. Siquidem nonnullos febres grauissimæ cum abscessibus, Carbunculi instar, aliorumque vlcerum, pro humoris qui exuperat, ratione, post longos dolores extinguunt.

Dissimiles status corporū, varia generāt accidentia. Tumores.

Quibusdam alui deiectiones, aut vrinę, aut sudores fœtidi, simul & acres in febribus erumpentes, aut etiam putridi oborti abscessus, præsidio fuerunt.

Excremēta alui, vrinæ, sudores abcessus.

At quibus nihil horum accidit, vel ob visceris alicuius inflammationem, vel ob febriū magnitudinem acperuicatiam, omnes ad vnum intereunt, sicut illi, qui mentis perturbatione cum vigiliis, aut sopore graui laborant.

Quæ cum ita se habeant, exponam primum quid in hac cōtagiosa lue obseruare quis debeat, adhuc integer, cum tamē securus esse non possit: deinde si forte malo correptus fuerit, qua ratione & via

ei medeatur, modo adhuc curationem recipiat.

Precautio pestis.

PRoinde cum pestilétiam ex malignorum anni temporum, tum quæ præcesserunt, tum quæ sunt præsentia, totiusque anni obseruatione futurā prænoueris, huc consilium tuum diriges, vt imprimis te Deo Opt. Max. totū credas, Christoque eius filio, soli generis humani apud patrem aduocato commendes.

Deus.

Post hæc diligenter cures, vt si corpus recrementis plenum sit, purgatione congrua euacues: sin abundet sanguine, hūc quoque dimittas, ratione virium, & humoris noxij habita, vti optimus quisque Medicus, & huius præcipue climatis expertus intelligit.

Aër.

Rursus aerem in quo verfaris emendare: corporis meatus obstructos soluere, quod nonnulli imperiti damnant, ventris quoque rationem quotidie habere: vrinas & sudores: Item, menses in fœminis promouere oportet. His omnibus diligens victus obseruatio necessaria existit. Dicam autem de singulis ordine, vt facilius

sius medicinæ imperiti assequantur.

Itaque purgationem vnicuique pro sua natura, & humore superfluo Medicus præscribet. Nam aliis pituitosos humores euacuari conuenit: aliis biliosos: quibusdam melancholicos, quibusdam serosos, nonnullis mixtos auferre consultùm est.

Purgatio.

At humores crassos, viscososque vti pituita, & bilis atra potissimum, interim & porracea quædam bilis in ventriculo, vitellina in vasis existit, attenuare prius, & incidere: Item, meatus, per quos hi transmittuntur trahunturque, aperire conuenit.

Corpus ad purgationem apparãdum.

Id præstat optime, oxymeli ex sentẽtia Galeni compositum, si ante cibum mane & vesperi per biduũ, singulis vicibus instar mystri assumatur. Huc confert etiam quies, & cibus idoneus, hoc est, non acerbus, non acris, non acidus, non amarus. Tenues vero, serosique succi, nulla eiusmodi apparatoria potione indigent, nisi forte mulsa, in qua hyssopi, aut thymi, aut pulegij momentũ sit incoctũ, quamquam oxymeli in his quoque humoribus, vel deducendis, vel meatibus adaperiundis, tuto sumatur.

Cum itaque corpus purgare cogitas, quod plane in pestilentia cauenda necessarium est, si viciatis abundat humoribus, recte sumis medicamentum, quod Galenus Hieram diaaloës, quasi dicas, Sacrum ex aloë nominat. Recipit autem hæc, cinnamomi, xylobalsami, asari, spicænardi, mastichæ, singulorum drachmas sex, croci drachmas quinque, aloës drachmas nonaginta. Olim hæc drachmæ instar ex aquæ calidæ ternis cyathis propinabatur: interim melle condita, nunc in catapotia redigitur. Pueris etiam, mulieribus, aliisque imbecillis, quibus in ventriculo & intestinis pituita inhærescit, non parum est vtilis. Æstate dimidium drachmæ sufficit. Robustis corporibus, eo humore pressis, qualia huius Climatis magna ex parte visuntur, vel ob cœli frigiditatem, vel ob intemperantiam, hoc quod subscribam, medicamentum, contulerit Marrubij, agarici, chamædryos, cucurbitę syluestris medullę, stœchados, singulorum drachmæ decem, opopanacis, sagapeni, petroselini, aristolochię longæ, piperis albi, singulorũ drachmæ quinque, cinnamomi, spicæ nardi, myrrhæ, folij, croci, singulorum

Hiera-diaaloes.

Hiera-dia colocyathidos Galeni.

Pituitæ medicamentum.

drachmæ quatuor, salis momentum. Sicca conteruntur, incernunturque cribro. Opopanax, sagapenum, myrrha contusa in mortario, ex mulsa per noctem macerãtur, deinde leuigatis sicca adiiciuntur, ac melle omnia excepta, vase vitreo condũtur. Drachmę duæ vsque ad quaternas nunc ex vino, nunc ex mulsa, aut simili liquore exhibentur.

Catapotia Diaaloes. Quod si malis catapotia, hæc deuorato, quæ Galenus Diaaloes nuncupat. Cucurbitæ syluestris medullæ scriptulus, aloes, scammonij singulorum scrupuli duo. Ego adiicio agarici in orbiculum conformati, scriptulum. Ex succo absinthij septem aut nouen globulos fingito.

Bilis. Si bilis superat, Hieræ picræ Galeni, superius descriptæ scrupulos duos, rhabarbarici scriptulum, scammonij præparati grana septem. Ex succo rosaceo finge catapotia instar cicerum, & dormituro exhibeas.

Atra bilis. Vbi atra bilis purganda venit, Hieræ diaaloes, veratri nigri grana septem iungito, vt Galenus præcipit, aut Antidotum Arabicum quod Hamech asscribitur, quaternis drachmis ex iure

gallinacei præbetur. Hæc omnia medicamenta, & facilia paratu, & vera existunt.

Delicatorũ medicamenta. Delicatioribus naturis, & molli carne præditis, pueris, mulieribus, senibus in biliosо humore vacuando optime facit. Cassia fistularis instar vnciæ, per se, aut drachma rhabarbarici adiecta, quacũque sumatur forma. Aut nobilis ille syrupus ex cichoreo & rhabarbarico secundum descriptionem nostram, trium vnciarum instar. Hic etiam grauidis tuto propinari potest. Ad pituitam conuenit agarici in orbiculos redacti instar drachmæ, senæ Alexandrinæ semuncia Macerantur per noctem in oxymelite, aut vino odorato, mane, expressum ius oui aquato ad ignem sufferuescit, vt purius euadat, omnibus quæ supernatant, abiectis. Mox per saccum in quo cinnamomi, nucis muscatæ & saccari sit momentum colatur. Tandem rosarum succi, vncia additur.

Sin autem melancholicus vrgeat, epithimi Cretensis si haberi possit, dilutum in lactis caprini sero, offerto Verũ corpora huius Climatis rarissime simplici *Mixti humore-* humore afficiuntur, mixtis frequentius:

eoque variis indigent medicamẽtis. Sicut autem inter mixtos humores, vnus potissimum alios copia superat, ita quoque in remediis adhibendis, vnum cæteris præpollere debet: Cura tamen habita, vt omnia sint congenera, & nulla ex parte dissideant, hoc est, vt vno quasi tempore omnia actionem suam obeant.

Huius Climatis corpora.

At si viciosus humor exiguus sit, sanguis autẽ bonus, plurimus, is primũ mitti, postea medicamẽtũ dari debet: ratione succi abundantis copiæ & speciei habita. Nam alius veluti semicoctus: alius plane crudus existit: quidam à sanguinis forma parum abest: quidam post absolutam sanguinis elaborationem, caloris excessu generatur.

Quibus sanguis mitti debeat.

Vbi iam paulum à sanguine abest, aut vlterius processit, audacter venam secabis, vbi amplius, cautius agendum: vbi plurimum, à sectione abstinebis. Mensuram cognosces ex virium robore, succi quantitate, ætate & anni tempore.

Obseruanda in sanguinis missione.

Si enim vires imbecillæ sunt, humor autem magnam euacuationem requirit, vt in crudorum copia accidit, nõ vno tantum tempore sanguis mitti, quantum necesse est, sed per vices debet, eodem tamẽ

Quando reiterare missionẽ oportet.

die: quia ſimpliciter vacuare, non reuellere in prę ſeruatione conamur.

Modico autem ſanguine emiſſo, protinus mulſam in qua incidẽtium medicamentorum aliquod decoxeris, vt hyſſopum, origanum, thymum, propinare, aut mulſam cum oxymelite, aut ſolum oxymeli, expedit: ac horis duab' interpoſitis, aut tribus rurſus ſanguinem detrahes.

Quando ſemel tãtum mittendus. In quibus autem feruidi ſanguinis copia apparet, vna vice, ac celerrime euacuare oportet, ne in principem aliquam partem decumbat, idque non mane tantum, ſed poſt munia etiam obita interdum, & per noctem faciendum eſt, modo concoctio in ventriculo ſit abſoluta, & aluus reſponderit. Quod ſi ſponte ſua id non fecerit, glande prius ſubiecta, aut iniectione communi erit ſollicitanda. In Menſura ſanguinis detrahendi, pulſus conſulendus venit.

Pulſus menſurã detrahẽdi ſanguinis indicat.

Quid vbi Phlebotomiã æger metuat agendum. Ergo primũ detrahere ſanguinẽ, deinde ſuccũ illum noxiũ euacuare oportet. Sin autem quis venam ſecari nolit, vel ob ætatẽ, vel ob metum, huic aluus deiicienda largius eſt. Verum præſtat purgationem, diebus tamen aliquot interpoſitis, repetere, præſertim vbi viſcera ob-

ſtructione quadam laborare, aut humores per habitum corporis diſperſi videntur: imo cum ſolennem vires euacuationem non admittunt, ſicut in ſanguinis dimiſſione docuimus.

Purgatio reiterata quibus vtilis.

Qui neutrum præſidium tolerant, aliam euacuandi rationem experiantur neceſſe eſt. Si enim crudi ſucci cum ſanguine ſint in venis contenti, maturari debent: ſin acres, rodentéſque, per halitum diſſipari: ad quod perficiendum, vincit ab omni valido motu abſtinere: Corpus blande perungere oleo, & fricare: deinde balneo admodum temperato credere, quod recentiores noſtri Medici valdè vituperant, etſi Galenus meatuum exteriorum perſpiratum in omni tempore commendet. Poſtremo in otio, abſtinentia & ſomno mediocri ita affectos continere expedit. Ne autem vires debilitentur, ſorbitio ex cremore ptiſanæ cibi vice, oxymeli vero, vinum album, & tenue potioni concedi poteſt. In ſequentibus diebus, omnia quæ boni ſunt ſucci, & modice nutriunt, aſſument.

Si nec Phlebotomia, nec purgatio locum habet.

Aëris correctio ac electio.

Aër infectus quomodo corrigẽdus.

Interea dum corpus hoc pacto contra ambientis non aëris iniuriam munis, confirmásque, ille quoque corrigi, & quãtum licet immutari debet. Nam cum respirationis necessitate aërem omnes attrahimus, ab eo quoque si vitiatus est, ceu veneno affici cogimur. Nihil autem adeo potest ipsum emendare, atque ignis, per ea potissimum loca incensus, vbi frequẽtius conuersamur.

Hippocratis cõsiliũ ad fugandã pestilentiam.

Hippocrates ille admirandus non alia ratione pestilentiam ex Æthiopia Græcos inuadentem fugauit. Quippe ignem per totas Athenas incendi iussit, non simplici ex lignorum materia, verum sertis, floribúsque suauissimis, vnguentísque valde pinguibus & odoratis super infusis. Quamobrem aurea statua, tanquam numen aliquod patriæ, & conseruator, donatus est: qui honos Athenis nemini antea obtigisse legitur.

Ignis ex quibus fieri debeat.

Proinde consilium est in domiciliis, ac cubiculis quibus te sedulo tunc continebis focum habere perennem, qui ex iunipero, & sarmentis optime construitur: interim roremarino, maiorana: interim

ſtyrace, ambaro, aliiſq; odoratis iniectis.

Tenuioris fortunæ homines ex aliis lignis ſiccis ignem excitabũt, parabuntque ſuffitum ex granis iuniperi, ipſiúſque ligni radice per medium diſſecta, torrefacta, & incenſa. Pauimentum aqua roſacea cum aceto conſpergi debet. Veſtes autem œnantherio, aut cyphi quodam perfundi. Per hyemem hoc quod ſequitur accõmodabitur. Iridis florentinæ, zedoariæ, ſpicænardi ſingulorum vnciæ duæ, ſtyracis, maſtichis, cinnamomi, agalochi, nucis muſcatæ, gariophyllorum ſingulorum ſemuntia, ben Iudaicum, ambari, muſci, ſingulorum ſcriptulum. In vino albo generoſo per dies viginti in ſole macerentur: aut decem tantùm diebus macerata, poſtea in duplici vaſe diſtillentur. Hoc ſpongiam recentem imbutam, odorari ſæpius licet. Sin malis in puluerem redigere, ita quoque perficies.

Suffitus.

Oenantheria cyphi.

Hyeme apta cõpoſitio.

Æſtate hoc vteris. Roſarum rubentium, violarum, ſinguli quadrantes, corticum citri, myrtorum, baccarum iuniperi, ſandali lutei, ſingulorum ſeſcuncia, caphuræ, ambari ſinguli obuli, ben iudaici, & muſci ſingulorum ſemiobulus. Sicco, aut cum liquore affuſo veſtes ac lintea in

Aeſtiua.

ficito. Nares quoque attingas. Quin & spongia liquore hoc tincta gestari in pila caua, foraminibus peruia, ex iunipero, au cupresso, vti malum ambarinum, potest, præcipue cum in aerem progrederis, quem mane ieiunus adhuc, non tuto inspiras.

Pauperũ medicamenta. Tum etiam & pauperibus, qui sumptuosam cõpositionem habere nequeũt, & opulentis, cinnamomum, gariophyllon, angelicam in os sumere, in eóque versari prodest, dum se receperint. Iam confert aceti partes duas, aquæ rosaceæ vnam, spongia excipere, & sæpius odorari, præsertim in cœtu hominum, concionibus, tonstrinis, aliisque officinis publicis.

Qualis habitatio esse debet. Habitatio sit in æditiore loco: fenestras habeat ad orientem & septentrionem, quibus mane & vesperi aer nouus hauriatur, & si quis viciatus notus fuerit, emittatur, ac suffitibus odoratis, vt suprà docuimus, emendetur.

Quæ loca vitãda. *Hypocausta noxia.* Vitari debent loca humida ad terram sita, obscura, quæ nullus ignis, nullus aer purus ingreditur, ac permeat, quemadmodum hypocausta nostra existũt. Æstate siquidem ignem non habent, qui sem-

per in morbis fere omnibus commendatur, superfluitatum aeris consumendarum gratia. Hyeme, præterquam quod igne intus carent, vitiosum aerem ex infectorum halitu colligunt: à quo non pauci contagionem mali experiuntur. Non minus periculosa habitacula sunt, ad quæ aer ex stagnorum aut paludum, aut emortuorum lacuum vapore turbidus, aut ex cloaca ciuitatem expurgante, viciatus, aut nebulosus exurgit.

Tutissimum esset peregrinari, & mutare loca. Quia vero plerique ob rerum agendarum necessitatem, & officia ciuilia, vel ob rei familiaris tenuitatem, eodem in loco manere coguntur, præsidia quædam enumerabimus: quibus infecti, aeris venenum arceant propellántque. *Mutatio loci.*

Statim itaque postquam corpus excrementis purum, liberúmque reddideris, meatus corporis tum internos, tum externos aperueris, sequēti die antidotum andromachi, theriacen, drachmæ instar propinato: frigidis natura, humidis & prouectioribus ex vino odorato, calidioribus autem, & ætate florentibus ex aquę cyathis ternis, drachmæ dimidium. Pueris, & sub canicula dare cautio est. Quia *Theriaca Antidotum.*

vero nusquam vera inueniri potest, quare Andromachus describit, satius est, eius loco aliud Antidotum substituere, quod & facile comparetur, & veris notisque constet medicamentis.

Antidotum loco theriacæ.

Rosarum rubentium siccarum semuncia, radicis gentianę, laserpitij gallici quę angelica dicitur, zaduræ (aliis zedoariæ) inulæ campanæ, singulorum drachmæ duæ, seminis citri, oxalidis, acetosam vulgo appellant, cichorij singulorum sesquidrachma, seminis anisi, dulcis radiculæ singulorum drachma, corticum citri, cinnamomi, cassiæ odoratæ, sandali lutei singulorum drachma semis: agalochi, vulgo ligni aloës dicti, ramenti eboris singuli scrupuli: baccarum iuniperi, croci singulorum obuli duo. Ambari exquisiti & musci singulorũ semiobolus, rosarum zaccaro conditarum vncia. Zaccari primi meriti quod excipiendis omnibus sufficiat. Formentur tabellæ ponderis drachmæ semissis. Mane ieiunus vnam sumes, ac horis duabus à cibo abstinebis. Item vesperi.

Electuarium.

Antid. diahæmaton.

Altero die hoc quod sequitur, vtere. inscribitur autẽ à Galeno Diahæmaton, quasi dicas ex sanguinibus præparatum.

Recipit hæc. Piperis longi & albi, angelicæ, acori quæ galanga nostra est, croci, phu quam Germani herbam Theriacæ nominant, meu (in locum huius substitue glandem vnguentariam, quæ officinis behen dicitur) Dictāni cretici (pro hoc, saluiæ ponito) ammoniaci, agarici singulorum drachmæ duæ: amomi, opobalsami (in huius vicem carpobalsami) rutæ syluestris seminis, quàm officinæ hypericum appellant, cumini æthiopici, anisi, anatis sanguinis masculi & fœminæ, sicci hædini sanguinis, anserini sanguinis, napi syluestris seminis singulorū drachmæ tres: gentianæ, trifolij, iunci rotundi floris, lachrymæ thuris, rosarum siccarum, singulorum drachmæ quatuor, petroselini drachmæ quinque, polij cretici tantundem: cinnamomi drachmæ sex, scordij floris drachmæ octo, mirrhæ, nardi singulorum drachmæ decem, cassiæ drachmæ octo: contusa cribróque increta, diligenter melle puro subigito. Exceptis in pixide argentea vtitor, vti præsentaneo remedio ex hoc drachmas duas cum vino albo propinabis. Ego adiicerem agalochi, sandalorum omnium, & zaduræ singulorum drachmas duas.

Tertiò, hunc puluerem assumes, radicis angelicæ, gentianæ, cinnamomi, sandali rubri, zedoariæ, seminis citri, seminis oxalidis, singulorum drachmæ duæ, ramenti eboris, cardui benedicti, corticum citri singulorum sesquidrachma, zaccari quod satis est. Mane instar drachmæ semissis cum vino ieiunus sumas.

Puluis efficax.

Quartò, vtere catapotiis Ruffi, quæ in modum veri habent. Aloës partes duæ, guttæ ammoniaci partes duæ, mirrhæ vna. Ex vino odorato in formam catapotiorum rediguntur. Dantur parua septem, postero die fit reditus ad primum: atque hoc ordine diebus insequentibus vtendum est.

Catapotia Ruffi.

Tenuioris fortunæ homines, primo à corpore vacuato, die, Antidotum Apollonij Mys, vti Galenus recitat, deuorabunt ieiuni, ac horis duabus à cibo abstinebunt.

Pauperũ remedia.

Antidotũ apollonij.

Rutæ folia viginti, nuces iuglandes duæ, caricæ duæ, salis grumus vnus. Hæc simul mista, coactáque esui dantur, aut rutæ folia sex ex aceto mane comedant.

Altero die, baccarum iuniperi drachmæ duæ, terræ sigillatæ veræ, non quæ vulgo ab officinis putatur, sed potius boli

Bolus nostr & terra si-

armeni qui nũc Venetiis emitur, drachmæ duæ, & totidem obuli. Teruntur, excipiuntúrque oleo dulci, instar nucis auellanæ cum mulsa propinatur. *gillata apud nos adulterata sunt.*

Sequenti die, Angelicam instar ciceris per hyemem cum vino: per æstatem ex stillatitio rosarum liquore sument. His remediis, quæ & efficatia, & paratu facilia sunt, pauperes se ab iniuria contagiosæ luis, vindicabunt. Porro omnibus sic administratis, ne impurus aër spiritus vitales inficiat, serio curandum est, vt quotidie aluus respondeat. Si per se nihil emolitur, sollicitanda est glande subiecta, ex melle & salis momento, aut caule betæ, vel mercurialis, tincto in oleo, ac sale consperso.

Sin lautioris fortunæ ægrotus est, aut natura sagatior humaniórque, clyster ex decocto herbarum emollientium, & oleo cum melle iniici debet. Sit autem oleum copiosius, vt aluus diutius lubrica maneat. *Aluus quotidie cieda.*

Quod si nolis enema, cassię vulgaris nigræ siliquæ vnciā ex iure pisorū aut gallinæ, mane ante cibū sumito. Id grauidæ, etiam & pueri ac senes tuto accipient,

vel catapotiis communibus ante cibum, aluum ducito.

Vrinæ mouẽdæ. Non parum iuuat vrinas naturaliter excerni, ad quas permouendas radices petroselini, fœniculi, apij decoquere, aut seorsim, aut cum carne vitulina, aut hœdina, aut etiam cum pisis, ac ius ipsarum potui dare. Interim cicerum rubrorum decoctum proficit.

Menses. Iam menses in mulieribus ac puellis nubilibus stato tempore fluere, salubre censetur: sin autem ex occasione quadam fuerint impediti, citare consilium est, quandoquidem in pestilentia facillime corrumpuntur. Primum itaque leuioribus hisce vtendum, nepita & pulegium in mulsa cocta, aut trita, incretáque, & mulsæ aspersa, secũdum balneum adhuc calentibus exhibentur: aut cassiæ odoratæ, cinnamomi singulorum drachma. S. seminis anisi, seseleos & mirrhæ singulorum scrupulus. Ex aqua fœniculi, aut vino albo dantur. Quod si hæc nihil proficiunt, isto quod subscriptum est, vtitor.

Quæ mẽses citẽt. Cinnamomi, cassiæ odoratæ singulorum drachmæ duæ, seminis ligustici drachmæ tres, foliorum betonicæ, rutæ syluestris, quod hypericum vocant, pulegij,

gij, satureiæ, seseleos, singulorum drachma, gentianæ, baccarum lauri, singulorum drachma. S. ex iure cicerum propinatur.

Vbi hæc quoque nihil effecerint, vterque talus scarificari debet, aut vena in poplite, talóve secari, diebus tribus ante mensium tempus.

Grauidis etiam prospiciendum est, nam ob humorum vitiosorum, quibus plerunque scatent, abundantiam, hoc malo infestari solent. Licet itaque per interualla, & tempore idoneo ventrem ipsis leniter ex cassia nostra vulgari, & iure caponis, soluere. Mane panem tostum, ex vino, interim ex aceto præbere. Antidotum hoc peculiariter grauidis auxiliatur, quotidie sumptum. Cinnamomi, agalochi, sandalorum omnium, nucis muscatæ, singulæ drachmæ, laserpitij gallici, quam angelicam vocant, zaduræ, inulæ campanę, singulorum drachmas. Seminis cichorij, citri, anisi singuli scrupuli, florum buglossæ & cirsij singulorum quantum tribus digitis comprehendi potest, vnionum insignium, ramenti eboris, sapphyri, coralli rubri, singulorum scrupulus S. Rosarum, & buglossi zaccaro conditorum sin-

Grauida.

Grauidarum antidotũ

kk

gulę semuncię, succi oxalidis vncia, zaccari & mellis despumati quod satis est. Ex hoc auellanæ instar mane ex vino albo sumendum. Aut in tabellas redigitur succis ablatis, vsuique accommodatur.

Pauperũ medicinæ. Pauperculis lapathi species quæ dicitur oxalis ex aceto macerata, si æstas est, aut succus portulacæ aut oxalidis cum aceti momento, & pane tosto dari potest: per hyemem verò, ficus pinguis cum iuglande, ruta, & modico sale.

Ad vermes puerorum. Pueris sollicitudo adhibenda est, ne vermibus ex humorum corruptela cruccientur. Rectè ipsis datur tempore interposito puluis, qui vulgò aduermes inscribitur. Optime autem facit muscus marinus, quam officinæ corallinam appellãt. Recentiores Græci σκωληκοβότανον, quasi dicas, vermium herbam: nuncupant.

Sudor. Interim sudare non est alienum, hoc autem fiet, si meatus in cute latentes, minime sint obstructi, aut certè non impediti. Cõmode ipsos soluit frictio leuis ex oleo chamęmelino, aut herba ipsa chamęmelum ex oleo infricata: aut nepita pota ex mulsa & cuti extrinsecus infricata, conuenit. Galenus ac recrementa cutis expellenda balneum commendat, ac

Balneũ.

Germanis valdè in vsu est, quanquam tempore pestilentiæ medici balneis interdicant. Ego sane vbi aliquis assueuit, & habet priuatũ, nullorũ halitu infectum, non improbo, modo ante cibum & aluo prius deiecta, adhibeatur. Qui non assueuerunt, & incommoda inde metuunt, frictionibus moderatis vtentur.

Victus ratio.

IN his omnibus diligens victus ratio obseruanda est, quæ bonos succos generet, malos veluti per attemperationem, quàm Græci εὐκρασιν nominant, emendet. In summa quæ humores crassos extenuet, modicè alat, meatus liberos reddat, tutior est, quam quæ bonum quidem succum, sed crassum gignat. *Victus.*

Proinde vnusquisque exercitationem corporis, cui maximè assueuit, moderatam expertus, cibum sumet concoctu facilẽ, qualis panis est probe subactus, fermenti, & salis modicè particeps. Caro gallinarum, gallorúmque, phasianorum, perdicum, columbarum, attagenarũ, turturum, turdorum, merularum, omniúmq; passerculorum & auicularum: Præterea piscium saxatilium, gobiorum, murena- *Panis.* *Caro.* *Pisces.*

rum & asellorum: quanquam his rarius, & separatim non cum carne vesci conuenit, qui mos apud nationes aliquot solennis est.

Venatio. *Oua.* Inter quadrupedes conducit, hœdus & vitulus, ex venatione, capreolus & cuniculus, reliquis abstinendum. Oua recentia, tremula aut etiam mollia, ante cibũ rectè sumuntur. *Caseus.* *Lactaria.* *Panificia.* Caseus, lac, panificia omnéque opus pistorium, & quęcunque lentorem præ se ferunt, item quæ facilè corrumpuntur in ventriculo, vti fructus omnes horarij, exceptis vuis & ficubus, caueri debent. *Horarij fructus.* *Sorbitiones.* Sorbitiones ex cremore ptisanæ, quod hodie ordeum inundatum vocant, aut ex lacte amigdalino, tam pauperibus quàm opulentis congruunt. Pinguia nimium & iurulenta improbantur: *Assa.* assa magis quam elixa, nouarum carnium potius quàm vetustarum, minorum magis quàm grandium animalium, commodè expetuntur.

Fructus reponi apti. Ex fructibus qui reponi possunt, conceedũtur pruna quæ excellentiæ vocabulo Damascena vocantur, ficus recẽs matura, vuáque vbi paulum suspensa quod flatuosum est, abiecerit, tuto comeditur: sicut & vua passa & cappares recte cibum

præcedunt. Aridæ ficus si per aluum descendant, ac alimentum ab eis profectum, per iecur renésque fuerit distributum, salubres sunt, & succi benignioris. Sin autem remorentur, complurium pedunculorum procreatrices. Cum nucibus commestæ, cibum præbent optimum. Hinc nonnulli qui medicamentorum aduersus letalia confecturas perscripserunt, ficus aridas vna cum nucibus & ruta præsumptas, omnium illorum præsens esse remedium tradunt. Hoc autem de vniuersis fructibus, non solùm de malis intelligendum venit, si immoderatius ingerantur, noxam conciliare. *Ficus.* *Immoderata nocent.*

Malis granatis, citriis, piris, cerasiis acidis, & mespilis, non vt alimentis, sed vt medicaminibus, ad stomachum, ventrémque roborandum vtimur, sicut ad meatus corporis internos aperiundos, amigdalæ commendantur, aliàs praui succi generandi efficaces. *Fructus qui medicamentorũ nomine vsurpãtur*

Legumina ferè omnia improbantur. Faba, nisi flatulenta esset, nullum succum viciosum producit, neq; meatus obstruit. Pisum flatuosum non est, sed mitius abstergit. Cicer per interuallum sumptum, vrinas mouet, præstat autem omnium *Legumina.*

istorum decoctum, quàm substantiam exhibere.

Olera. Ex oleribus nullum sanè probis succis præditum est. Medium bonitatis illorum, viciique locum. tenet lactuca, mox sequitur malua, deinde atriplex, portulaca, bliton & oxalis. Valde praua sunt syluestria, lactuca, chondrilla, scandix, gingidion, intybus & cichorium: *Herbæ.* quanquam hæc postrema medicamentorum nomine ad obstructiones calidósque iecinoris affectus assumi: vt buglossum & cirsion ad lienis possunt. Radices autem stirpium holeralium, viciosæ sunt, quæ acres, sicut cæparum, porrorum, alliorum, raphanorum & caucalidis.

Aromata. Aromata hyeme conueniunt in cibis, cinnamomum, nux muscata, acorus, hoc est, galanga, cardomomum: gingiberis autem & piperis, exiguus vsus est, nisi apud frigidiores, quorum naturæ & consuetudini aliquid condonandum est. His annumerari debēt semina, anisum, fœni-*Semina.*culum, herbæque odoratæ, thymum, hyssopum, satureia, maiorana, rosmarinus, quibus cibi apud nos condiri solent. Per æstatem modicè refrigerantibus, vti consilium est.

Ad hoc summa diligentia obseruandum est, vt omnes cibi aceto generoso, aut omphacio, aut alio quodã succo acido condiantur. Nihil enim magis corruptionẽ impedit. Potioni conuenit vinum album tenue, pellucidũ, vrinam mouens, modicè austerum. Huius inopia rubellũ, tenuis etiam substantiæ, non nouum, non vetustum valde, quod caput non feriat. Vina crassa, nigra, calida, graue olentia, valde aut austera, aut dulcia, vitari debẽt. Porro odorata humoribus quidem probis gignendis, potiora censentur, sed caput tentant, nisi aqua diluãtur. At calidis admodum temperamentis hominum, vel naturę, vel ętatis beneficio, aqua vini potu vtilior est. Sin autẽ vino nonnunquam opus sit, id tenue, & mediocriter austerũ ipsis exhibere cõpetit. Pari modo in omnibus & cibis, & potionibus non simpliciter singulis vtendum est, sed pro eorũ qui illa desiderant, naturarum ratione. Licet autem aquam bibere fontanam, leuem, pellucidam, quæ ad Orientẽ, aut certè ad Septentrionem versus scaturiat. Qui stomacho robusto pollent, cruda: qui imbecillem habent, cocta cum momento acori quam galangam nostri vocant, vtentur.

Acetum vtile. *Acida.* *Potus quis cõfuerat.* *Vinum.* *Aqua.* *Indicationes variæ.* *Quæ aqua præstet.*

Zythum

Zythum, quam vulgò cereuisiam, alij etiam birriam nuncupant, à nullis probatis authoribus commendatur. Quia verò nonnulli ab infantia vsque hoc potu aluntur, iis concedi potest, tenuis, pellucida, omnis excrementi expers, qualis apud Embecum saxoniæ confici solet, Vrinæ citandæ efficax. Crassa & impura non solùm malos succos verum obstructiones quoque viscerum progignit. Eius loco potiones ex malis austeris, pirísque sumi possunt, cuiusmodi sunt hydromalum, rhodomalum & omphacomeli.

Qualis cereuisia concedi possit. Vide Pauli Aeginetæ septimũ.

Syrupi ad ardorem restingendam.

Si magnus æstus vrit, syrupus ex malis punicis, ex malis medicis, quæ herbaceo colore virent, limones officinæ vocant, ex oxalide, & agrimonio recte corpora attemperant. Si aluus etiam fuerit duriuscula, sero lactis caprini ante cibum epoto instar sesquimystri emollienda est.

Affectus animi nocent.

Ad hæc omnia diligenter elaborandum est, vt mens sana sit in corpore sano. Non parum enim valet morbis excitandis animi perturbatio. Itaque abstinendum est ab ira, tristi cogitatione, metu, alíísque prauis affectibus.

Medicina donũ Dei.

Quæ si quis obseruare dignetur, & medicinam, ceu donum Dei salutare

existimet, hunc spero, pestilentiæ virus aut non attinget, aut certè facilius relinquet. Atque hæc de præcautione sint dicta, deinceps, quomodo aliquis aut ex nimia aëris corruptione ac inclementia, aut ex infectorum societate contagium expertus, se periculo subtrahat, breuiter exponemus.

Curatio pestis.

PRincipio in hac periculosa lue scire omnes conuenit, præcipitem esse medendi occasionem: vt quæ intra quatuor & viginti horas plurimum comprehendatur. Nam si diutius præsidium ex medicina poscere distuleris, vix periculum euades: præsertim vbi pestilentia ex calida cœli intemperie & ingenti aëris corruptione prouenit. In Germania autem longiores dare solet inducias, ad octauum sæpe diem, interim vltra quartumdecimum, pro humoris infecti natura & temperamento. Præstat autem in his quoque regionibus frigidis tempestiue quam sero medicinam parare.

Praeceps medendi occasio.

Principiis obstare tutissimum.

Itaque statim vbi quis malo correptus est, aluus enemate ex iure decocti galli,

Enema.

aut caponis, aut carnis vitulinæ, instar libræ, & olei violacei quadrante, mellis rosacei sextante, duobus ouorum luteis, salis momēto elui debet, aut ex solo oleo communi, & tātillo salis. Acres clysteres in hoc morbo vitandi sunt.

Sanguinis missio. Ventre excrementis liberato, sanguis non ita multò pòst, si vires & ætas permittunt, detrahendus venit: ex ea potissimum vena, quam locus affectus indicat.

Humeralis vena. Verbi gratia, si abscessus humorum, aut dolor in capite, vel ceruice constiterit, humeralis in externa cubiti parte, quam Cephalicam nominant incidenda est.

Sub lingua venæ. Quod si inflammatio vrgeat interius, sub lingua etiam venæ post illas aperiri debent.

Iecoraria. *Media.* *Tali vena.* Vbi verò intermediis à ceruice adusque naturalia partibus tumor proruperit, iecoraria, quæ basilica vulgò dicitur, internam brachij regionem perreptans, vel media, vel communis si illa nō appareat, incidetur. Sin inguina, aut vicina his loca malum obsederit, vena in talo, quæ saphena recentioribus appellatur. Mulieribus & puellis quibus menses solent fluere, eadem ex parte salutariter sanguis detrahitur.

Iam cum febris tantum pestilens nullo prodeunte abscessu, vel dolore vrgente hominem occupet, sanguis quoque ex venis quæ vtrunque talum excurrunt dimittendus est, vt veneni vis longius à membris nobilioribus distrahatur. *Febris pestilens quas venas secari postulat.*

Hoc autem memoria tenere omnes puto, sanguinē ex eo potissimum latere mittendū, quod tumor dolórque siue suprà siue infrà infestat. Sin vtrunque affligatur, ex dextro potius detrahendum. *Latus mittēdi sanguinē*

Quantum verò detrahere conueniat, vires ipsæ satis ostendunt, quæ imbecillæ admodum in hoc casu esse solent: atque idcirco per vices melius, quàm semel ipsum auferri censeo: eodem tamen die, horis tantùm quatuor interpositis, aut sex, ne autem vena coalescat, lana in oleum tincta obducetur. *Mēsura.*

Qui sanguinis missionem non ferunt, vt pueri, senes, mulieres grauidæ & partui proximæ: inter viros, molles & timidi, iis cū scarificatu cucurbitulæ desigendæ sunt, ceruici à tergo, scapulis, lumbis & fœminibus, idque plagis sat altis, ita vt hæc euacuatio superiori & loci & mensuræ sanguinis detracti ratione respondeat. *Cucurbitulæ.*

Quorundam cõsuetudo in vena secanda. Sunt qui cucurbitulis post aures, alis & inguinibus defixis, vbi nullus vel tumor, vel dolor apparet, venam secare iubeant, ne forte venenũ intro recurrat. Et si magnum sit periculum, ne natura malo victa, nihil foras propellere possit. Nam veresimile est, viscera intus validis inflammationibus laborare, & vires prorsus conuelli.

Cõseruæ. Smaragdus. Hac euacuatione administrata, vel etiam ante hanc, exhibeto rosas zaccaro conditas instar drachmæ cum smaragdi detriti obulo, ex vini albi odorati ternis cyathis. Huius inopia, Antidotum Galeni dia hæmaton: quod superius descriptum est. Simul autem cordi & iecori epithemata applicato in hunc modum.

Epithemata cordis. Santalorum omnium singulæ drachmæ, corticum citri, Xyloaloes, Macis, spodij singulorum drachma. S. ben albi & rubri singuli scrupuli, camphoræ, croci, singulorum scrupulus semis, musci grana quatuor, aquæ rosaceæ quadrans, vini generosi sextans, aceti rosacei triẽs. Panni imbuantur hoc liquore, & cordis regioni admoueantur, sic vt crebro renouentur.

Iecinoris Iecori autem per se potest aliud ap-

poni, nempe, aquæ rosarum distillaticiæ, intybi vniuscuiusque triens vini odorati & aceti rosacei, singulorum quadrans, spicæ nardi santali lutei, glandis vnguentariæ hoc est, behen singulorum scrupulus, florum chamæmeli, quantum tribus digitis comprehendi potest. Tenuioris fortunæ homines epithemata facient ex aquæ rosaceæ partibus quatuor, aceti boni parte vna: si hyems est, adiiciet gariophyllorum, & florum speudonardi, lauandulam vocant, singulorum drachmam per æstatem, santalorum luteorum & rubentium tantundem. *Pauperis epithemata.*

Præter hæc: os sæpe ex posca lauare & manus expedit. Frontem, si dolor caput affligit splenio obducere, quod constat aquæ rosaceæ, aquæ nympheæ, singularum pari modo, aceti momento. *Posca.*

Tumoris pestilentis curatio.

SI tumor aliquis apparet, imponendum, quod eum extrahat, omnibus rite quæ dixi peractis. Probe facit huc Raphanus in laminas concisus, inductusque tumori, frequenter autem renouandus est. *Tumorē extrahētia.*

In idem efficax est, gallus per medium diruptus, viuus, applicatusque. Cæpa vero excauata, nostroque antidoto, aut theriaca, si quæ vel mediocris haberi queat, repleta, vulgare est præsidium, si aceti paulum addatur. Valentius est, quod à succis diachylon simplex appellatur, instar sextantis, guttæ amoniaci & galbani, singulæ semunciæ.

Emplastrum.

Hæc in emplastri formam redacta tumori imponuntur. Qui robustiores sunt, iis cucurbitula etiam super abscessum defigitur aliquamdiu: deinde rursus emplastrum adglutinatur. Die autem quo hæc fiunt somnus interdicendus est. Vbi autem tumor prodierit, sinendus æger vt noctu dormiat, ac per interualla, electuaria exhibenda, quæ officinæ vocant diarhodon, diamargariton, Manus Christi, vel superius dicta medicamenta.

Cucurbitula.

Somnus.

Altero die post decubitum, corpus leui medicamento purgandum, quod citra magnam naturæ perturbationem munus suum probe obeat. Tale nimirum hoc est, syrupi ex cichoreo & rhabarbaro vnciæ duæ, agarici in oximeli-

Purgatio.

te macerati per noctem drachmæ duæ, cinnamomi & agalochi singulorum scrupulus semis. Mane ieiuno propinatur hora interposita. Sorbitio quædam ex iure decocti galli, aut caponis, aut carnis vitulinæ exhibetur, vt citius medicamentum descendat: vbi vero aluum mouere ceperit, à cibo abstinendum, donec totam purgationem absoluerit, nisi forte vires deficiant, tunc enim panis ex vino modice assumitur.

Magna hic cura adhibenda, ne dum nocentem materiam per aluum euacuare studemus, naturæ impetum, qui ad exteriora tendit, impediamus, venenumque ad vitæ officinam, cor, aliáque viscera nobilia propellamus: vnde statim interitus sequitur. Quamobrem si morbus medicinæ tempus habere cognoscitur, leniter purgandum est. Sin occasio videtur præceps alia ratione & via procedendum est. Semper autem à valido medicamento, quod ventrem soluat, in hoc casu abstinendum censeo, & si quidam natura fortes per initia solo eiusmodi præsidio euaserint. *Obseruatio quædam in purgatione.*

Nonnulli securitatis gratia dum medicamētum propinant, tumori si quis ap- *Vt in sāguinis missione.*

paret emplastrum attrahens, aut cucurbitulam adhærere sinunt, ne scilicet viciata pestilentiæ materia foras naturæ beneficio propulsata, introrsum denuo reuertatur, idque non absurde meo quidem iudicio consulunt. Pauperibus medicamentum dabitur. Diluti foliorum senæ Alexandrinæ, thamarindorum, in aqua ordei maceratorum, singulorum instar semunciæ, agarici in oximelite macerati drachma. Aut electuarij Indi aut ex rosarum succo semuncia. Longe autem tutius est aluum quotidie clysteriis supra comprehensis sollicitare, nisi per se admodum fluat.

Pauperũ medicamenta.

Antidotum.

In sequenti die antidoti dia hæmaton drachmam cum betonicæ aqua, si materia versus caput repat, ex buglossi aqua si ad spiritalia, ex absynthij si versus intestina, ex agrimoniæ si ad iecur feratur, propinabis, multaque veste operiendum ægrotum vt sudet, curabis. Quod si vero sudor prouocari nequeat, decoctum chamæmeli in vasculis æneis aut vitreis lagenulis oris stricti adhuc probe calens, alis, lateribus, inguinibus & pedibus admouebis. Interim ad recreandas vires, cochleare

Sudor eliciẽdus.

cochleare ex syrupo, quem ex citrij dicti succo parant. Vbi satis sudasse deprehendis, cibum offeres, qualem paulo post indicabo. *Cibus.*

Quarto die, si abscessus ratione supradicta foras prodierit, ac manifesto appareat non expectare oportet donec in totum maturescat, sed aperiundus, aut adurente medicamento, aut scalpello. *Abscessus aperiundus.* Medicamentum fieri potest ex radicibus liliorum alborum, semine fœnugræci & lini vna decoctis. His postea addetur salis ammoniaci, calcis viuæ & chalcitidis singulorum scrupulus, fermenti drachma. S. At partibus vicinis hoc iniicies, boli armeni, gallarum, santalorum rubentium, singulorum pares modi cum oleo & aqua rosarum subigentur. Cauendum autem ne adurens illud medicamentum diutius tumori adhæreat, verum statim, vbi foramen excitauerit, tollendum. Sin autem scalpello aperire abscessum malis, inferius id faciendum est, vt materia hinc facilius veluti per emissarium effluat.

Quia vero magnus dolor ex immaturi, crudique abscessus diuisione sequitur, *Dolor mitigandus.*

siue ea medicamento, siue scalpello fiat, primum fœtus ex chamæmeli & maluæ decocto per spongiam adhibetur, deinde linamenta inseres, illita hoc vnguento quod recipit, aquatum oui, lutei ipsius dimidium, olei rosacei momentum, simul mista subigantur.

Post hunc ex vlcere facto cruciatum æger per diem vnum conquiescet, deinde medicamentum quod maturet, ac pus moueat orbiculatim tumori inducēdum. Capit autem hæc. Radicis altheæ, lilij albi, singulorum semunciam, seminis lini, fœnugræci, vtriusque drachmas tres, ficus pingues quatuor, coquito in aqua fluuiali. Sublatis ab igne, indentur adipis gallinæ, terebinthinæ & styracis liquidæ singulorum drachmæ duæ, ceræ modicum. Linteolo illinitur quod in medio foramen habeat.

Maturans vnguētum.

Vlcus autem, hoc, quod sequitur purgandum est. Mellis rosacei excolati vncia, farinæ ordei drachmæ duæ, succi absynthij & apij vtriusque sesquidrachma, farinæ lupinorum scrupuli quatuor, myrrhæ drachma, terebinthinæ drachma. S. Subigantur in pila

Purgās.

probe, fiátque vnguentum, linamento illitum inserito.

Diu sines vlcus apertum, vt virus per fluxionis emissarium affatim emanet. Postquam vero totum corpus melius habere, & nihil amplius puris ex vlcere profluxerit, hoc medicamento vtere, Aristolochiæ rotundæ, centaurei minoris, betonicæ, singulorum vncia, picis naualis semuncia, seui caprilli drachmæ duæ, mastichæ drachmæ duæ. Saloës semuncia, ceræ sescuncia. Herbæ in vini nigri hemina ad dimidias coquuntur, deinde per linteolum excolantur, exprimuntúrque. Postea inijcitur pix, seuum & cera: ac simul rursus omnia ad mediocrem spissitudinem coquuntur, Sublatis ab igne mastiche & aloës seorsim detrita insperguntur, ac cum reliquis agitantur rudicula, atque subiguntur, donec refrigescant. Manu emollitis, vlcus obducito, in linteolum illitis. *Incarnan.*

Hæc sane compendiosa est abscessus curatio: quæ pro naturarum ratione variare solet. In pueris enim & teneris corporibus, lenioribus vtendum est.

Loco scalpelli aut validi medicamenti, cæpa, aut fermentum cum sale satis esse consueuit.

Victus. In victus ratione, magna obseruatio haberi debet, vt cibus sit facilis concoctu, qualem supra descripsi, maxime autem sorbilis, ex ordei cremore, iusculis, vel colaticiis tenerarum carnium, prunis Damascenis. In summa qui vires alioqui iam debilitatas, non grauet, sed reficiat. Admisceri autem omnibus debet momentum aceti, aut succi mali medici acidi, aut omphacij, aut vini punicorum.

Cibus sæpe exhibēdus. Æger sæpe, & modico cibo reficiendus est, quatuor semper horis interpositis: non negligenda vero Antidota. Interim rosæ zaccaro conditæ, interim buglossum, nunc electuaria superius in præcautione descripta conueniunt.

Potus. Potus, si calor vrget, aqua ordei conducit, præsertim pueris & ætate florentibus. Sin abhorreant aquam, ægroti & vires habeant imbecillas, vti etiam senes, vinum album, tenue, probe dilutum bibent.


Per interualla, si excruciat sitis, hac potione restingues, syrupi ex citro, syrupi ex limonibus singulis quadrantibus, vini malorum punicorum sescuntia, aquę oxalidis & cirsij, quod satis est. Aut singulis per se ex aqua ordei vti licet. Iam hydrorosatum nostrum, adiecto succo mali medici acidi valde confert instar Cyathi potum. Item prodest aqua ordei, si lamina auri candens in ea restinguatur, cum fructus oxyacanthæ quem Berberim officinæ vocant, succo pota. Quin & rubi Idei fructus, quem vulgo ribes appellant, ad calorem & siccitatem oris proficit. Propterea herbæ, quædam etiam cum cibo coctæ assumantur, vt portulaca, oxalis, lactuca. Permittuntur huius quoque gratia acerbi arborum fructus, mala, pira, cerasia: quæ aliàs malum succum generare solent, si Galeno credimus. *Ad sitim Zulepū. Aqua auro extincta.*

Cæterum qualis locus esse debeat, in quo æger decumbit, quibusque vel per æstatem, vel per hyemen præsidiis muniri, iam antea ostendimus. Pauimenta nunc ramis salicum, foliisque sar- *Habitaculum.*

mentorum, aceto, aqua rosacea, nunc odoratis quibusdam suffitibus apparantur. Sicut cum extrema corporis frigent, fotu & fricatione excalefieri desyderant. Si pectus ardet, huic quoque refrigeria adhibentur.

Postremo huc omne consilium nostrum & cogitationem dirigere oportet, vt ne Deus nos in mundi huius negotiis magis quam in doctrina Christi obseruanda, occupatos deprehendat.

FINIS.



DE PRÆCAVENDIS, CVRANDISQVE venenis, Ioan. Liebautij Medici Parisiensis Commentarius.

VENENVM nil aliud esse omnium sentẽtiis comprobatum est, quàm id, quod homini penitus aduersarium, eius substantiã euertere atq; corrumpere potest. plurimum sanè ab alimento dissidens, quod alimentum tota sua substantia in nostri corporis substantiam conuersum ac commutatum, fit omnino simile partibus, quibus alimoniã suggerit: & in illius locum quod defluxit ac ex haustũ, est reponitur: Contra, venenum non restaurat, sed corrumpit ac demolitur: non fit simile nostro corpori, sed partem aut humorem aut spiritum cui adhæret in sibi peculiarem naturam transfert, totamque venenatam efficit: si non protinus, saltem temporis successu, modò promptius, modo tardius: vt sua est naturæ malignitas, corporisque venenum excipientis dispositio, & eorum quæ venenis admiscentur vis ac facultas.

Non enim venenum vires suæ malignitatis certo ac definito diei aut horæ aut mensis, aut vnius anni vel plurium termino exercere posse putamus.

Multoque minus credimus vllum animal assuescere aut nutriri posse venenis citra grauissimam suæ valetudinis ac vitę perniciem, aut aliorum quibuscum habet commercium incõmodum maximũ: Proinde, plane fabulosum existimamus, quod apud Auic. scriptum est, olim puellam nutritam fuisse, Napello, ea tantum ratione, vt reges ac principes quosdam (quod formosissima esset) qui secum rem haberent, inficeret: Nec tam facile ac temere quorundam opinioni assentiendum putamus, qui asserunt carnes quorundam animalium, quæ natura cibis venenosis victitant, atque ex iis nutrimentum capessunt (sicut sturni cicutam depascuntur: Coturnices veratrum: anates, quæ in stagnis & paludibus degunt, bufones aquaticos deuorant: Ciconiæ serpentes: Gallinæ, scorpiones, araneas, serpentes, bufones terrestres) non modò veneno non inficere: sed nullam prorsus inferre noxam: quin potius laudabile ac succulentum alimentum suggerere corpori, non

secus quam aliorum animalium carnes: Nam, si lac quod sanguis biscoctus est, è capra quæ veratrum aut elaterium, aut tithymalum, aut scammoniam depascitur, emulctum, potum mirifice aluum soluit: Si carnes turdorum, qui iuniperi baccis vescuntur, Iuniperum redolent: Si carnes gallinarum quæ absynthium deuorant, amaritudinem absynthij referunt: Si medici asinas aut capras imperant enutriendas herbis accommodatis ægrorum morbis, quorum curationem susceperunt. Denique, si passim constat, eam esse alimenti cuiusque naturam, vt, licet alendo suam formam deperdat, suas tamen qualitates aliaq; vires retinet, easque impertit partibus alendis (Sic enim lactuca ventriculum & corpus refrigerat, vinum vero excalfacit) necessariò consequitur, earum animantium corpora quæ venenosis cibariis victitant, venenosa fieri, ac proinde ea in alimoniam vsurpari non posse citra noxam: Non inficiabimur tamen venena quædā, ea potissimum quę frigida sunt, citra vllam nostræ valetudinis iacturam esculenta posse fieri: Sic enim Gal. recenset quandam Atheniensem vetulam, cicuta in cibis, absq;

vllo salutis detrimento vsum fuisse: quinetiam in diuturnis vigiliis, ad somnũ capessendum: in dysenteria: in mẽsium profluuio: in dolore colico: in suffocanti destillatione, decoctũ papaueris, hyoscyami, mandragorę, vel medicamenta, quæ hæc excipiunt propinamus: fatebimur & hoc lubentissimè, venena quædam non alio remedij genere propelli commodius quã aliis venenis, posse: Sic enim noxios ac perniciosos humores in intimo corpore delitescentes, aliis venenis vtpote turpetho, scammonio, colocynthide, elleboro, foras excludimus: Sic cantharidibus, morsui cauum rabidorum vtilissime medemur: Sic, icti à scorpionibus ab eisdem solent remedium petere: Sic, euphorbium ictibus scorpionũ succurrit. Nec ob ista tamen admittenda putabimus in cibos animantium corpora, quę cibis victitant venenosis: neque vnquam citra maximã vitę noxam vllum animal posse venenis assuescere concedemus.

Differentiæ venenorum.

SVnt autẽ venenorũ genera varia, species ac differentię diuersę: quarũ prima abortu ceu natalib⁹ desumitur. Nam venenũ omne aut ex plantis, aut anima-

lib⁹, aut metallicis exitiosam vim habet: Plantæ lethales habẽdæ sunt, quæ ciborũ naturæ omnino aduersantur, & quæ ingestæ non conuertuntur in substantiam partium, sed partes in seipsas cõuertunt: cuiusmodi est elleborus, aconitũ, cicuta, sardonia herba, meconiũ, toxicũ, ixia. Sic & animalium quædã virus eiaculantur, morsuque lethũ sępenumero inferunt, in quorũ numero sunt cũcta serpentium genera, vipera, dypsas, basylisc⁹, aspis, lepus marinus, rubeta, scorpio, salamandra, cãtharides, pinorũ erucæ, aranei, canis rabiosus, alij quadrupedes, Corpora animaliũ quæ vel peste, vel rabie, vel fulminis ictu, aut venenosorũ morsu occubuerunt: licet nonnulli dicant venenum cum vita animalis consumi, eo ducti exemplo, quod cerui, lupi, apri & reliquæ feræ, quæ venenatis sagittis aut sclopetariis ictibus enecãtur, innocuè comedãtur: Ex metallicis quoque fodinis ac mineris nocentes auras spirantibus, multa prodeunt venenorum genera, vt cerusa, argenti spuma, argẽtum viuum, sandaracha, auripigmẽtum, magnes, gypsum, ęris squamma, ęrugo rasilis, plumbum, & similia.

Secũda à modo ceu forma qua venena interficiũt, petitur: Alia enĩ per os sũpta,

alia admota foris, alia vtroq; modo homines enecant: Quę per os sumpta interficiunt, sub ciborum aut potuum aut medicinarum specie plærumque propinantur, à quibus potissimũ reges ac principes, & prælati, & odiosi sibi cauere debent: Quæ vero foris admota tantùm inficiunt, vt plurimum à venenatis & mortiferis animalibus desumuntur. Siquidem hæc homines non morsu modò vel ictu necant, sed & visu, sibilo, & tactu: præter quæ, etiam, quędam odoratu & gustatu interimunt: visu, basiliscus si credamus Galeno: morsu & ictu, viperæ, aspides, scorpiones, rabidi canes: Tactu, serpens ille cuius meminit Auic. qui à milite quodam hasta infixus virulentam vim per hastam transmisit ad manum, quam primum infecit, & deinde totum corpus corrupit: Torpedo piscis manum piscatoris torpidam reddit: sputum canis rabidi, si humanum corpus contigerit, perinde ipsum rabie afficit ac si ab ipso cane esset demorsum: Suffitus aut illitus ex hydrargiro cinnabari, sublimato sęuissima symptomata excitat. Auditu, serpens quidam in Nubia, multum corpulentus, acutum habẽs caput, viridis existens coloris: Gu-

ſtatu, ſicut aſpis ſurda, quæ ſputo ſuo, etſi non deglutiatur, perimit: Olfactu, ſicut quidam fungi pernicioſi quorum meminit raſis, qui cum euelluntur à terra, odorati, interficiunt odorantem.

Tertia à facultatibus ac viribus ſibi inſitis deſumitur: aliud enim venenum agit à temperamento ceu qualitate aliqua ex mixtione quatuor elementorum conſurgente: aliud à forma ceu quadam proprietate occulta: aliud vtroque modo agit, nempe & qualitate elementari & forma ſpecifica: Quæ venena agunt à temperamento ceu qualitate elementari: aut calida, aut frigida, aut humida, aut ſicca ſunt: Calida, duobus modis enecāt: vno, cùm tam intro ſumpta quam foris admota erodunt, ac proinde ſoluendo continuum interficiunt, vt lepus marinus: altero, cum inflammant intus & foris vt euphorbium. frigida, duobus quoque modis perimunt: vno, ſtupefaciendo, ſuo inſigni frigore quale eſt opium: altero, ſua ingenti frigiditate meatus reſpirationis obſtruendo, cuiuſmodi plumbū exuſtum & fungi venefici. Humida, quæ ſua exuperante humiditate membra putrida efficiunt, qualis eſt ſerpens ille apud Gale-

num à quo demersus quispiam in somno totũ brachium putrefactũ ac corruptum sensit: qualis salamãdra, quæ si puluerata bibatur idem efficit: Argentum quoque viuũ (si credamus Auic.) quod sua humiditate modum excedente, insitũ cordi natura humidum corrumpit, vt licet videre in iis qui vnguentis ex hydrargyro illinũtur. Sicca, duobus modis inficiũt, vno, consumẽdo humiditatem cordis & quasi in crustam conuertendo, vt calx viua: altero diuidendo ac separando partẽ à parte, donec omnia membra vsque ad cor, in minimas partes soluantur: quẽ effectum prębet Risagallum vocatum: Quæ venena, forma specifica ceu occulta proprietate enecant, non habent suas vires ab elementis, sed ab influxu ac aspectu quorũdam syderum fixorum: eáque & si tam parua quantitate sumantur vt sensum effugiãt, tamen vsque adeò malefica sunt, vt breui tempore interficiant, quemadmodum aconitum, napellus, & toxicum, quæ ingesta in corpus, totum id momento immutant sibíque simili affectione alterãt: Quæ venena & manifestis & occultis qualitatibus agũt, id præstãt vtroque modo quo prædicta duo, quale est cu-

phorbium, quod non modò calefaciendo nocet, sed & forma specifica: hoc vel argumẽto certissimo, quod theriaca quæ alexipharmacũ est omnium venenorum quæ specie propria operãtur, efficacissime valet aduersus euphorbium haustum.

Quarta, duci potest à putredine, quæ cum vel interna sit id est in interno corpore genita, vel externa ab externorum putridorum occursu excitata, duo quoque venenorum genera hinc consurgunt: venena interna, venena externa: venena interna ceu intus genita, quæ vel ab alimentis prauis & quorum vitiosa est substantia contrahuntur, cuiusmodi sunt frumenta, legumina, carnes & quæcunque aut vetustate aut negligentia corruptione quadam labefactantur: aut à cibis quidem probis, sed qui facile putrescunt, quale est lac, fructus horarij & quicunque alieni vitiosique sunt succi: Item, ab humoribus in variis corporis partibus putrescentibus suscitantur, vt quæ à retento semine, aut menstruis, quæ à bile æruginosa aut porracea, quæ ex putrido sanguinis grumo: testantur hoc venenorum genus quamplurima symptomata quæ inde suboriũtur, qualia

sunt epilepsia, suffocatio vteri, sincope conuulsiones, deliquia animi: venena externa, quæ ab occursu putridorum excitantur vt quæ ab aqua aut aere quocunq; modo corruptis, à tetris vaporibus à re quacunque putrida exhalantibus: Sic enim infœlix ac inauspicatus syderũ aspectus, aut concursus aerem venenatum excitat: Sic austrini ac meridionales flatus putredinem quandam exitialem in aere pariunt: Sic aquæ stantes stagnantes vaporem funestum expirant: Sic ex cloacis, sentinis, sepulchris, demortuis corporib[9], erucarum abundantia, lanionum tabernis, latrinis, aceruis caulium putridorum, ex bombycibus, ex vicinia herbarũ prauarum vt cicutæ, apollinaris, mandragoræ, buxi, taxi, nerij, aconiti, nucum iuglãdium, napelli atque aliarum herbarum maleolentium, putris expirat vapor qui venenatam contagionem parit.

Quinta species venenorum recenseri potest (potissimum externorum) ea quidẽ à mediis per quæ agunt, petita: alia enim inficiũt absque vllius substantię medio, quales sunt excantationes fascinationes, prestigiæ, philtra, imaginationes, metus: Sic enim visu sæpenumero venenum infertur,

infertur, quod norunt maleficę mulieres, maxime vetulę, & strabis ac toruis oculis, quæ suo intuitu infantes sæpenumero perdunt, aut illis tantum terrorem incutiunt, vt quandoque in comitialem morbum cogant prolabi: Sic feles, suis lucẽtibus oculis quoscũque perterrefaciunt: Sic philtra, alios in amorẽ pelliciunt: Sic imagines, sic sigilla alios fascinant: Alia vero venena non agunt ac operantur nisi per alicuius substantiæ medium, vt ea quæ vel morsu, vel ictu, vel olfactu, vel gustu.

Sexta species desumi potest à partibus diuersis, quibus venena peculiari quadam natura, noxam inferunt: licet enim hoc sibi insitum à natura habeant venena, quod cordis facultatem siue primò siue aliquo alio mediante opprimant, tamen quasdam etiam alias corporis partes priuatim inficiunt: non aliter quam in medicamentorum censu videas alia cerebro vt stœchas, alia cordi, vt crocus, alia hepati vt eupatorium, alia denique aliis corporum membris auxiliari: Sic enim inter venena, cantharides vesicę: Cicuta cerebro: lepus marinus pulmoni noxam pręcipue inferunt.

Septima, petitur à tempore, quo venenum suam actionem perficit, vnde aliud præsentaneum aliud temporaneum venenum dicitur: hoc quidem quod tardissime, illud vero quod citissime enecat.

Octaua, ex diuersitate perniciei ac malignitatis suæ: Vnde aliud lethale aliud non lethale appellatur: lethale quod vires suas perniciosas exerens, maiori ex parte perimit, quia duo potissima vitæ organa lædit nimirum cor & iecur: non lethale, quod vires suas continet, nec instrumēta vitæ planè labefactat, sed ea tantum quæ vitæ inseruiunt qualia sunt pulmo, cerebrum, ventriculus, vesica.

Signa venenorum in vniuersum.

NOn simulatque venenum haustum est aut admotum ad cor ipsum cōtendit, sed sensim alias partes lędit, & sanguinem prius inficit, deinde spiritus ipsos vitę opifices, postremò cor, quæ omnia sua funesta agendi vi in suam venenatam naturam ac speciem tandem transmutat: Proinde non tam citò assumpti aut admoti veneni signa se produnt: potissimum vero illius veneni, quod ab aëre putrente

manat, cuius caussa cum occulta ac ferme insensilis sit, non manifesta, qualis in multis venenis quę vel morsu, vel ictu, vel haustu veneficam suã perniciem exerunt, nõ facile dignoscitur qua ratione suũ virus partibus internis cõmunicet: Oportet enim putrentem ac venenatum illum aërem circũfusum, ab arteriis vel minutissimis, quæ per corpus totum disperguntur etiam sub cute, per meatus quos habent, attrahi ad cor, ab eoque, cor eiusque vitales spiritus infici: non quod cor ac arteriæ venenũ illud delectu aut vi quadam sibi insita attrahant, sed quod aërem continuò inspirant (cuius refrigerando cordi maxima est necessitas) quo mediante natura etiam repugnante, venenum quoque trahunt: Sic videas qui sub vmbra taxi aut nerij dormitarunt, aut humi super plantis noxiis, vel prope specus virulentorum serpentium aut cloacas putrentes decubuerunt, imprudenter veneno infici, ob aërem venenatum per ea loca circunfusum, arteriarum inspiratione ad intimas partes attractum: Proinde non est facile veneni cuiusque virus prima statim inuasione dignoscere, sed potissimũ cum eorũ venenata ac perniciosa qualitas par-

tibus interius negociũ facessere incipit: Cuius molestiæ certissimã cõiecturã adferunt sæuissima symptomata quæ suboriũtur. Assumpti autem veneni hæc signa sunt: viriũ totius corporis prostratio, frequẽs animi deliquium: liuida facies: vertigo capitis: oculi torui ac cõcaui: lingua ac labia nigricantia: extrema corporis, presertim vngues plumbeo colore liuentia: sudor frigidus circa frõtẽ & tempora erumpẽs, sopor: acris ventriculi morsus: Corpus maculosum & varium, præ marcore fœdũ, tetrum expirans odorem: maxime verò si hęc omnia obtingunt corpori bene sano, inculpatę vitę legibus vtẽte, statim post assumptum cibum: nam fieri potest vt à praua victus ratione, aut aliis ex caussis pessimi in nobis succrescant humores, qui tandem venenatam acquirant qualitatem ac proinde eadem ferme ac non dissimilia his symptomata inuehant: quales noxæ suboriri consueuerunt à putrente semine, retentis mensibus, grumo sanguinis putrido, bile porracea aut æruginosa putrente. Proinde cautum ac circonspectum medicum esse oportet, qui in hæc singula diligenter inquirat.

Admoti veneni non tam difficile est signa discernere, potissimum quæ à morsu, ictu, punctura, vulnere, sputo venenato: statim enim tumor suscitatur, dolor vehemens, delyrium, potissimum in pũctura nerui, & nisi succuratur, vuln⁹ eiusque labia nigrescunt, suboritur in membro motus ac sensus deperditio, tãdem atrophia, corruptio, ac necrosis.

Veneni à proprietate occulta & forma specifica agentis signa eadem ferme sunt quæ & assumpti veneni.

Veneni à qualitate manifesta ac elementari vires veneficas habentis hæc sunt: calidum venenum, internas partes celeriter inflammat, sitim inexplebilem excitat, oculos inflammatos, rubentes ac exertos reddit, anxietatem incredibilem parit, inquietudinem assiduam inducit, continuum sudorem exerit: Si acre sit, erodit, exulcerat, pungit, vellicat, putrefacit, cruciatum intolerabilem in ventriculo & intestinis ac borborigmos infinitos in eisdem suscitat: Tandem nisi expugnetur, vomitum, sudores, dysenteriam, prauos totius corporis colores inuehit.

Frigidum venenum soporem, sensum

hebetem, grauitatem, rigorem, motum difficilem, aut inconstantem toto corpore potissimum oculis, ore, manibus, vt in temulentis: frigiditatem totum corpus occupãtem sudores frigidos, liuidum faciei colorem ac terrificantem, ac plæraque alia symptomata profert. Ex sicco veneno lingua arescit, fauces siti incredibili discruciantur, aluus astricta redditur, vrina ægre effluit, vigiliȩ perpetuæ, totum corpus pene exuccum ac aridum redditur.

Humidum venenum, somnum profundum ac inexpugnabilem, alui fluxiones, articulorum, neruorumque luxationes adfert: Postremo totum corpus sæpenumero aut eius pars aliqua putrescit.

Veneni contagiosi ac ab aere putrente excitati signa petenda sunt ex caussis putredinis ac contagionis.

Veneni intus geniti aut aliunde assumpti signa patent ex inuestigatione caussarum cuiusque.

Iudicia fascinatorum sunt, color malus, oculi tristes, & demissi cum lachrymis, aut nimium sicci, suspiria, cor triste, vigiliæ, insomnia mala, macies in toto corpore. Et hyacinthus rubens, &

corallus, in fascino pallescunt, nitoremque amittunt: Et si annulum ex asini vngula digito immiseris, qui post aliquot dies fiat latior, fascinationis index est.

Præstigiati, vana loquuntur, vaniora imaginantur, extra mentem sunt, oculos habẽt lucidos, cogitabundi, vigiles fiunt: natiuus in illis color deperit, marcescunt ac gracilescunt in dies.

Deuotos curæ magnæ exagitant, sunt timidi, iracundi, consilij inopes, superstitiosi, creduli, sibi ipsis parum fidentes omnia tuta timentes, suæ vitę pertęsi, odiosi etiam suis, laruis ac nocturnis spectris facile decipiuntur.

Lethalis aut mitioris: presentanei aut temporanei veneni signa petenda sunt ex symptomatum conditione ac moribus.

Præsagia venenorum in vniuersum.

VEnefica occulta proprietate, omnium venenorum funestissima sunt: Ex his quæ manifestis qualitatibus agũt, imbecillima ac mitissima sunt quæ humida sunt, quo nomine placuit nonnullis

nullum venenũ humidum existere, quod nullum sit humidum reperire, quod ad quartum humiditatis excessum peruenerit: Venena vim suam veneficam multo promptius ac citius exerunt in corpora, sanguinea, biliosa, venas latas habentia, in partes molles, spongiosas, in corpora iuuenilia quam in corpora his dissimilia: frequens ac vehemens syncope, sudor frigidus, pulsus paruus, debilis, inordinatus, creber, difficilis anhelitus, omnia lethalia: Lethale quoque si vomitus cohibeatur, si aluus sistatur, si epotum venenum non expellatur, sed ad hepar & venas rapiatur: Si delyrium aut conuulsio, aut vetanus superueniat: Si morsus aut punctus neruus sit, aut arteria icta, si caput musculi aut aliquis articulus vulneratus.

Signa demonstratiua ac prognostica venenorum facilius ex cuiusque veneni descriptione innotescent.

Præcautio venenorum.

INter ea quæ de venenis lethalibus traduntur, ea quę de præcautione agit, ardua maxime ac difficillima pars est: pro-

pterea quod qui venenis struunt aliis insidias, tanto astu tamque arte malefica id machinantur, vt peritissimo cuique & artis callentissimo facile imponant. Qui ergo venena præcauere volet, eaque in suspicione fuerit, parari veneno vt sibi insidias putet (velut principes ac magnates) operosa culinæ arte elaborata, confectáque cibaria vitare debet: omnem quoque saporem qui palato nimium placeat, aut intensam gustui qualitatem excitet, dulcorem nimirum aciditatem, vnctuositatem vehementem, salsedinem acrimonia temperatam: Hisce nanque saporibus fucare venena solent homines malefici ne dolus deprehendi queat. Cibos etiã vitare debet qui candido vel oleraceo colore sunt, aut qui ex animalium sanguine parantur: siquidẽ albedine venena quædam metallica facile occultãtur, quale est sublimatũ: ob id sale candido ac albicante ceu natura ceu arte tale fuerit in cibis condiendis principũ, abstinendum omnino: & sale cineritio vtendum: sanguine etiam animalium quibus vescimur commodissime venenatorum sanguis inseritur.

Curet vt coqui & reliqui culinæ inseruientes, non modo fideles sint & incorru-

pti, sed etiam mundi, cauti ac prouidi, ne vllus veneficorum insidiis relinquatur locus: tum etiam vt sciant recte diligenterque custodire cibaria, vel aliud vnumquodque quod in ciborum vsum reponitur: animaduertant quoque ne in culinaria vasa, quæ super vel circa focum eduliis referta resident, venenatum aliquod animal tecto per caminum decidat, vt quidam exigui aspides qui sub tectorum tegulis se recipiunt, stelliones, scorpiones, araneę & similia: Videant etiam ne decoquantur carnes lignis venenatis vt oleandro, taxo & aliis quibusdam: Quidam ligno oleandri veru fecerunt & carnes eo assarunt, & mortui sunt qui ex eis comederant: aut veru ferreum antea veneno aliquo vel tenuissimo inungatur: Dent quoque operam sedulam vt vinum & aqua aliaque cibaria aut cibariorum condimenta reponantur in vasis obturatis ac clausis, vt neque aranei neque scorpiones neque stelliones, nec aliquod virulentū reptile vel insectum ingredi possiat. Mos est hodie frequētissimus vt principum ministri edulia quæ præponuntur edenda degustēt: Laudabilis quidē consuetudo sed non ea cui plane sit fidēdum:

nam pincerna si vitę ac saluti sui domini malis artibus insidietur, poterit seipsum valentissima aliqua antidoto præparare aduersum venenum: Pocillator quoque, qui in seruatæ fidei signum domino præbibit, iisdem præsidiis se tueri poterit aduersus venenum: adde quod vterque tam parca manu vtrunque degustat, pincerna quidem cibos: Pocillator vero vinum, vt etiamsi subsit venenum, nullam inde molestiam ac noxam possit percipere: Accedit huc, quod fere omnia venena, quæ vt interimant cibariis admiscentur, ea arte à scelestis veneficis parata sunt, vt non nisi temporis interuallo vires suas exerant: Ergo principibus non vsque adeo huic consuetudini fidẽdum, sed curãdum potius vt ministros habeant, quorum manibus edulia administrantur, non ignobiles, non obscuro loco natos, eosq; fideles nec auaritię deditos, neq; inuidos, & qui diu anteà vita ac moribus sunt probati: in quos etiam multa eaque non parua beneficia contulerint. Quinetiam medicos sibi adiungant qui medicæ materiæ sint peritissimi.

Bibant quoque ac comedant potius in vasis vitreis aut fictililib⁹ vitro circũlitis,

quam ex auro & argento conflatis, quandoquidem in eiusmodi pretiosis vasculis venena facilius abduntur: Si tamen horũ vsus placeat principibus, munda hæc nitidáque seruentur & hominum fidelium manibus committantur.

Caueant etiam sibi à quibus herbis fiant stramenta lectorum, aut quibus lignis stuphæ ceu hypocausta calefiant: nam oleandrum, taxus, napellus & alia quædam iam nota sunt: quarum candelarum accensarum lumine vtantur.

Maximè verò curent vt quam fideles habeant seruos cubicularios: nam quodã veneni genere cubilia, interulæ, cæteráque vestimenta possunt infici: quare serui, priusquam vestes suis dominis induẽdas offerant, eas manibus diu pertractẽt.

Iubeant quoque vt mangones & qui curam equorum gerunt, equis sæpe insultent super iis sellis, quibus ipsi in equitando vti consueuerunt. Sunt enim quidam venefici astuti, potissimũ apud Turcas, qui sellas equorum sellarúmque pedisera illinant venenis tanta permeandi ac penetrandi vi præditis vt insessorum ocreas penetrent, donec ad nudas pedis plantas peruenta, & inde per cutis spira-

cula ac arterias cuti subiacētes in corpus ingressa, vniuersa corporis membra corrumpant & absumant : proinde stabuli præfectis mandare debent, vt tam cautè sellas habenásque recondant vt ignotis & his quibus fidendum non sit, eas nec intueri nedum tangere liceat.

Præter cætera habeant medicum fidelissimum, amicissimum, & virum bonum, Dei diuinæque maiestatis cultorem eximium, qui calleat ea quæ sua peculiari naturæ dote, præsens venenū signis quibusdam certissimis detegunt: in quorum numero hæc recensentur à quibusdam viris fide dignis. Lachryma oculi cerui.

Prassius lapis, quem plasma vulgus appellat, statim splendorem amittit, vbi in pæsentia veneni cuiusque fuerit.

Cornu ceu lingua serpentis præsente Napello, aut vipera, aut pardi felle exudat: quod tamen non prodit cæteris venenis præsentibus.

Lapis ranæ terrestris anulo aureo insertus, ita vt digiti carnē attingat, quum primum præsentit adesse venenum, tanta digitum caliditate afficit, vt carbonem accensum, ipsúmque digitum vrentem præ se ferat.

Scripsit Albertus Magnus Adamantem orientalem gestatum, brachio sinistro inter humerum & cubitum annexum, omnium venenorum vim demoliri: eandem vim tribuit Achatę, hyacyntho & sapphyro orientali: alij eandem facultatem assignant smaragdo: alij lapidi, quem in capite draconũ reperiri tradunt, vnde draconitis nomen accepit: Aëtites lapis si in cibo ponatur, in quo fuerit venenũ, prohibet cibum deglutiri: & si extrahatur, mox deglutitur, si credamus eidem Alberto, lapidario & varignanæ: si quis vase potorio (inquiunt Plinius & Vitalis) ex electro vtatur, insidias veneni vitabit: discurrunt enim in eo arcus, cœlestibus similes, cum stridore igneo: Est autem electrum quoddam genus metalli, aut sanè aurum in quo quinta pars argenti inuenitur: factitium tãtum præstat quantum illud naturale, vt ait Valerianus tertio de re medica: est & electrum myrthynum, vulgò porcelana dicta, ex qua figulina vasa confecta eandem vim veneni experiundi habere dicuntur: Aurichalcum, quum venenum erodens sentit, tum etiam aliorum plura genera, colorẽ mutat in nigredinem & rubiginem con-

trahit: quare præstat vasa ex illo splendente habere: Est autem aurichalcũ metallum æneum præstantissimum in æris generibus, duorum metallorum nimirum auri & æris mixtura constans, vulgus gallicum, aurũ garrulum vocat (*Or cliquant ou laiton*) & ex eo confecta vasa garrula cymbala nominat: duorum est generum: aliud natiuũ ceu fossile, quale Arist. Philoponus & Agricola nullum amplius reperiri putant: aliud factitium quod ex ære constat tincto cadmię fossilis colore: Aurichalcum (inquit Cardanus) ne pauperibus suum præsidium denegetur, miro modo ab omnibus metallicis venenis mutatur: sed & ab aliis potentibus, præsertim si calidum sit cui immergitur: illud eligi debet valde splendidum & purum.

Et nisi ab omnibus acribus aut acidis succis vitiaretur rem absolutam vndequaque haberemus.

Scripsit Albertus Magnus imaginem serpentarij cum suis stellis cuiuis lapidi præcioso insculptam, vtilissime gestari aduersus omnia venena, eáq; præsertim quæ venenosorum animalium ictu vel morsu relinquuntur.

Petrus Aponensis affirmat, quòd si in

hæmatite lapide sculpatur homo genibus flexis serpente cinctus, cuius caput dextra teneat, caudam verò sinistra, & lapis ille anulo ex auro purissimo confecto inseratur, gestatus hominem à quocunque veneno tuetur.

Referunt quoque nonnulli sigilla, quędam ceu characteres, collo appensa, vel digitorum anulis inserta vim habere potentissimam contra lethalia venena: cuiusmodi sigillis ac suspensionibus an sit fidendum nil habeo quod suadeat: vide igitur ne prius his fidas, quam tibi notabile aliquod experimentum suppetat.

Tutius fuerit omni studio prouidere (si modo ab assumptis venenis quis sibi metuat) ne vehementi fame sitive affectus cibum arte culinaria elaboratum sumat: sic namque metus subest, ne vis veneni celerius rapiatur in viscera, & qui magna cum appetentia voraciter cibum sumunt, non facile vim veneni queunt deprehendere: nullum quoque cibum peculiarem edat ex consuetudine: nec solus: nullum certum locum in mensa teneat, sed frequenter mutet locum: abstineat à ferculis valdè mistis, tortis, infarctis carnium, farciminibus, intinctibus:

in

in edendo, de nulla alia re cogitet: cum primum cibum in os mittit, odorẽ exploret, nam si maleoleat, suspicio est veneni, fœtor enim comes est putredinis: si sordidum aut putridum quid cõtineat, vel diu lingua ac dentibus tractatũ hęreat, vel in deglutiendo impedimẽtum adferat gutturi, vt per gulam demitti non possit, vel strideat sub dentibus, hũc reiiciat: eadem cautione vel potius maiore in potu vtendum, qui non statim hauriẽdus, sed prius pitissandus ac degustandus venit. Breuiter cibus potúsque sumatur summa cum cautione & parca manu: nam (inquit ille) non nisi gulosi veneno confici possunt, solósque confidentes latet venenum.

Vitandi fungi, & quicunque cibi venenis similes, vt anguillæ & ranę non solùm quod hæc venenosa esse possint, sed quod venefici sub ea occasione venenum exhibeãt: vitandũ apiũ, quod simile sit apio risus, petroselinum paruũ, cicutæ simile: si quid detur ex cuspide cultelli aut nõ edẽdũ aut edendũ ex altera parte: pocula in quib⁹ bibitur, sunto, si fieri possit, è cornu monocerot s, vel cornu cerui factis, vt solent reges apud Philostratũ in vita Apollonij: aut ex ligno cupressi, pini, iuniperi,

mali punici, fraxini: hęc enim venenis potissimũ serpentib. aduersantur, vt quarum arborum vmbram fugiũt: quemadmodũ plurimũ delectãtur iacere sub vmbra saluię, hederę & fœniculi: ob id ab harũ herbarũ potissimũ saluiæ vsu abstinendum.

Tutissimus autem ac securissimus præcauendi venena modus est: vt in eius suspicione semper aliquid præmandatur, quod venenorũ vires retũdere possit: cuiusmodi sunt pingues caricæ, cũ iuglãdibus, rutæ foliis & grumo salis, vt sint rutæ siccæ partes vinginti, nucum siue iuglandium partes duæ, salis quinque, caricarũ pinguium partes totidẽ: hęc enim pręmãsa aut simul cũ cibis assumpta veneni assumpti virus reprimũt, aut etiã per vomitũ expellunt: easdẽ vires obtinet citriorum frequens vsus, hæc enim succo, sem. corticæ, & odore venenis resistunt. Item, napi semen drachmæ pondere ex vino potũ: calaminthæ fol. esus lactucarũ multarũ cũ butyro: butyrũ recens sumptum cum pane: præstantissima omniũ est terra lemnia ad pondus drach. I. vel eius loco mithridatiũ aut theriaca: probanturà nonnullis castaneæ, mespila, pistacia, allium, raphanus, nuces ponticæ, rad. ari, cornua

cerui,folia cupreſſi, pini, iuniperi, medicamen cōpoſitum ex ſemine ſancto,& aſſa fœtida,conſerua flor.caryophyl. aqua ſtillatitia cinnamomi.

Vt autem ædes ab animalibus venenatis liberentur, educanda ſunt domi ea animalia quæ illa edunt, ciconiæ, pauones,eluri, muſtelæ: fuganda odore ingenti iuniperi, cornu ceruini, naſturtij, peucedani, polij, ſtyracis, aſſæ, ſerapini, picis,cedriæ, aſphalthi, trifolij, rutæ, gagatis lapidis,caſtorei, vngulæ cerui, ſuccini,calaminthæ.

Curatio venenorum in vniuerſum.

REuocandum venenū per eam viam qua corpus noſtrum ingreſſum eſt: velut ſi per os aſſumptū fuerit, vomitus prouocādus: ſi per clyſterē, clyſtere aluus ducēda: ſi ex ictu aut morſu aut vulnere, exugendum. Si ergo aſſumptum per os venenū cuius ſit generis dubium ſit, qualecunque id fuerit abigēdum vomitu citato quam citiſſime fieri poterit, ſi modo venenum adhuc in ventriculo reſideat: nam ſi in inteſtina iam deſcenderit, illud quamprimum clyſteribus infuſis extrahendum: quinetiā ſi citato quantūuis vehementer vomitu, vomitus nō ſequatur,

aut nihil veneni per vomitum expellatur, catharticis etiam violentis ac clysteribus sollicitãda veneni foras exclusio: citabitur vomitus multo hydrelæi potu, vel butyro multo pingui & deuorato & calidæ aquæ admixto: decocto itẽ maluæ aut seminis lini, vrticę, fœnugr. aut decocto raphani & sem. attriplicis ex syrupo acet. & hydreleo assumpto: aut decocto ellebori albi, flor. genistæ, summitatũ anethi, nucis vomicæ: immisso digito aut penna in oris profundũ: quod si vomitus tardauerit repleatur ventriculus oleribus & piscibus salitis, plurimúsq; potus ingeratur: Si vomitus ob id non sequatur, suspendatur per pedes capite declinato, vt qua arte fieri poterit vomit⁹ succedat: hic enim si quod aliud remedij genus, vtilissimus est non solum quod venenum expellat ac vacuet, sed quod assumptum interim venenum, odore, sapore, colore, grumis eiectis arguat & representet: odore quippe & amaritudine cicutã: colore, cerusam & gypsum: grumis concretis lac vel sanguinẽ: materiæ qualitate & acrimonia, sandaracham, leporẽ marinũ, aut ranam ruberam, aut hyrudinẽ prodit: ita vt per hęc ad accõmodata & propria singulis reme-

dia via pateat:perſeuerandũ verò tamdiu in vomendo, quoad nec ſapor, nec odor, nec morſus,nec nauſea, nec anxietas ſentiatur,quę ſunt iudicia reliquiarũ veneni: ſi in ventriculo ac inteſtinis percipiatur incendiũ quoddã,indatur ſuppoſitorium acutũ,iniiciatur clyſter acris vt è ventriculo ac inteſtinis foras venenũ attrahatur:propineturverò catharticũ quo aluus deiiciatur ſatis potenter, ad quod opus non poſtremas partes obtinent rhab.agaricus,caſſia ſolutina,aloë, adde ſi vis centaurium minorem : hæc enim præterquã quod aluum deiiciunt, ſua quoque acrimonia vẽtriculũ abluunt & abſtergũt & facultate ſibi inſita venenis aduerſantur: proinde clyſteres iniicientur ex decocto centaurij min. emollientium herbarũ & colocynthide, adiecto agarico : in quo decocto diſſoluetur hyera Galeni aut dia colocynthidos: purgatio inſtituetur ex infuſo rhab.aut pilulis ex aloë confectis: aut etiã diluto elleb. ſi cogat neceſſitas: aut ex caſſia fiſtula ſi modo in inteſtinis eroſio ac acrimonia ſentiatur : hęc enim emolliendo,erodentiũ medicament.acrimoniã obtũdit : vbi & vomitu & alui deiectione vacuatũ eſſe abundè, quod ne-

gocium facessebat deprehēderimus, tum lacte asinino aut altero lacte vt caprino epoto, vel iusculis ping. ex adipe, butyro ping. aut lacte viscera ac intestina veneni acrimonia oblæsa mulcebimus, nō aliter quā in dysenteria factitare consueuimus, idque auxilij vel potu vel clystere tentabimus: imò verò & narcotica his admiscebimus, si istis leuiorib⁹ anodynis nihil profici experiamur: Interea omni arte partes nobiles à maligno huiusce veneni vapore tuebimur, admoto nimirū regioni cordis cataplasmate cardiaco ex conf. bugl. borag. mithrid. theriaca, granis kermes: aut epithemate eiusdē facultatis: hepati quoque ac cerebro aliis cataplasmatibus applicatis: Quinetiam reuellemus deorsum ac reuocabimus vim venenatā, ne in cor partésque nobiles euehatur cucurbitulis affixis pulpis crurum, frictionibus asperis ac vinculis dolorificis earūdem partium, itémque brachiorum, digitorū, pedum ac manuum: balneo quoque aquæ calentis ex accommodatis medicamentis confecto, vel laconico sudorem prouocante: quandoquidē huiuscemodi calor extraneus efficacissimè venenū ad cutim trahit: vicē verò balnei aut laconi-

ei supplebit, si dissecto muli aut equi viui aluo, excretis statim intestinis, æger in animalis cadauer intromittatur.

Nec vsque adeo his fidendum remediis quin ab antidotis tum simplicibus tum compositis salutare presidium quæratur: qualia sunt terra lemnia, mithridatium, theriaca scordium, radix imperatorię, angelicæ, zedoaria, bolus armena, semen napi & pastinacæ, semen rutæ syluestris, valeriana, mala citria, limonia, aurantia, radix dictamni, tormentillæ, aristolochię, gentianæ, nuces ponticæ & alia pene innumera: quæ sane multo maiore copia exhibenda sunt veneno correptis, quam venenum metuentibus.

Victus vero ea seruanda ratio veneno correptis, vt lac asininum aut caprinum recens mulctum aut ouillum habeant in vsu frequenti: butyrum quoque: iuscula carnium pinguium, pinguia enim ideo hîc conuenire creduntur, quod vias obstruant ac proinde venenum aditu ad cor prohibeant: illi autem degant in aëre lucido, parum aut nihil dormiant, vigilēt vero quantum poterunt: vt enim somnus intrò cogit venenum, ita vigiliæ foras euocant à centro ad superficiem: suffian-

tur odoratis suffitibus ex myrrha, ligno aloës, ladano, styrace, cortice mali citrei, baccis iuniperi, scordio: si siti torqueantur, hauriant lac acetosum vel oxicratum aquosum: iusculis vtantur in quibus serpyllum, pimpinella, buglosum, borrago incoquantur

Si quod assumptum est venenum, fuerit calidum, iisdem fermè remediis pugnandum quibus in veneno à tota substantia vtendum mox diximus: nisi quod hîc clysteres non acres sed leues iniiciendi: cibaria, omnia frigida tam actu quã potestate vt succus granatorum: lacteus cremor seminum melonum, melopeponum, aqua lactis, ptisana hordeacea: admouenda quoque frigida tum actu tum potentia: versandũ in aëre frigido: quieti & somno indulgendum balneis quoque aquæ egelidæ: sumendum potius mithridatium quam theriaca: Et quia alui profluuium solet subsequi ad hoc veneni genus id sistendum omni astringentium genere.

Si frigidum fuerit, vomendum statim vt dictum est, clysteres iniiciendi acres, calidi, attrahentes: vigiliæ imperandæ exuscitandum à somno: sternutamenta

cieda: fricandũ corpus linteis asperis versandũ in aëre lucido calido: deambulandum: exercendum corpus: sudandum ante cibum: Propinandæ confectiones calidæ, qualis anacardina, diatrion pipereon, diamargariton, cõfectio alkermes: Potus sit vinum generosum, cibus allia, cæpe, sinapi: sitis tamen imperanda.

Si morsu alicuius animalis venenati, vel punctura, velut alicuius sagittæ venenatæ, aut vulnere illato ab ictu scloperi venenati vel aliunde: exugendum venenum est è vulnere ab eo qui nec vlcus in ore, aut gingiuis aut palato, nec dentes corrosos habeat, colluto prius ore cum oleo violaceo aut rosaceo primum, deinde cum vino odorato: Si non adsit qui nõ exugat, admouenda cucurbitula vulneri ampla cum multo igne & sacrificatu: apponendi quoque pulli gallinacei per medium secti, vel carnium hædinarum aut ouiuarum, nuper iugulatarum frustum, vt calor ille naturalis non solum venenum attrahat, sed vim illius obtundat: pari modo apponenda caro animalis illius venenati à quo ictus inflictus est, vt viperina caro morsui viperæ: iecur canis rabidi morsui à cane rabido infixo: Præ-

ter hæc admouenda emplaſtra attrahentia vulneri ex ſtercoribus columbarum, radice arundinis, bulbi, ariſtolochiæ, dictamni, ſinapi, ficubus, cæpis crudis ſimul malaxatis & incorporatis: vinculis quoque arctiſſimis deliganda pars vulnerata ſi fieri poſſit, ne virus veneni intrò permeet: nec prætermittendæ ſunt profundæ ſectiones ſi natura partis permittat, venenique ſerpentis intrò malignitas poſtulet: Interea tum vulnus tum vulneris ambitus, illinenda theriaca, aut mithridatio aut aliquo alio alexipharmaco: ne venenum in partes ſanas ſerpat, & vt veneni malignitas reprimatur: eſtque ſumẽdum per os aliquod alexipharmacum ad partium internarum tutelam ac robur: pars item vulnerata vel potius totum corpus inuoluendum mulo exenterato aut mula prominente capite, dum adhuc feruet, & tandiu in eo quieſcendum donec vis veneni retuſa fuerit: & cum refrixerit cadauer, idem etiam de alio fiat, quovſque ſat fuerit: mulus enim ac mula quia plurimum habent caloris, cæteris præpollent animalibus ad veneni malitiam refrænãdam: Quodſi his remediis non ſaneſcat vlcus, ſed liueſcat aut etiam ad necroſim

tendere videatur, indē̄dum cauterium in vulneratam partem ad os vsque, vt inde eschara dura inducatur quæ sit impedimēto ne venenum sequiat in partes sanas: id tamen frustra tentabitur, si venenum iam serpsisse ac intrò subiisse coniectura sit, ex colore liuido, sensus ac motus priuatione: ob id nec cauterio nec scarificatu profundo, tùm opus est sed potius partis amputatione si pars ferat sin minus, manet vlcus incurabile, solis indigens blanditiis, vt cācer quilibet, nimirum frigidis vnguentis vehementer astringentibus, quibus veneni malignitas retūdatur ac latius serpere prohibeatur.

Sed ista ex propria ac peculiari cuisque veneni curatione clarius innotescent.

Curatio propria venenorum assumptorum: Et primum ex metallis.

Lithargyrum.

HAusto lithargyro intumescit totum corpus maxime vero lingua: vehemens in internis partibus sentitur dolor, ac erosio: vomitus, alui profluuiū, diabete, eodem ferme temporis momēto suboriuntur: à quibus ani procidētia, to-

tiusq; corporis liuidus ac plumbeus calor succedũt. Occurrendũ sæuienti veneno, iisq; symptomatibus quæ tãdem consequũtur vbi venenũ serpserit, remediis illis quæ ad frigida venena valere diximus: Omni vero arte foras expellendum venenum est diureticis, vtpote decocto seminis apij, petros. vini albi haustu: aluum etiam soluentibus: tandem propinandum proprium eius alexipharmacum nimirum myrrha ad drachmas tres cum vino.

Cerusa.

Cerusa linguam ac vomitum album efficit dentes tamen nigros, doloremque ventris grauantem excitat: adfert quoque refrigeriũ cerebro, indeque delyrium, pectori tussim: ventriculo singultum: intestinis diarrhœam & tenesmum: cordi syncopen: vesicæ nigram mictionem: toti corpori colorem liuidum. Curatur vigiliis, alioquin soporem minatur aut etiam apoplexiam: vomitu, cum decocto seminis rapi & attriplicis: clysteribus acriusculis: Tandem proprio sibi alexipharmaco, vino albo meraco liberalius hausto: aut vlmi liquore, aut oleo liliorum ex hydromelite, aut mucagine

ſemiuum fœnug. altheæ maluæ & pſyllij potis.

Cinnabrium.

HOc ſe prodit vehemēti dolore & eroſione in faucibus, ventriculo, inteſtinis, ob incendium quod in iis partibus ſuo acri calore ſuſcitat: vnde alui profluuium cruentum tandem ſuccedit: quæ euomuntur rubra ſunt.

Sorbenda iuſcula pinguia, iniiciendi clyſteres ex hydromelite & oleo: ſumendum ſpodium in potu ad drachmas duas quod eius alexipharmacum eſt: & iis vtendum remediis quæ ad ſublimatum & cantharides conferunt.

Viride æris.

HVius eadem ſymptomata ſunt quæ & cinnabrij: curatur autem propriis venenorum calidorum remediis: clyſteres lenientes iniiciendi ex decocto viol. mal. biſmal. ſeminum altheæ, lini fœnug. cathartica propinanda lenientia: Sorbenda iuſcula pinguia, potiſſimum mucago ſeminum fœnug. alth. maluæ, & lini: cuius loco (ſi modo diſpliceat) ſyru-

pus viol. lac acetosum vinum granat. succus malorum acetosorum berberis, trifolij: Postremo vrina asini aut fel capreoli cum aqua calida, vel corallum rubrum ad drachmas 2. quorum vtrunque eius proprium est alexipharmacum.

Calx viua, Sandaracha.

HÆc suæ malignitatis eadem symptomata inuehunt, quæ & viride æris: ac proinde eadem curatione indigent, nimirum potu lactis ex aqua mulsa, iusculis pinguibus, decoctis viscidis ex seminibus alth. maluæ, lini, psyllij, fœnug. Item, antidotis illis quæ ad cantaridum noxam facere dicemus.

Gypsum.

HVius perniciosa qualitas non multum dissimilis cerusæ & lithargyro, grauior tamen in eo quod maiorem difficultatem respirandi inuehat: Huic conferũt origanum cum passo, aut oximelite potum. Item, hydromelite: decoctum caricarum: lixiuium è ficulneo aut sarmentitio cinere paratum cum vino copiosiore, decoctum seminum mal. alth. fœnug. lini: maxime vero murium ster-

cus ex vino potum, quod proprium est eius alexipharmacum: aqua egelida cum butyro pota & vomitione reiecta: mithridatium ex meraco duarum drachmarum pondere à vomitu sumptum: Item, antidota omnia quę cerusæ & fungorum noxæ opitulantur.

Peculiariter autem gypsum assumptum dignosces si labia alba ac mortificata appareant: aluus astricta reddatur: summa sentiatur in ventriculo frigiditas.

Alumen.

ALumen haustum excitat tussim vehementem, phthisim (nisi illi occurratur) minantem: curatur lenientibus, humectantibus & detergentibus bechicis: quare sorbendum quouis die lac asinæ au capræ recens mulctum: deuorandum saccarum penidiatum, candum, butyrum crudum: hauriendus syr. violaceus, de liquir. de hyssopo.

Scoria ferri aut eius ferrugo.

HÆc tantā corpori siccitatē nō statim sed interuallo tēporis parit vt ferme marasmū inuehat, proinde

humectandum corpus, tum balneis tum frequentibus clysteribus ex decocto pedum & capitum hœdorum aut hyrcorũ: quinetiam morbi initiò antequam tanta corporis ariditas inducta fuerit, vehementi cathartico, vt diagredio aut elect. de succo rof. per aluum materia foras excludenda, &, statim à purgatione iuscula pinguia aut lac propinandum frequentissime: à quibus menthæ succus, aut lemnia terra, drachmæ pondere ex vino, aut corallium rubrum drachmarum duarũ põdere ex vino: vel potius drachma vna pulueris magnetis (qui eius alexipharmacum proprium esse dicitur) cum aqua calida, aut succo mercurialis, aut blitis in formam pilularum. Hic enim cõgregabit omnes squamas separatas.

Æris scoria.

AVt vomitus immodicus, aut alui profluuium hinc suboritur, vna cum dolore & punctione in ventriculo & intestinis: Cuius alexipharmacum est succus acori drachmarum trium pondere cum vino haustus sumpto prius lacte recens emulcto aut iusculis pinguibus, exceptisque clysteribus humectantibus.

Argentum

Argentum viuum.

HAusto argento viuo si modo illud extinctum non fuerit nec sublimatum, sed purũ ac fluidũ, fœtor oris, anhelitus grauis: dolor sentitur in intestinis ac vẽtriculo, tandẽque, nisi illud descẽdat ac egrediatur, epilepsia ac apoplexia inuehitur: inflatur totum corpus: supprimitur vrina: omniaque totius corporis membra flaccida ac velut paralytica redduntur: quinetiam sanguis, vitales spiritus, ipsa denique cordis substantia congelatur: ac tandem adfertur interitus si largius bibatur: quæ omnia frigidum ac humidum ad quartum vsque gradum indicant argentum viuum.

Hoc clysteribus facillimè educi potest quia graue ac ponderosum: pugnandum tamen in eius exclusionẽ iis remediis quę contra venena à proprietate substantiæ recensuimus, non neglectis interim symptomatibus quæ ab eo hausto solẽt subsequi: Proprium eius alexipharmacum est myrrha drachmarum trium pondere cum vino veteri amaro aut hydromelite aut vino decoctionis absynthij, hyssopi & rutæ pota: vel aurum in puluerem subtilissimum redactum haustum: adde si

vis, amygdalinum oleum, lac bubulum cum suo butyro potum.

Argentum viuum extinctum, præcipitatum, sublimatum.

ARgentum viuum à suæ naturæ puritate degenerat, cũ aut extinguitur in saliua vel alio liquore: Aut cum in aqua acerrima, qua chymistæ vtuntur vel per se tantum præcipitatur; Aut cum vnà cum arsenico vel chalcãtho sublimatur: Deleterium sane horum vnumquodque, omnium tamen sublimatum perniciosissimum, secundum præcipitatum, proxime sequitur quod saliua aut alio liquore extinguitur: Proinde epoto sublimato quod calidissimum est, illico lingua ac fauces exasperantur, non aliter quam si quis immaturorũ sorborũ succũ hausisset: qualis asperitas nullo gargarizatu nisi difficilè & longo tempore tolli potest: vbi in ventriculum descenderit, ei pertinaciter hæret, vnde erosio ac exulceratio statim consequitur, sitis pene inexplebilis, & inexplicabilis angustia inducitur. Vnde linguæ tumor, animi deliquium, vrinę suppressio, anhelitus difficultas, ventriculi & intestinorum tormina, tam vehe-

menti erosione vt nisi statim succurratur, pereant affecti, erosis perforatisque ventriculo & intestinis.

Curatur clysteribus, vomitibus, iusculis pinguibus, maxime vero potu lactis bubuli cum suo butyro & vomitione reddito: iis quoque omnibus remediis quæ ad cantharidas assumptas valere dicemus: Eadem curationis ratio debetur præcipitato ac cinnabrio epoto: symptomatibus interea si quæ ab eo oborta fuerint succurrendum.

Arsenicum seu auripigmentum.

HOc assumptum simulatque fuerit maximam angustiam ac asperitatem in faucibus: ventriculi intestinorumque cruciatum: tussim: spirandi difficultatem, & omnia ferme sublimati symptomata inuehit.

Vomendum hîc frequenter poto semper prius butyro aut per se tantum aut addito seminis rapi decocto: Iuscula pinguia sorbenda, oleum amygdalarum dulcium vna cum iure pinguium gallinarum: Clysteres iniiciendi ex pingui iure, cremore prisanæ & alicæ, aut ex mucagine seminum lini, fœnug. altheæ,

cydoniorum, psyllij: Eius antidotum est crystallum fossile subtilissime pulueratũ drachmę pondere ex oleo amygdalarum dulcium potum.

Risagallum.

HAustum tantam sitim, exæstuationem, exiccationẽ, humiditatisque consumptionem inducit vt neruos contrahat, vnde statim mors consequitur. Eadẽ methodo curatur qua & sublimatum aut arsenicũ: Propinandũ frequẽter lac asininum & clysteres ex eo iniiciẽdi: cibandum iecore porci: sitis extinguenda ptisana hordeacea aut iulep. violaceo: totum corpus illinendum oleo amygdalarũ dulcium: Eius alexipharmacum propriũ est oleum ex nucleis pinorum, aut ex magnis nucibus expressum semilibræ pondere potum.

Ærugo.

ÆRugo est velut æris rubigo, præfocat vehementer, erodit ventriculum & intestina, dolores excitat in eis, nauseam mouet, ventriculum subuertit.

Succurritur noxæ, crebris cum lacte & calida excitatis vomitibus, vt in arseni-

co: infusis quoque clysteribus ex asinino lacte & oleo amygd. dulc. potu ex vino albo terræ sigillatæ, vel potius coralli rubri puluerisati sex scriptulorum pondere ex vino, quod eius proprium est Antidotum.

Aqua separationis auri, & lixiuium saponis.

HÆc eadem, sed maiora ac vehementiora, symptomata inuehunt quæ Arsenicum & sublimatum, quod illico in vniuersum corpus diffundantur, & transeundo linguam os & guttur totum vesicis albis repleant, ob id. Difficilior horum quam arsenici aut sublimati curatio est, eadem tamen specie.

Venena ex animalibus assumpta.

Canthárides.

SI admotę cãtharides horrẽda pene toti corpori symptomata maxime vero vesicæ excitẽt: quãto vehemẽtiora ab illis absũptis metuẽda putas? Cuiusmodi sunt vlcus vesicæ, incredibilis in meiendo cruciatus: penis, renum, testium, pubis insignis inflammatio: viscerum interiorum

erosio, eorum maxime quibus obuiant, indeq; sanguinis mictio: prærer hæc dextri hypochondrij inflammatio, dysentericum profluuium, defectus animi, ingens anxietas, cordis angustia, dolor, ardor, vertigo, delyrium, amentia.

His vt medearis, illæ foras ducendæ crebris citatis vomitionibus: clysteribus quoque paulo acrioribus infusis: vesicæ verò vlceratæ (vt cui suapte natura plus nocent Cantharides,) succurrendum medicamentis refrigerantibus, crassis, lentis & pinguibus simul mixtis: ideo hauriendum frequenter lac humanum ab ipsis vberibus recẽs mulctum crudum, eclegmatis modo linctum: sorbenda mucago seminis psylij, cydoniorũ & maluæ: syrupi quoque violaceus, nenupharinus & de papauere: succus lactucæ, portul. cucum. cucurbitæ: cremor lacteus expressus ex seminibus papaueris, melopeponum, cucurbitæ, cucum. angurię & lactucæ, affusa violarum aqua aut radicis alth. aut solani vesicarij: quinetiam baccæ decem aut duodecim eiusdem solani cõfractæ & ex aqua portulacę aut hordeacea ptisana: oleum amygdalinum selibræ pondere: oleum è pineis nucleis aut papau. semine:

aqua stillatitia maluæ, bis mal. cucurbitæ liberalius haurienda: Intestinis exulceratis consulendum clysteribus iusculorum pinguiū addito hirci ac cerui adipe, oleo rosaceo aqua plātaginis aut portul. prius eloto: foris vero illinendum oleum rosaceum, violaceum, nenupharinum, papauerinum, è momordica, nimirum pubi, peni, testibus: & in meatum pudendi tantillum horum iniiciendum, per cathetetem, addito oui albumine diutius agitato, aut succo sedi, vel hyoscyami, vel portulacæ vel lactucæ: Balneum quoque ingrediendum ex decocto foliorum radicum, & seminum maluæ, altheæ, violarum, psylij, fœnugræci, cydoniorum, lini, hyoscyami, & similium: Sumenda frequenter theriaca aut mithridatium: vel potius vtendum sæpissime hoc electario: Rec. nucleorū pineorū vnc. 3. nucis indicæ recētis vncias duas: pistaciorū sescunciam: seminum melonum, cucurbitæ, cucum. papaueris albi, maluæ, singulorum semunciam: corticis arboris thuris drachmas tres: margaritarum, coralliorū amborum, santalorum alborum singulorum

ſeſquidrachmam: ſucci liquiritiæ drachmas duas: baccarum iuniperi drachmam vnam: gummi arab. ſeſcunciam: terræ lemniæ drachmas ſex: ſucci baccarum halycacabi, portulacæ ſingulorum vncias ſex: diluti violarum vncias octo: mucaginis ſeminis cydoniorum extractæ in aqua violarum vncias ſex: ſyrupi viol. vncias quatuor: ſyruporum nenupharis, de papauere vncias decem: quæ terenda ſunt terantur, deinde commiſtis omnibus fiat velut opiata.

Pinorum erucæ, Bupreſtis, ſalamandra, Stellio.

HOrum caro comeſta, vel aqua in quam hæc animalia ceciderint hauſta, vel herba aut fructus aliquis infectus ſaliua aut mucoſa specie quæ ex toto horum animantium corpore reſudat deuoratus, eadem ferme ſymptomata inuehit quæ & cantharides, quòd ad ventriculum, gulam atque inteſtina attinet non quod ad veſicam: proinde iiſdem indigent remediis.

Rubeta, paluſtris rana, ceu Bufo.

CVm aqua bibitur in quam ſe coniecerit Rana paluſtris: aut cum vel fructus vel herba aliqua comeditur quam vel ſaliua, vel mucoſa quadam ſpecie vel vrina ſua rana terreſtris infecerit, excitantur horrenda ſymptomata: vt oculorum caligines, vertigines, conuulſiones, dyſenteriæ, faſtidium, vomitus, animi deliquium, delyrium, amentia, emiſſio ſeminis, inflatio totius corporis, ſaltem totius ventris, frequens ſyncope: pauci ab hoc veneno euadunt, & ſi qui euaſerint, edentuli fiunt: huius enim veneni proprietas eſt gingiuas mollificare: Curatur euacuantibus per vomitum & ſeceſſum, deinde potu iterato ad ſex dies matutinos theriaces aut mithridatij ex vino: Item, ſanguine teſtudinis marinę epoto addito cumino, leporis coagulo, & vino: aut puluere ſmaragdi vnius ſcriptuli pondere hauſto: quo ſumpto intrandū corpus exenteratū animalis quadrupedis magni vt bouis, muli vel equi, & ibi morandū donec deferueſcat cadauer: idque continuandū donec oborto ſudore

cedat noxa: corporis exenterati quadrupedis vicem supplere poterit clibanus calidissimus, vel laconicũ in quo sudor excitari possit, quo remedij genere plurimi sanantur hydropici: Proprium huiusce veneni alexipharmacum est lapis in capite bufonis inuectus, vulgo crapaudina dictus. Quæ superuenerũt symptomata curationem peculiarem exigunt: inflatio quidem ventris vel totius corporis, remedia hydropicorum, mollificatio corporis, remedia paralyseos: Ex corpore bufonis exiccato à veneficis paratur puluis quemadmodum scribitur in magia naturali, qui si sumatur eadem sed multo diligentiora postulat præsidia.

Vitulus aquaticus.

VItulus aquaticus est vermis paruus longus velut duorum cubitorum coloris subalbidi, habitans in paludibus & aquis cœnosis, & creditur ab aspicientibus quod sit pilus caudæ equinæ propter similitudinem ad ipsum: Si assumatur eadem inuehit symptomata quæ & ranæ terrestres.

Hyrudo.

VNa cum aquis paluſtribus, lacuſtribus, ſtagnantibus ab imprudentibus ſiti pene inexplebili cruciatis hauriuntur ſæpe hirudines: quæ ſi faucibus aut œſophago hęreant ac affixæ ſint (quod ex earũ ſuctione poteſt percipi) gargariſmatis vtendum ex lixiuio cinerum ſalicis aut ex aqua in qua alumen & acetum efferbuerint: aut ex muria in qua vitrioli aut ſalis armoniaci tantillum, ſinapi, acetum & lixiuium commixta fuerint: Sed ſi illæ ambitui faucium hæreant, opem mirificam feret, calidæ balneum, aqua frigida in ore contenta. Siquidem hyrudo ab aquæ propulſata calore, ad frigidã in ore contentam decurrens, facile vnà cum ipſa aqua expuetur: Interdum contingit, quod ſtatim ſub linguæ radicibus, vel in primis faucium partibus adhæreſcit, ita vt depreſſa lingua videri poſſit: tunc forcipibus roſtratis facile extrahi poterit: Quodſi ori ventriculi affixa fuerit, auxilium præſtat muria leuiter pota: fœtida item laſerpitij lachryma: quin & lixiuiũ cum aceto & ſale, aut raphani domeſtici ſuccus cum aceto, aut oleum crudum hauſtũ, quod per ſe tãtum hæc ani-

malia interficit conferunt insuper ea omnia quæ alui tineas & lumbricos necant.

Lepus marinus.

QVi hauserit in potu vel comederit carnem leporis marini statim prorumpet in vomitum vnctuosum ac fœtidissimum, toto corpore inflabitur hydropicorum instar, fietque ictericus citrinus: in plantis pedum vehemens sentiet incendium: fœtidùm ac difficulter admodum spirabit: oculos concauos & rufos gestabit: Adhæc torquebitur tussi sicca, pulmonum vlcere, sputis cruentis quæ omnia illi tabem adferent. Statim hîc ciendus vomitus vel lacte asinino epoto cum passo & maluæ decocto, vel etiam paulo vehementiore vomitorio ex ellebori decocto: aluus soluenda carthartico valido: quibus procuratis alexipharmaco proprio pugnandum, nimirum humano sanguine calente è venis, epoto: humano lacte ab ipsis vberibus exucto: theriaca diatessero per tres dies sumpta: Carne passerum aut vulpina assata deuorata: vino quoque generoso epoto.

Cauda cerui.

INuenitur in caudæ cerui extremis partibus porraceus quidam humor felleæ bili persimilis, quem si quis hauserit, angustiam vehemẽtem sentiet in ventriculo & intestinis, indeque deliquium animi frequens, & cætera Napelli symptomata. Pugnandum statim remediis venenorum ab occulta proprietate, donec venenata materia vel per vomitum vel per aluum deturbata fuerit: Qua tota aut saltem maiori ex parte excreta, sumenda iteratis vicibus theriaca optima cum vino generoso: Item, pistacia & ponticæ nuces in cibis largius deuorandæ: puluis quoque smaragdi semiscriptuli pondere à vomitu ex vino potandus: Totumque corpus oleo è semine citri expresso illinendum.

Fel ex animalibus non venenatis.

OMne genus fellis cum assumitur in cibo vel potu, est ex genere venenorum, licet animalia ex quibus manat, venenata non sint: suboritur huic epoto vomitus biliosus, frequens animi deliquium & ferme omnia symptomata quæ

ad sanguinem taurinum : proinde huius atque illius eadem curatio.

Fel leopardi, leonis, canis aquatici, canis rabidi, viperæ.

QVi aliquod ex his fellibus hauserit statim vomet amara, toto corpore flauescet & patietur symptomata quæ ad haustum Napellum consequuntur : & intra tres morietur horas nisi succurratur : Sin minus, spei aliquid superest.

Vomitus statim ciendus, aluus mouenda : à vomitu theriaca andromachi, aut mithridatium sumendum : grana aliquot moschi & ambari: puluis diambari, diamoschi : Totum corpus illinendum aliquo oleo odorato : Butyrum bubulum cum gentianę radice, cinnamomo, & leporis coagulo hauriendum.

Cerebrum cati.

QVi cerebrum cati assumpserit fiet stolidus mentisque expers omnino. Hoc vomitu aluique fluxu deturbandum : à quo propinanda frequenter terra lemnia.

Item, Diamoschum quotidie sumendam horis quatuor ante cibum: moschum quoque per se semiscripuli pondere ex vino pluries potandum.

Sanguis taurinus.

NEmo, nisi insanus, melancholicus, aut imprudens, aut inscius, sanguinem taurinum hausit: nec quicunque sanguis taurinus haustus fuerit venenatam noxam infert, sed is tantum, qui recens calidusque è iugulati tauri venis defluxus, bibitur, antequam concrescat: quandoquidem is non enecat aliqua propria veneni facultate, sed concretione tantum quam in ventriculo consequitur: Sanguinem ergo taurinum adhuc calentem siquis largioribus poculis hauserit, horrenda symptomata patietur, spirandi difficultatem, stranguriam, faucium angustiam, singultum, cõuulsionem, linguæ rubedinem, dentes cruore infectos: Vomitus citãdus, hauriendum aliquid quod sanguinem concretum dissoluat, quale est acetum acerrimum calidum, aluus vehementi cathartico ducenda: Spes vero affulgebit salutis si per aluum fluida & stercorosa egerantur.

Sanguis menstruus aut leprosi hominis.

MEnstruus sanguis mulierum, præsertim biliosarum, & facile rixantium potus, adeo bibentes effascinat & inficit, vt lunaticos, præstigiatos, maleficiatos, obliuiosos & amentes efficiat.

Huic succurrendum potu drachmæ vnius margaritarum tritarum cum aqua melissæ: & balneo aquę tepidę: frequenti quoque consortio ac coitu mulierum iuuencularum, & quæ raro nuptias celebrẽt gaudendũ: sumendum quotidie theriaca drachmę pondere ex aqua fumarię: Item, pastilli viperei scriptuli pondere additis tum margaritis tum theriaca eodem pondere deuorandi in formam boli.

Sanguis hominis cholerici.

ILle, cui in potu datus fuerit sanguis hominis biliosi rufi, detractus in tẽpore rixæ suæ, aut furoris, patietur furores mentis, permistionem intellectus, & omnem exuet modestiam, deinde paulatim exiccabitur.

Huic aquã cucumeris palestini bibere ex vsu fuerit, eiusdem grana masticare, succum

succum sorbere, syrupum nenupharinum potare: Huius alexypharmacum est pastillus vipereus.

Lac intus coagulatum.

LAc coagulatum ex se & propria natura succulentum est alimẽtum non venenum, si ante quam sumatur foris concreuerit: Hoc enim non magno labore coquitur ac digeritur, transitque in nutrimentum vt experientia ipsa testatur: lac autem quod priusquam concrescat hauritur, & vbi aliquantisper in ventriculo resederit, vi admissi sibi coaguli, aut alia de caussa ibi concrescit, venenatam quandam qualitatem acquirit ex ea concretione: vnde strangulatum, anxietatem atque angustiam in ventriculo parit: Proinde iubent medici, vt nemo lac potaturus ipsum bibat, nisi mellis aut salis aut sacchari aut micæ panis tantillum prius admisceat.

Huius eadem curatio quæ & sanguinis taurini, nimirum vt ea sumantur quę suapte natura concreta liquant, & discutiũt: qua in re auxiliantur coagula ipsa, potissimum leporinum: Item, acetum tepidum

potum & vomitu redditum: Caprifici lac potum: chelidonij maioris succus haustus: napi semen ex aceto haustũ, acetum squillinum, lixiuium: grossi lacteo succo turgentes ex posca sumpti. Brassicæ semen ex lixiuio ficulnei cineris epotum. nitrum per se potum. Conyzæ semen cum pipere ex aceto haustum.

Pili potissimum cati.

PIli omnes imprudenter in cibis sumpti suffocant, anhelitus meatus obstruentes: maximè vero felium ceu catorum exitiales censentur.

Eadem hîc curatio quæ est cerebri cati.

Cati natura venenata.

CAti siue feles non tantum cerebro & pilis sunt venenati sed & halitu, oculorum intuitu, & clamore suo, ita vt nonnulli qui felibus delectati fuerint, attracto eorum venefico spiritu, tandem contabuerint: alij, his visis aut auditis, pauore quodam illico rapiantur, terreanturque plurimum: quod sane non modo ex felium veneno procedit, sed etiam ex propria huiuscemodi hominum natura, qui eos vel intuentur vel audiunt: quæ

nescio cuius qualitatis à cœlo manantis particeps, antipathia quadam mouetur ad eius rei obiectum ac pręsentiam quæ sibi natura contraria fuerit.

His eadem curatio debetur, quæ & cerebrum cati comedentibus.

Sudor quadrupedum.

QVorundam animalium quadrupedum sudor, præsertim equi, asini & muli (quamuis etiam cæterorum sit malus) si imprudenter haustus fuerit: viridẽ tumidamque reddit faciem: sudorem fœtidum in vniuersum excitat corpus, præsertim sub alis: Perturbat præterea tum ventriculum, tum aluum plurimis in intestinis genitis flatibus: Quod si bibatur ex vino delyrium facit.

Huic confert tepidam largius bibere aut butyrum siue oleum, vt concitato inde vomitu, puluerulentus sudor reiiciatur: Post vomitum prodest vinum cum rosaceo potare: Item, rhabarbarum semidrachmæ pondere sumere addito salis fossilij momento. Confert quoque tanquam proprium Antidotum theriaca Auicennæ ex terra lemnia & baccis lauri confecta.

Castoreum malum.

CAstoreum quod iam putredine nigredinem contraxit, vel illud potius quod è ponto fuerit allatum venenosum est propria sui natura.

Hoc qui sumpserunt furore aguntur, linguam intumescentem exerunt, & sæpenumero tam acuta febre corripiuntur, vt vno tantum fere die intereant.

Toties vomendum butyro & hydromelite epotis, quoad ea quæ reiiciuntur nullum odorem castorei referant. A vomitione sorbendum diamorum, vel succus limonum aut citrei mali admixto saccharo hauriendus. Eius proprium antidotum est semẽ coriandri tostum, drahmarum duarum pondere sumptum.

Assumpta venena ex plantis.

Ephemeron colchicon.

SVmpto ephemero pruritus in toto corpore excitatur, non secus atque iis qui vrtica aut scilla lacessuntur: interna rosionem sentiunt, ventriculus incendium patitur, aluus cruenta reddit.

Vomitiones ciendæ, aluus clysteribus acribus soluenda: deinde propria antidota exhibenda sunt præsertim humanum lac, asininum ac bubulum: propinandũ quoque dictamnũ duarum drachmarum pondere: Item, rubi succus: vitis recentium viticularum succus: myrti baccæ tusæ & aqua maceratæ, & in liquorem solutæ.

Anacardia.

ANacardiis assumptis suscitatur incẽdium in faucibus, gutture, ventriculo totoque corpore adeo vt febris inde suboriatur, paralysis in quibusdam corporis partibus, delyrium.

His conferunt (factis prius vomitionibus & clysteribus infusis) olea glacie refrigerata amygdalarum dulcium, è pineis nucleis, è nucibus iudicis aut è papaueris semine: vel butyrum recẽs cum lacte bubulo, sumpta affatim: Item, iuscula pinguia: adeps suillus & anserinus liquefactus, quadrupedum & volatiliũ cerebrum & medulla ossium: Item, omnia quæ refrigerant quæ vt magis refrigerent vult Auic. ea niue aut glacie refrigerari.

Staphisagria.

HAec quia calidissima ac maxime acris est, si sumatur eadem inuehit symptomata quæ cantharides & Anacardia: adurit enim fauces & palatũ, vomitiones commouet, ventriculum ac intestina erodit, postremò strangulat, nisi succurratur: Si hæc non reuomatur propinandum oleum amygda. dulcium cum multo hydromelite: imperanda cita ac velox deambulatio eaque assidua: namque hoc tantùm medicamento, valentissimè per vomitum exigitur: Clysteres quoque acres iniiciendi: eaque demum curatio instituenda quæ & epotis cantharidibus.

Solanum manicum ceu vua vulpina.

QVi solani manici folia vel radicem sumpserit ad drachmam vnam cùm vino, delyrabit delyrio cum risu, illiq; obuersabũtur species vanę sed nõ iniucũdę: At duplicatus hic modus, ad tres vsque dies mentis alienationem adfert, quadruplicatus vero interimit: cum hauritur surgit velut lactis sopor in ore bibentis, &

induratur lingua, color faciei offuscatur, superuenit vomitus, singultus, vētris profluuium dysentericum cū mucis & squamis intestinorū. Remedio est, aqua mulsa copiosius pota, clysteres acres iniecti, vt tum per vomitum, tum per aluum foras deturbetur: à sumpta aqua mulsa, aut etiam lacte asinino aut caprino plurimo, mouendum corpus violenter, quoniam talis motus malignitatem eius retundit, erosionem prohibet, ipsius reliquias euacuat per vomitum & secessum: & si fuerit lac acetosum id ipsum multò promptius præstabit: vbi reiectum fuerit aut sane eius retusa malignitas ac erosio, danda theriaca, & electaria calida cum vino vt alterent eius malam complexionem frigidam derelictam. Est enim venenum mortificans & corrodens, sed plus timendum ab eius corrosione quàm mortificatione: Huc etiam referēda quæ ad opium conferre dicentur.

Solanum, Italis bella donna.

HOc nō minus lethiferum est, quam solanum manicum: huius radix derasa, aut baccę si scriptuli pondere in vini sescuncia macerentur duabus horis ad

ſummum, & deinde percolato diluto & digitis preſſo, id vini recentis addatur, quod poculum repleat, totúmque potandum propinetur, fit paulò pòſt vt qui biberint nil prorſus edere poſſint: poculum ſane paraſytis & qui lautas aliorũ menſas paulò frequentius ſectantur, accommodatiſſimum: huius antidotum præſentaneum eſt, acetum potui datũ. Item, hîc conferunt ea quæ ad manicum ſolanum dicta ſunt.

Aconitum.

HAuſto quocumque aconito ſuboriuntur maxillarum aſtrictiones, morſus & eroſiones vẽtriculi, oculorum caligo, & eorundem velut ſubcruentus color, tremores, totius corporis inflatio ferme hydropica: ciendæ vomitiones, aluique ſeceſſus: deinde propinanda theriaca ad drachmas duas cum vino in quo decocta fuerit gentiana: certiſſimum aconiti antidotum eſt radix ariſtolochiæ rotundæ. Item, eryngij radix ex ranarum comeſtibilium vel anſerino iure pota: vinum in quo aurum, argentum, ferrúmve caudens reſtinctum fuerit potum: leporinum, hœdinum, vituli-

num coagulum ex vino potum. Opobalsamum drachmæ pondere ex melle aut lacte cum castoreo, pipere, & ruta æquis ponderibus ex vino potum.

Squilla.

EX squillis aliæ sunt quæ, nisi magna quantitate sumptæ, venenatæ sunt: mala verò quæ fuerit, id est, vt vult Mesuës, quæ sola nec alteri annexa prouenit, succrescítque locis fœdis ac graueolentibus, vt apud cloacas aut thermas, vel minima quantitate assumpta, ventriculum exulcerat, intestina, & venas mesaraicas, vnde in illis partibus punctiones, acutos cruciatos, tandémque dysenteriam excitat. Huic succurrit lactis in quo calybs caudens extinctus fuerit potio: vitelli ouorum in aceto decoctorũ sumpti: iuscula carnium pinguium: butyrum crudum ac recens copiosè sumptum: esus extremitatum iuuenum quadrupedum elixarum.

Flammula.

HAec ingesta fauces, guttur, ventriculum, & intestina magnis afficit incendiis: sitim inexplebilem ex-

citat: aridam linguam reddit: intestina deradit: & ardentem pellit vrinam, imo vero sępissime mixtionem cruentam excitat intolerabili sane dolore. Excitatis prius vomitibus & clysteribus infusis, confert lac bubulum vna cum suo butyro plenis poculis sorbere. Item, haurire oleum amygdalinum, è nucleis pineis, ex indica nuce, ex semine papaueris, ex semine lini expressum. Item, mucagines seminum lini, fœnugræci, maluæ, altheæ, psylij, cydoniorum: iuscula pinguia carnium: deuorare etiam baccas halicacabi: conferet quoque fouere iecur succo lactucæ, portulacæ, intybi hortensis: santalis rubris aqua rosarum maceratis: illinendi renes, pubes, testes & ipsa demum virilia succo rosarum, plantaginis, polygonij, cynoglossi, papaueris, lactucæ & hyoscyami. Iniiciendi clysteres ex lacte caprino aut bubulo aut ex decocto pinguium carnium addito oleo rosaceo, & vino è baccis myrti confecto: Postremo huc referenda omnia quæ de cantharidibus sumptis dicta sunt.

Semen vrticæ.

SEmen vrticæ, illud præsertim quod lini semen refert, quo veneris excitandę gratia quidam vtuntur, si in vsum medicum veniat aliquando, ea cautione eo vtendum est, vt illi admisceantur ea quæ eius acrimoniam feruorémque immodicum obtundant: cuiusmodi sunt pistacia, pinei nuclei, dulces amygdalæ, nuces ponticæ, & priuatim deglubitum sesami semen: alioquin si largius ingeratur præsertim solum, eadem excitat symptomata quæ & scylla, præter quæ etiam tussim priuatim: Proinde eadem huius quæ & scyllæ curatio. sedanda tamen tussis quæ huic superuenit, his quæ suapte natura pectoris asperitates demulcent: nimirum oleo amygd. dulc. syrupis violaceo, & de liquiritia, saccharo caudo, diatrach. frig. ptisana hordeacea saccharo aspersa: præ cæteris verò malorum cydoniorum seminibus cõtusis, & ex calida aqua epotis.

Semen dracunculi.

DAcunculi semen potum aut in cibis sumptum guttur exasperat, adurit, pungit linguam, gingiuas & dẽtes vexat,

totíque corpori ingens incendium excitat. Huic succurrendum butyro recenti hausto: pulte ex hordeacea farina, additis penidiis, aut saccharo, amygdalino oleo vel recenti butyro.

Coriandrum.

Coriandrum quantitate potius quàm qualitate venenosum est, itaque si moderatè sumatur non nocet, imò verò prodest plurimum roborando ventriculo, compescendo ructui acido, cibis concoquendis: cordi exhiharando, intellectui acuendo, viuificandis spiritibus: Si verò eiusdem succus liberalius hauriatur, aut cum adhuc recens est comedatur, mentem ita commouet & euertit, vt ebriorum mores ac motus incompositos, tandémque stuporem ac velut narcosin totius corporis inferat. necnon eodem propémodum symptomata inuehat quæ opium sumptum. Huic medendum epoto vino meraco aut absynthite: iusculis pinguibus gallinarum & anserum copiosè salsis haustis: passo ex lixiuio assumpto: muria epota. maximè verò theriaca magna drachmarum duarum pondere ex vino generoso sumpta: diamoscho & diamba-

ro ex vino hauſtis ad noxas cerebri: Eius proprium antidorum eſt vincetoxici herbæ radix ad drachmas duas potui data.

Pſyllium.

PSyllio epoto ſuboritur toti corpori frigus, torpor, anhelitus difficultas, alui tumor, & tāta denique cordis anxietas vt plærunque oborto ſudore commoriantur ægri. Vomitiones ciendæ, aluus ſoluenda, iiſdem denique remediis vtendum quibus in coriandro epoto.

Cicuta.

CIcuta pota vel in cibis ſumpta vertigines excitat, caliginem oculis offundit, viſum adimit, mentémque vſque adeò perturbat vt in furorem agi videātur qui illam hauſerint. Deturbandum hoc veneni genus per aluum & vomitū: deinde vinum generoſum hauriendum aut vinum abſynthite, ídque repetendum per interualla: vel apij ſemen aut radix iridis: aut folia lauri, aut origanum, aut ſeſeli maſſilienſe, aut piper vna cum vrticæ ſemine: aut caſtoreum cum ruta, & menta, aut ſemen cardamomi, amonij, ex vino generoſo in potu ſumenda. Item,

nitrum ex copiosiore aqua hauriendum: vel quod omnium præstantissimum fuerit, drachmæ duæ theriaces ex decocto dictamni: aut gentianæ radix ex vino, sumenda. Hoc enim cicutæ verum est antidotum: Interea corpus omni arte excalfaciendum erit tum deambulatione & quouis alio motu paulo vehementiore, tum frictionib⁹, fotibúsque admotis præcordiis potissimum.

Taxus.

TAxus non tantùm suis foliis, baccis & succo hausto venenatus est, sed & vmbra sua sub ea dormiẽtes enecat: maximè verò eo tempore quo iam florere inceperit: quin etiam inficit vmbra suorum frondium eorum fluminum aquas in quorum ripis crescit.

Quas noxas experiuntur potissimum homines ac aues, minus verò his quadrupedum omne genus. Excitat his, qui eius baccas esitarint, aut succum hauserint, miras angustias, inflationem ventris, vniuersi corporis inflammationem, febrem, alui profluuium. His noxis succurritur epoto decocto fœnugræci: aut deuoratis palmulis, aut viticis semine, aut frõdibus,

aut hausto eorum decocto. Conferunt & caricæ ex melle aut saccharo, aut iulapio sumptæ. Præterea defrutum, pinguia, & quæ crassum dant alimentum auxiliantur: non omissis tamen clysteribus & vomitionibus, vt in aliis omnibus sæpenumero dictum est. Conuenit & diacastoreum potum drachmarum duarũ pondere. Item, baccæ iuniperi eodẽ põdere.

Apium risus ceu sardonia herba.

SArdonia herba si edulio fuerit, vescentibus neruos contrahit, rictu ora diducit, vt qui mortem appetunt velut ridentium facie intereunt: à qua affectione de sardonio risu adagium in vulgus infausto omine manauit. Huic conferũt potio plurima lactis & hydromelitis: puluis castorei è vino dulci potus: vinũ dulce potum ad ebrietatem vsque vt inde dormiant affecti: melissophyli succus ex aceto sumptus. Item, balnea & laconica ex decoctis stœchados, hyssopi, saluiæ, rutæ, betonicæ, chamepithys, amaraci, origani, calamint. puleg, dictamni, chamlæ, satureiæ, acori, nardi syriacæ & celticæ, asari, valerianæ, cyperi, rosmarini: nec abs re fuerit inungere occipitium,

ceruicem, & vniuersam spinalem medullam oleo liliorum, de castoreo, lumbricorum, de costo, de hyperico: vnguento item vulpino, Aragon, Agrippæ.

Hyoscyamus.

HYoscyamus comestus aut potus inducit sensuum mentísque alienationem ebriis similem, iactationem corporis cũ distortione: quibus symptomatis succedit exolutio animi deliquio similis, oculorum rubor, pruritus, deinde tremor: præterea omnino delyrant ægri, & putãt se flagris corpore cædi: iisdem caligant oculi, ossium compagines laxantur, lingua intumescit, spumat os, rufescũt oculi, spiritus difficulter redditur: Huic fiunt vertigines, surditas, gingiuarum & totius corporis pruritus, comitialis morbus, vocísque diuersitas: nam quandoque rudunt affecti asinorum mulorúmque more: & equorum modo hinniunt.

His noxis succurrendum citato vomitu & aluo turbata: deinde verò lacte omni, præsertim asinino poto: hydromelite largius hausto: nucleis pineis deuoratis: longo pipere, atque etiam pistaciis largius manducatis: decocto mori radicis, & opo-

opobalſamo ex lacte poto: theriaca, mithridatio deuorato: decocto ſem. vrticę cardamomi, baccarum lauri & foliorum

Mandragora.

Hausta mandragora confeſtim veternus inſequitur, ſegnities, lāguor, triſtitia, exolutio, ita vt clamoribus & torſionibus nullis à ſopore expegefactio vllo modo poſſit fieri, quin ad amētiam ſtatim reditus fiat: ea autem fallere non poteſt bibentē aut comedentē, quòd odore ſit admodum graui ac nauſeabundo, amaro iniucūdóque guſtu: nec tamen niſi copia ac quantitate nocet.

Remouentur noxæ huiuſcemodi poto hydromelite copiociſſimo & vomitu reiecto: nitro cum abſynthio ex dulci vino aut paſſo ſumpto: pipere, ſinapi, caſtoreo, rutha ex aceto tritis & ad olfaciendū datis: Lucernarum extinctarum fumo olfacto: coriandri ſemine & pulegio ex aqua calida poto: veratri albi puluere naribus infuſo: cantharidibus ex fermento occipiti impoſitis: Nec prætermittendi clyſteres acres: frictiones aſperæ totius corporis: cucurbitulæ admotæ occipiti, ſcapulis & natibus: vincula dolorifica extremarū

partium: sternutamenta citata, puluere rad. ellebori: Potissimum verò remedium his qui vel radicem, vel pomum, vel succum mandragoræ hauserint, est vnius diei ferre inediam: interea verò vinum meracum plenis poculis haurire, & acetum olfacere cui sit admixtum castoreum: Certissimum eius antidotum, est radicem raphani domestici cum pane & sale triduo deuorare: frequentérque sumere theriacam magnam cum vino generoso.

Nux metella aut vomica.

NVx metella etiam ad semidrachmam sumpta non tantùm canes, sed & homines enecat: primum quidem vertigines & faciei ruborem inducit; quin & oculorum caligines, temulentiam, inexpugnabilémque somnum: postremo sudorē frigidū, vicinæ mortis præsagium.

Ciendus vomitus pluries, oleo & aqua calida: à vomitu propinandum butyrum, & vinum meracum copiosum, additis pipere, pyrethro, lauri baccis, cinnamomo & castoreo: fouēdæ partes extremæ nempe manus & pedes aqua calida: eædem illinendæ oleo balanino & costino: fri-

candum totum corpus frictionibus asperis: illud item excalfaciendum linteis calidis. admotis ac affricatis: ad celerem gressum corpus cogendum: postea refocillandum cibis dulcíque vino: in summa eadem curatione vtendum quæ in opio dicetur.

Opium.

INgratus opij sapor facile opium sumptum detegit, & vnumquemque admonet ne quis illo vtatur, néve venefici illud cuiquam propinent: eo tamen per imprudentiam aut ignorantiam sumpto maiori quantitate quam deceat, suboritur stupor, veternus, totius corporis perfrictio, singultus, vertigo, oculorum caligo, pruritus ingens totius corporis cum grauitate, color plumbeus faciei, labiorum, oris & vnguium: inualescente vi veneni, superuenit difficultas anhelitus, loquelæ amissio, subeth, inferioris maxillæ laxatio, nasi distorsio, præcordiorũ diuulsio, frigidus anhelitus, conuulsio, tandem strangulatus cum frigido sudore. Quanquam non omnes æque noxam recipiũt, nam sanguinei & cholerici minus afficiuntur: phlegmatici, temperamento fri-

gidi, senes magis: noxáque inde maior futura est, si cum vino tenui hauriatur: vinum enim, ipsum per venas celerius ad cor deducit.

Curatur vomitu citato, aluóque soluta satis vehementi cathartico, à quo decoctum castorei & piperis in vino hauriendum, ídque bis aut ter repetendum. Sumenda quoque theriaca optima, aut mithridatium, cui aliquid balsami addatur. Allia frequenter comedenda quoniam hæc calfaciendo conferunt: Excitandi ægrotantes sternutamẽtis, fibulis, frictionibus, odoramentis è moscho, castoreo, lasere, ambaro naribus inditis, quin & sulphuris fumo: interea vinum meracum largius potandum, donec incalescat ac moueri corpus incipiat: aut vini meraci loco, vinũ ex absynthio & cinnamomo: aqua quoque theriaculis propinãda quæ plurimum potest in venena frigida: probant nonnulli hanc opiatam Rec. assæ fœt. castor. pyrethri, piperis, myrrhæ, sabinæ an. quantum suff. terantur simul & cum melle fiat mixtura è qua sumatur drachma ex vino generoso.

Napellus.

INgesto Napello sæua statim consequuntur symptomata: labia inflammatur, lingua adeò intumescit, vt exeri extra dentes & oris amplitudine capi non possit: intumescunt ac prominent oculi: vertigines & animi deliquia frequẽtissimè inuadũt: crura imbecilla ac penè immobilia redduntur, corpus liuidum, tumidum ac penè cachecticũ fit: pauci ex eo euadunt, quoniam est venenũ ab occulta proprietate: Si tamen euadãt, hectici aut phthisici aut epileptici fiunt: tanta enim est huiusce veneni malignitas, vt nullis quantũuis generosis remediis expugnari possit. Sagittæ illius succo illitæ subitò interficiunt.

Succurrendum illicò excitatis prius vomitibus ex semine napi aut rapi: deinde sorbitio propinanda ex butyro bubulo cocto cum vino, sæpè ac largè. Item, sumendum decoctũ putaminum glandium ex vino: confert diambari & diamoschi puluis. Item, ambarũ & moschus præ cæteris per se & cũ lemnia terra ex vino pota. Quòd si hæc non proficiant, nil sperandũ posteà. Conferunt quoque radices capparis contritæ est cum pauco croco &

cinnamomo potæ: Item, smaragdi puluis sumptus ad duas drach. ex vino, nisi paulò sumptuosius hoc esset remediũ: vilius istud est, sed tamen præstantissimũ, nimirum mus qui Napelli ipsius radices depascitur, siccatus & in puluerem ebibitus. Item, & hoc longè præstantius: sumito muscas illas quæ flores Napelli depascũtur, illísque victitant, viginti quatuor numero, terræ sigillatæ vncias duas, baccarum lauri par põdus, mithridatij quoque optimi par pondus, excipe omnia cũ melle & oleo sufficienti: fiat mixtura. Cape drachmam vnam huius cum vino.

Fungi.

EX fungis alij lethales sunt toto genere ac proinde venefici: alij sola copia: Hi cum natura humidi admodum ac frigidi sint & lentore non modico scateant, si sumantur in cibis sine pipere aut alio aromatico puluere, maiori quantitate quam ætas, aut temperamẽtum, aut ventriculi, qui eos ingerit, calor imbecillus ferre possit, strangulant & denique interimunt nisi citissimè succurratur. Cognoscuntur qui lethales sunt, si frangantur, quòd illicò varios mutẽt colores, statim-

que computrescant: qui nigri, vel viride, vel in nigro purparescentes visuntur, linidi coloris intus, rimosa stria, pallido per ambitum labro: Hi ne noceant decoquẽdi cũ pyris syluestribus, aut hæc si desint cum domesticis austeriusculis tam recentibus quàm sole siccatis, aut cum cortice vel foliis eiusdem arboris: hæc enim sunt proprium fungorum antidotum: qui fungi propria natura venenati nascuntur, longe maiora symptomata inuehunt quã cæteri: quandoquidem non modo suffocant, strangulántque comedentes: sed etiã intestina exulcerant, ventriculum inflant, singultum & punctionem excitant, corpori vniuerso pallorem inducunt, & vrinam remorantur: tandem frigus, tremorem, interceptionem arteriarum, animi deliquium, sudorẽ perfrigidum, & mortem ad postremum immaturam.

Citandæ vomitiones citissimè: aluus ducenda vehementi medicamento: à quo succus raphani domestici, aut rutæ folia, aut origanum, aut mel sumenda: deinde theriaca, & mithridatium ex aceto acerrimo, aut ex oxymelite, aut ex aqua vitæ sorbenda: horum loco aqua theriacalis propinari poterit: aut vinum generosum

in quo piper conferbuerit: aut diapipereon, diacyminum, diagalanga, diamoschum: vel etiam allium crudum deuorandum: oua quoque gallinacea cum aristolochiæ drachma ex posca deuoranda: porrum sub cineribus coctum hauriendum vel comedendum. Decoctum satureiæ & origani, vna cum fimo gallinaceo albo ex melle aut aceto potandum: lixiuium sarmentitij cineris ex acida muria hauriendum.

Veratrum ceu elleborus.

ELleborus vterque veneficus, potissimum verò albus vt passim Galenus & Mesuës scribunt: vterque nisi corrigatur & ea cautione qua monet Mesuës hauriatur aut deuoretur, noxas non mediocres concitat: nimirum vomitum, alui profluuium, angustiã cordis & ventriculi, intestinorum tormina, strangulationes, spirandi difficultates: deinde perseuerante veneni malignitate principum facultatem imbecillitatem, deliquium animi, crebram respirationem, sudorem frigidum: Postremo singultum, suffocationem subitam: conuulsionem, mortis proximæ præsagium.

Vtrique conferunt vomitiones, aluíque turbationes quacunque arte illæ prouocari poterunt: à quibus propinanda theriaca, quæ vim habet potentissimam refrenandæ superpurgantis medicamenti ferociç: quāquā ellebori albi hoc propriū sit antidotum, aqua mulsa largius sumpta: & nympheæ flores duarū drachmarum pondere potæ: Quemadmodum ellebori nigri, absynthium vino potum: aut lemnia terra, aut nardus indica vna cum castoreo pota: aut theriaca andromachi, aut anisi semen ebibitum: Quòd si venter intumuerit, illi admouenda linteola calefacta igne, itémque sacculi flatus discutientes.

Euphorbium.

EVphorbium epotum fauces & guttur vehementi admodum incendio vexat: corpus vniuersum inflāmat, ventriculum & intestina magno dolore erodit, singultum excitat, & continuas alui fluxiones.

Vomitus prouocandus butyro hausto, oleo amygdalino: iusculis pinguibus: aluus soluenda clysteribus: à quibus haurienda aqua solani hortensis, violarum,

nymphea: sorbenda mucago seminum maluæ, altheæ, psylij, cydoniorum lini: caphura ex aqua rosacea: lac acidũ hauriendum: vinum granatorum: aqua stillatitia, aut succus, aut decoctum anguriæ, cucumeris, cucurbitæ, malorum acidorum potanda, vbi prius glacie aut niue refrigeratæ fuerint. Eius antidotum est semen citri ex vino, in quo radix enulæ inferbuerit, potum.

Tithymalus.

OMne tithymalorum genus expressum, si lacte suo ingeratur in corpus, eadem quæ elleborus, sed multò vehementiora symptomata inuehit, hoc vel argumento certissimo, quod cum facies aut manus eo lacte illinuntur surgit in tumorem & discolor redditur, velut leprosorum facies: potissimum quod ex eo suboritur symptoma est alui dysentericus fluor: cui consulendum vbi è ventriculo per vomitũ & secessum deturbatum fuerit venenum: Antidotum eius præcipuum est theriaca andromachi ex vino pota in quo cretense dictamnũ incoctum fuerit. Item, mumia sepulchrorum drachmæ pondere ex meraco hausta: Nec sunt

omittenda remedia quæ ad Euphorbium valere diximus: præ cæteris hîc consulendum profluuio alui dysenterico, potu, clystere, balneis, cibis astringentibus: cibi sint, oriza, cydonia, sorba, mespila pyra, lentes, excorticatæ aut bis coctæ reiecta prima aqua & expressa diligẽter: puls ex farina similæ condîta cum lacte vitulato: caro pullorum assa atque condîta cum cera recenti & adipe renum caprarum, vel hircorum, simul ad ignem in sartagine dissolutis & roratis super assaturam: potus sit vinum rubrum ponticum cum duplo aquę pluuialis chalibeatę: vel aqua decoctionis sumach & myrtillorum cum sacch. ros. dulcorata. Remedia verò erũt, semen nasturtij ad drachmas tres decoctum in lacte ad concretionem, potum: hæc si non profuerint veniendum erit ad narcotica, nimirum ad Philonium persicum, athanasiam, requiem, tripherã magnam cum opio: balnea fuerint ex aqua pluuiali in qua rosæ, balaust. cortex granat. folia & fructus rubi, pyra pontica, mala acetosa, mespila, sorba, gallæ cupressi, cupulæ glandium, folia vitis agrestis, berberis incoxerint.

Turpethum.

TVrpethum haustum aut deuoratum eadem symptomata adfert quæ & tithymalus: ac proinde eadem curatione opus habet.

Scammonium & diagredium.

DIagredium, scammonium correctũ ac præparatum est: Vtrunque tamẽ venenatum nisi minima admodum quãtitate & correctum sumatur, adfert eadẽ symptomata quæ & tithymal⁹: vtriusque proprium antidotum est, lac à quo demptum fuerit butyrum epotum: Item, cotoneorum malorum succus ebibitus, rhois succus epotus, ribis vulgaris vinum haustum.

Colocinthys.

E Colocynthide epota eadem quæ ab euphorbio nascuntur incommoda: eius antidotum est lac bubulum & butyrum recens potum: Theriaca andromachi deuorata: lemnia terra, & smaragdi puluis pluries pota: Itẽ, omnia antidota quæ ad euphorbiũ valere diximus.

Ciclamen.

Ciclamen haustũ eadem symptomata inuehit quæ & tithymalus, maximè verò alui profluuium: Eius remedium est lauri baccæ duarum drachmarum pondere potæ: gentiana, nigrum piper, in potu hausta: Theriaca, lemnia terra deuorata.

Thymelæa chamelæa, ceu mezereon & earum semen cocognidium.

Ab his epotis pituitosæ spumantesq; excitantur vomitiones, alui profluuia, intolerabiles intestinorum & vētriculi erosiones, angustiæ, inflammationes, & vniuersi corporis cruciatus: sitis implacabilis, singultus, conuulsio, prępedita locutio, & multa alia symptomata, sæpe multo vehementiora quam quæ ab epoto euphorbio. Huc reuocanda sunt euphorbij remedia, præter quę theriaca andromachi, lemnia terra, syrupus rosaceus ex hordei prisana, origanum tostum epotum: compescendus vero vomitus, qui hîc plurimum negotij facessit, vbi reiectum fuerit venenum sum-

ptis myrobalanis sacchar. conditis aut siccis: nucibus conditis: diacydonite: saccharo ros. diutius inueterato, addita terra sigillata: cornu ceruino combusto: corallis: vino granatorum: succo prunorum syluestrium: succo syluestrium rosarum: myrti baccis: Illinatur ventriculus totusque venter oleis mastiches, myrtillorum, cydon. additis pulueribus nardi celticæ, menthæ, glandium thuris, foliorum myrthi, &c.

Bryonia.

HÆc euphorbij licet minora adfert incommoda, ac proinde eadem curatione indiget: Remediũ eius proprium est theriaca ex vino hausta in quo helenium decoctum fuerit.

Cucumer asininus seu syluestris & erraticus.

QVi hauserit succum cucum. asinini, patietur excorationem in gutture, solutionem ventris & cruciatum intestinorum: danda huic theriaca magna cum decocto baccarũ lauri & melle ad drachmas duas: Eius antidotum est vncia vna succi menthæ.

Papauer nigrum.

HAusto succo papaueris nigri stupor mentis, sopor, dementia non aliter quam ab opio excitatur: Eadem suboriũtur symptomata, epoto eiusdẽ semine: Sanãda theriaca magna, & diacastoreum, aut confectio anacardina ad duas drachmas cum vino: Eius antidotum est allium crudum.

Cherua ceu Cataputia maior, aut Ricinus aut palma Christi.

SVccus Cheruæ haustus parit vomitũ assiduum & dolorem ventris: eius remedium est theriaca magna, pondere drachmarũ duarũ pota cum vino generoso calido: Item succus hyperici.

Nux & Auellana.

QVi nuces aut auellanas rancidas comederit, patietur nauseam, prostrationem appetitus, vomitũ & viriũ animalium imbecillitatem: Quibus medendum succo cydoniorum & pomorum: Quodsi ructus superueniat, propinandum diacyminum vel diapipereum, cum vino gene-

roſo ventriculuſque illinendus oleo nar dino.

Remedia conuulſionis excitatæ à venenis aſſumptis.

COnuulſioni quę ſuperpurganti medicamento, (qualia omnia ſunt qu proximè deſcripta ſunt,) ſuperueni auxiliandum humano lacte ab ipſis vberibus exucto: ſucco amygdalarum dulciū recens extracto: nucleis pineis, piſtaciis nucibus indicis, ſemine melopeponum, omnibus in mortario contuſis & caporū iuſculo colliquatis, addito cādidiori ſaccharo: Succo carniū elixatarum, aut aſſatorum caponū, phaſianorum expreſſo: reſtaurantibus ſtillatitiis earundem carnium: vitellis ouorum, carnium iuribus admiſtis & ſaccharo reſperſis.

Aqua frigida, vinum meracum, Piſces refrigerati, carnes ſuffocatæ.

AQua frigida abunde pota præſertim à balneo, aut curſu, aut vehementi exercitio ſtrangulatū & dolorem infert. ab ea ſtatim bibendum piper, aut vinum generoſum, aut aqua ſtillatitia cinnamomi, aut aqua vitæ pauco cinnamomo & ſaccharo

saccharo aromatizata.

Vinum meracum itidem epotum à balneo cursu, vehementi exercitio inducit temulentiam, vigilias, dolorem capitis insignem: Vomendum: Succus brassicæ hauriendus: acetum testiculis admouendum.

Pisces ac carnes elixæ & adhuc feruẽtes humidis locis diutius asseruatę, subindeque frigidæ deuoratæ, eosdem malos pariunt effectus, quos à maleficis fungis excitari diximus: tametsi quandoque non nisi duobus aut tribus diebus post appareat noxa. Tostæ præterea carnes venatorum subeunt naturam, si calidæ inter duas suffocentur patinas, obuoluanturque linteis ne exhalare possint. Eadem etiam mala inferunt morticinæ carnes esitatæ, quemadmodum & eæ quarum animalia aut à venenatis serpentibus, aut à brutis rabidis demorsa, aut fulmine icta interiere: quoniam harum esu sæpius coli dolor, inflammatio, anxietas, alui profluuium, furor, obliuio, veternus morbus, & tandem mors insequitur: Item, oua barbi piscis ac lucij vsque adeo venenata sunt vt si largius sumantur, in magnũ discrimen adducãt.

Piscium curatio eadem est quæ & fungorum, nisi quod pisces non sunt comedendi cum pyris syluestribus sicut fungi: carnium vero suffocatarum malis succurritur excitato prius vomitu, infusis clysteribus, mox vini optimi & odorati potu, admisto cydoniorũ malorũ succo: à vomitu bibẽda terra sigillata, vnà cum agallocho & mastiche: estque eadẽ harum curatio, quæ coli affectibus adhibetur.

Propria curatio venenorum suas vires veneficas foris ac extrinsecus exerentium in corpus.

VEne norum quæ non epota aut in cibis sumpta, aut intus genita, sed foris quocunque modo, veneficam nostro corpori noxam inferunt, varia sunt genera: alia enim contagione quadam, qualis est aër aut aqua quocunque putredinis specie infecta ac coinquinata, vnde infiniti pene affectus contagiosi excitantur: Alia, morsu quale illud est quod à cane rabido infligitur: Alia, ictu siue punctura, quale illud est quod scorpionis, aut pastinacæ, aut muris aranei, aut similium animalium venenatorũ aculeus infert: Alia vulnere,

qualia illa sunt quæ gladius aut sagitta intoxicata incutiunt: Alia suffitu aut inunctione, qualis est litus aut suffit⁹ ex hydrargyro: Alia odoribus: Alia vmbra sola vt taxi vmbra: Alia visu vt basiliscus si vulgo credamus. Alia fascinationibus ac præstigiis: Iam de his sigillatim agẽdum: prætermissis interim venenis illis quæ per contagionem humano corpori perniciem adferunt, quod ea plenũ volumen ad exactam sui curationem exigant.

Curatio vniuersalis morsus aut ictus venenati animalium.

NVllum est animãtium genus ne homo quidem ipse, cuius morsus aut ictus non sit venenatæ nescio cuius qualitatis particeps: hic magis, ille verò minus: nimirum pro dissimili natura ac temperamento earum animantium à quibus morsus aut ictus infligitur. Quæ enim proprio temperamento veneficæ sunt, magis perniciosum morsum aut ictum inferunt, quam illæ quæ natura sua nihil neque latentis neque manifesti veneni habent insitum. Proinde morsus aut ictus viperarum, aspidum, serpentum, bufonum, scorpionum, lethales ac

magis deleterij: minus vero perniciosi existunt quos equus, simia, canis non rabidus, felis & cætera huiuscemodi animalia non venenata incutiunt. Et tamen in istis morsibus nescio quid venenati subesse inde coniicimus, quod & vehementius doleant ægriusque ac difficilius curentur, quam aliud quodcunque vulneris genus aliunde illatum: forsitan quòd in harum animantium muco, aut saliua, maligna nostręque naturę contraria qualitas hæreat aut delitescat, quæ prauam diathesin inducit vulneri, vnde illud magis dolorificum, remediisque minus obsequens redditur. Eandem ferme diathesin agnoscas, in vulneribus, puncturis, vlcusculis quæ eadem animalia, vtpote leones, feles, canes simiæ, suis vnguibus, vncis ac rostris înfligunt: Neque vero istius malignæ ac venenatæ qualitatis hominum morsus omnino expers est, eorum potissimum qui rufi sunt, maculis nigricantibus, flauescentibus, Ceruinis, quamplurimis toto corpore conspersi: maximè vero cum ira aut graui quodam furore percelluntur: Nam morsus qui ab aliis dissimili ab his tempe-

ramento præditis incutiuntur, nullius veneni esse participes inde colligas quod eorum saliua ieiuno ventriculo emissa ac affricta vlcusculis, illis feliciter medeatur: Quodsi vuln⁹ aliquod morsu hominis non rufi inflictum occurrat contumax admodum nec vsque adeo facile remediis obsequens, id, non quod venenatum, sed quod contusum sit, illi accidit: quod nimirum non à dentibus acutis sed obtusis sit illatum, quale propemodum vulnus ab ictibus lapidum: aut ligneorum baculorum infligi consueuit.

Vulnera quæ morsu animantium non venenatarum inferuntur, præter remedia quæ cæteris debentur vulneribus, alexiteriis quoque tum sumptis tum admotis indigent: Itaque per os mithridatium sumendum, illudque foris admiscēdū tum emplastris tū cataplasmatis tum vnguentis quæ ad curationem vulnerum huiuscemodi vsurpantur, qualia mox descripturi sumus.

Atqui vulnera quæ vel morsu vel ictu venenatarum animantium incutiūtur vt cæteris magis lethalia, sic magis exquisita ac diligenti curatione opus habent:

Et quemadmodum animalia quæ mordent vel iciunt diuersorum sunt generum, sic etiam diuersa venenorum ab illis erumpentium pernicies: nam quæ ab aspide, ceraste, basilisco prodeūt venena, multo vehementiora sunt, quam quæ à vipera, aut scorpione, aut à phalangio: Quanquā venenorum huiuscemodi malignitas non solum ex animalium diuersa specie sed ex multis causis metienda venit: nam quæ è viuis emittuntur animalibus, multo magis lethalia esse solēt quam quę à demortuis: quod in viuis calor insit natiuus qui illis in corpus transmittendis est pro vehiculo: accedit & substantiæ tenuitas quæ celeriorem veneni actionem efficit: Deinde in eadem animaliū specie magis veneficæ sunt fœminæ quam mares: iuuenes quam senes: adultæ quā adolescentes: Quinetiam feræ omnes & insecta in mōtibus & aridis locis inter vepres & saxa degentes, citius hominem perdunt, quam quæ palustres vliginosósque locos inhabitāt: citius enecant, quæ oriētalem & meridionalem plagam incolunt, quam quæ septentrionalem: famelicæ depastis nocentiores sunt, & irritatæ venenosiores quam dimissæ: item, cum

mouentur ad venerem stimulisque libidinis sunt percitę, quam aliæ: quæ aliis venenatis animalibus vescuntur ac victitant (veluti serpentes qui bufones: viperæ quæ scorpiones, araneas, cantharides, buprestes deuorant) deteriores sunt quam aliæ: In vniuersum verò omnes ictus ac morsus magis perniciosi sũt ęstate quã hyeme. Hæ ergo caussę sunt, cur citius vel tardius intereunt demorsi, nimirum veneni tenuitas aut crassitudo: Calor aut frigiditas: oculta qualitas aut manifesta: inter quas subiecti corporis venenum excipientis dispositio, ac temperamentum non postremas partes sibi vendicat: Qui enim calido sunt temperamento, venas & arterias habent maiores, latiores, ac proinde meatus omnes patentiores: multò citius ac promptius icti aut demorsi veneno inficiuntur: (quod venenum intrò ad cor citissimè penetret:) quam qui sunt frigidi, venas ac arterias habent angustiores ac constrictas magis: quia venenum non tam subito permeat, indeque tardius intereũt: Sic enim Galenus cicutam homini venenum, sturnis vero alimẽtum esse ait, quod sturni angustas habeant venas, homines patentes ac latas:

Item, ieiuni grauius ac deterius habent ab ictu, aut morsu venenato, quam depasti: quòd in his venæ alimento refertæ, vitalesque spiritus vegetiores facti, ferocienti veneno renituntur promptius ac magis resistunt.

Morsus autem ac ictus venenati sic instituenda curatio: Quam citissimè fieri poterit occurrendum, ne venenum intrò repat, admotis attrahentibus ac foras illud idem venenum euocantibus: imprimis ergo abluantur morsus aut ictus, vrina vel aqua salita, aut aceto acerrimo, aut vino, in quibus dissoluatur mithridatium aut theriaca vetustissima: qua mixtura quam calidissima ac feruentissima actu, vulnus satis aspera frictione fouendum, eaque imbuenda licinia ac lintea toti vulneri admouenda: Sinapidio quoque dissoluto in aceto, aut vrina ablutio commodè fieri poterit. Neque vero (vt multis visum est) metuendum ne theriaca intrò venenum repellat: ea enim potius illud foras attrahit ac euocat, vi carnis viperinæ (quæ eius basis est potissima) similitudine quadam substantiæ venenum quodcunque attrahentis ad se: accedit huc quod multa alia medicamenta ex

quibus conficitur theriaca, attractum à carne viperina venenum, eius virulētiam euincunt, edomant, reprimunt ac dissoluunt: theriaca ac mithridatij loco alia quamplurima, euocando aut dissoluendo veneno, admoueri ac etiam assumi poterunt: quę omnia calida esse oportet, qualia sunt allia, cæpe, porri, rutha, scordium, Dictamnus, centaurium minus, prassium, eruca, lac ficuum non maturarum, buglossum syluestre, valeriana, zedoaria, radix imperatoriæ, vincetoxicum, hypericum, bistorta, tormentilla, angelica, borrago, calx vino oleo & melle subacta: Carduus benedictus, ellebori nigri, radix, asphodeli & dracunculi radix: radices iridis, ari, lilij, enulę, gladioli, ciclamini, bryonię, raphani, bulbaceorum omnium: Item, bdellium, bitumen syriacum, pix liquida, castoreum, fimus caprarum montanarum, euphorbium, sulphur vrinæ admistum, sal, nitrum, taurinum fel, galbanum, sagapenum, sinapi, nasturtium, lepidium, thlaspi: quæ omnia licet calida sint veneno tamen calido conferent: quod veneni substantiam dissoluant, exhauriāt & euaporent: quanquam humoris vulnus fouentis subinde habenda fuerit ratio, vt

his admiſceantur quæ humoris qualitatem alterent: Pręter horum topicorum vſum, foras quoque venenum euocãdum cucurbitulis cum magna flamma, & profundo ſcarificatu affixis, ſi natura ac ſitus partis ferat. Omnium efficaciſſimum in reuocando veneno remedium ſuctio eſſe poterit, ſi fiat à tenuis fortunæ homine: ea quidem cautione vt is nullum habeat vlcuſculum in ore, gingiuis, lingua, palato, gutture: ne venenum ſuctum illic impreſſum ſugenti perniciem adferat: qui etiam antequã ſugat vino in quo mithridatium aut theriaca diſſoluta fuerit os colluat, multoties, deinde oleo communi: Citiſſime quoque expuat quod ſuxerit, ne quid saliuę in ventriculum deſcendat: alioquin qui alteri mederit volet, ſibi ipſi necem conſciſcet: Suctionis vicem ſubire poterunt, hirudines: Item, ſedes galli gallinacei, vel potiùs gallinarum quæ ſingulis diebus oua pariunt: (quod hæ podicem ampliorem magiſque patẽtem habeant:) aut gallinarũ indicarum, quòd hæ vi maiore attrahendi polleant: plumis exuta ac vulneri admota: quibus interim volatilibus, indendum ſedi granum ſalis, roſtrumque occludendum vt potentius

attrahant, ac illud per interualla recludendum ne tam cito animam exhalent: Quibus tamen demortuis alia sufficienda erunt: Item, istud volatilium genus iuuenum tenellorumque quadrupedum viuens per medium sectum, & adhuc palpitans his morsibus scarificatis vtiliter admoueri poterit, ibique deseri donec refrigeratum fuerit, & tum alterum substituendum: id vero tandiu persequẽdum, donec vniuersa vis venefica extracta fuerit: Cuius rei certum iudicium habendum, cũ gallina aut gallus sede sua applicatus non moritur: Præter hæc cauterium cõmodè vulneri applicabitur, sed antequam venenum intro ad partes nobiles peruaserit, alioquin nullius vsus futurum: illudque potius actuale quam potentiale, quod ignis actio veneni virus promptius absumit, & vulnus patentius ac diutius apertum efficit: Si tamen metus sit aliquis ab ignito cauterio, indatur potentiale: casusque crustæ quàm citissimè fieri poterit procuretur, vt citius veneno pateat exitus. ac effluuium: Vbi autem facta est eschara scarificanda ea erit ad viuum vsque deinde illinenda butyro recenti & axun-

gia vt decidat : toti vero vulneri partibusque vicinis superponendum emplastrum ex terebinthina, pice nigra, pice græca, & similibus gummis confectum: vbi deciderit crusta, indendum vulneri vnguentum ex basilicone & puluere mercurij, vt virus venenatum foras eliciatur, & ne vulnus occludatur, sed apertum diutissime maneat : quod imprimis hîc optãdum, quò materiæ venenatæ facilior ac copiosior pateat effluxus: In quam rem frustulum aliquod spongiæ aut radicis gentianæ, aut hermodactylorum illitum vnguento ægyptiaco, aut conspersum puluere mercurij, aluminis cocti, vel puluere cauteriorum, vel alio vnguento acri inserendum in vulnus cauum admixto semper aliquantulo mithridatij aut theriaces, aut succi hyperici vel nepetæ, aut similium succorum, qui vim habent attrahendi & absumendi veneni vlcerisque detergendi: Quanquam si vulneri comites ad sint calor, dolor & acuitas à quibus sæpenumero humiditas efferuescere cogitur, vnde putredo, corruptio ac tandem Necrosis parti inducitur, dimissa ad tempus venenati vulneris curatione, occurrendum erit sequenti symptomati.

Dum vulneri hæc adfertur medela, nullum interim propinandum vulnerato catharticum nil sanguinis detrahendum, donec tres aut quatuor dies præterierint: Pugnandum tantum cardiacis alexipharmacis vt mithridatio, theriaca, aqua theriacali, lapide bezoar, melitea terra, aqua stillatitia cinnamomi, aqua stillatitia humani stercoris, conserua florum caryophyllorum, succis borrag. bugl. angelicæ malorum citriorum, sumptis per os, quibus non solum partibus principibus robur addatur aduersus venenum, sed & vires veneni frangantur euincantur & superentur, eaque aditu ad cor prohibeantur: Sumenda autem sunt ista alexipharmaca maiori quantitate quam sit venenum, vt sint veneno potentiora: bis in die, donec repressum veneni virus, sedatusque symptomatum impetus appareat.

Morsus canis rabidi.

ETsi plæraque animalia rabie crucientur vt vulpes, mustelę, viuerræ, martes, feles, simiæ, equi, muli: Tamen nullum animantium genus est quod aut frequentius aut magis sit obnoxium ra-

biei, quam canis: quòd animal hoc calidum ac siccum cum sit, plus atræ bilis quauis ex caussa colligat: Est enim atrabiliarius succus rabiei caussa vnica ac continens: Tale autem excrementum multis de caussis in canibus colligitur: tum quia temperamentum habeant huic aceruando idoneum: tum quia ieiunij, famisque impatiẽtissimi cibos quoscunque & qualescũque deuorant putres, vermiculosos, Carnes quoque morticinarum, ac eorum animalium quæ pestilentia aut ictu fulminis, aut venenatis morsibus occubuerunt: Hauriunt etiam aquas computrescentes, turbidas, cœnosas: à quibus omnibus plurima atræ bilis colluuies succrescere in quouis animalium corpore consueuit: cuius rei hoc, vel certissimo argumento esse potest, quòd canes duobus maxime anni temporibus rabie corripit soleant, Æstate & hyeme: Æstate quidem, quòd illius temporis feruẽtissimo æstu eorum sanguis peruratur indeq; in atrabiliarium degeneret: Hyeme vero, quòd is sanguis per frigoris antipe-ristasim calidior ac auctior factus excandescat & inflammetur, tandemq; melancholicus euadat. Signa autẽ rabidi canis

hæc ſunt. Is aquam expaueſcit: qua conſpecta toto cõtremiſcit corpore, erectiſq; capillis horreſcit: rubent oculi, inflammãtur: obuium quemque toruis, fixis, horridis intuetur oculis. Huc atque illuc vagatur, capite demiſſo, ore diducto & multum patente, lingua nigricante ac liuida, foras exporrecta, ſpuma ex ore fluente, multoque muco è naribus erumpente: Incedit quoque ſolitarius: citra rationẽ curſitat, modò in dextrũ modo in ſiniſtrum, ac velut temulentus ſæpiſſime collabitur: Si quod ſolidum corpus videat ceu arborem ceu parietem, aut aliquod animal illud temerè adoritur: Hunc cæteri canes effugiunt ac procul olfaciunt: Et tamen ſi cui cani fiat obuius, huic adulatur, blanditur ac obſequitur: & ab eius cõſortio ſe furtim ſubducere conatur etſi & proceritate & viribus corporis illi ſuperior eſſe queat: nulli cibo nulliq; potui omnino indulget, obmureſcit raucus fit, nemini oblatrat: geſtat aures pendulas, caudamq; inter coxas demiſſam: vnũquemque obuiũ ſiue familiarem ſiue incognitum, morſu impetit, nec domino quidem ſuo parcit: neminem agnoſcit, ne domũ quidem in qua educatus fuit: quod nimirum vim ſentientẽ & mentẽ ab atra bile plurimum

perturbatam habeat. Eadem ſymptomata ſenſus ac mentis perturbatæ patitur qui à cane rabido demorſus fuit.

Primis diebus non ſunt faciles coniecturæ quibus dignoſcas, canem qui mormorderit rabie laboraſſe, niſi ſigna prædicta canis rabidi ſedulò expendantur: nam morſus canis rabidi nil quidquam moleſti protinus infligit, niſi vt vulnus dolorem: Contrà fit in ictibus venenatis in quibus confeſtim ſentitur vehemens dolor, pars icta citiſſimè inflammatur, aliaque perniciofiſſima ſuboriuntur ſymptomata: Quamobrem ſi dubia ſit primis diebus morſus canis rabidi ſuſpicio, hæc ineũda coniecturæ ratio: Offeratur quibuſcunque canibus non rabidis, famelicis, panis illitus ac tinctus ſanguine aut ſanie emanãte è vulnere inflicto cani rabido, ſi canes illi obiectum panem non mandant nec olfaciant quidem: Item, panis ſimiliter illitus, aut nuces iuglandes contritæ maceratæ per noctem integram in ſanguine aut ſanie, manante è vulnere canis rabidi, ſi gallis aut gallinis in eſcam exhibeantur, & illi ſequẽti die intereant, hęc duo certiſſima dicuntur eſſe iudicia canis rabidi: Quibus tamen non vſque adeo

adeo fidendum existimo priusquam in signa canis rabidi superius exposita diligentissimè fuerit inquisitum.

Neglecti vero & iam radices agere incipientis canis rabidi morsus, hæc signa existunt : Demorsi præter morem fiunt cogitabundi , eaque mentę reuoluunt quæ illis insueta sunt, quod iam veneni vis in cerebrum repens imaginatricem facultatem occupet : secum obloquuntur morosioresque fiunt in dies : Si vero adhuc in longum protrahuntur nullis remediis adiuti, iis frequentius nocte interrumpitur somnus, sæpiusque pauore expergiscuntur : exinde hominum & domesticorum consortia vitant, & cum ferino quodam aspectu secum submurmurant : solitudinem deligunt, lucem & candida omnia maximè odêre: rubent quandoque facie , iisque extremarum partium nerui conuelluntur : postremo eo deducuntur vt aquam expauescant: Quod certissimum mortis & inexpugnabilis veneni præbet indicium : nec qui hoc vicium senserit (inquit Dioscorides) vnquam seruari potest . Allata itaque in eorum conspectu aqua cuius potu facile sanarentur , (si tamen bibere possent)

ingentiſſimis clamoribus & canum latratu aſtantes terrent. Quodſi diutius antè eos aqua ipſa dimittatur, tremunt, ſudant, deficiunt animo, delyrant pauoreque concutiuntur, ac ſi in ignem illico ſe proiiciendos cernerent: id vero accidit, quod melancholici effecti, corruptis, infectiſque inde animalibus facultatibus, recuſant miſelli, metuuntque aquam qua ſola ſanari poſſunt: nam tanta ariditate oris ac linguæ, ſitique adeo inexplebili cruciantur, (abſque vlla tamen bibendi cupiditate,) vt aquæ potus ſiquid aliud, illis eſſet ex vſu: quemadmodum illi philoſopho apud Aetium, hydrophobo fuit, qui coniectus in balneum aquę frigidiſſimæ, hydrophobia qua diſcruciabatur liberatus eſt: iſta autem totius corporis, linguæ ac oris ariditas illis ineſt à ſiccis vaporibus attrabiliariis per vniuerſum corpus ſparſis qui illis quoque febrem excitant: Porro imaginantur ſe canes videre & audîre, quinetiam oblatant & mordent more canum, taurùm vociferantur, non aliam ob cauſſam, quam quia virus canis rabidi humorum omnium, & totius corporis principum facultatum ac functionum im-

perium susceperit, omnesque corporis dispositiones sibi similes reddiderit: Si quando in aquam conspiciant aut se in speculo intueantur, imaginantur se videre rabidi canis imaginem, cuius speciem recolentes protinus ingenti terrore concutiuntur: quod illis contingit ob vapores virulentos, qui ab oculis effusi in aquam aut speculum, reflectuntur ad oculos: vnde illis obuersantur spectra huiuscemodi: Præterea madent sudore frigido: ab eorum vulnere sanies emanat spumosa, fœtida, virulenta, æruginosa, insignis putredinis, acrimoniæ & corruptionis argumentum: Supprimitur sæpenumero vrina ob siccitatem totius corporis, eaque modo tenuis modo crassa apparet: in qua tamen canum imagines cerni, aut frustula carnis canum speciem referentia conspici vt putarunt Arabes, omnino fabulosum esse credimus: Postremo, tot tamque crudelibus symptomatibus exagitati ægri misselli victas dare manus morbo violento ac naturæ tandem coguntur.

Præsagia: venenum, rabidum quod in muco ac saliua canis rabidi hæret, ca-

lidum ac ſiccum eſt, malignum, virulentum, contagioſum: ob id mordendo luę malignitatis ac perniciei virus facile impertitur vel homini vel alteri cuicũq; animali, niſi caute primo quoque tempore proſpiciatur: eſt enim maxime tenuis ſubſtantiæ, prõptiſſimeque poros cutis ſubit, ac ſeſe quoquo verſum in corpus per continuum arteriarum motum inſinuat: Nec vero canis rabidus ſolo morſu demorſos inficit ac in rabiem agit, ſed & quorum animantium nudam cutem ſua ſpuma vel muco vel ſaliua conſperſerit, aut diutius membrum aliquod contigerit, non minus lue rabida contaminat quam ſi demordiſſet: Quare, qui canes tãquam familiares ac domeſticos habent in deliciis, ſi quando ab illis demorſi fuerint, examinent diligenter ſint ne illi rabidi, vt quam citiſſime ac conſultiſſime fieri poterit ſibi proſpiciant: Eadem cautione, ſi ſolam ſaliuam aut ſpumam aut mucũ canis rabidi cute tenus abſque morſu exceperint, eam detergeant celerrimè, cutemque madidam ac infectam abluant vrina aut aqua ſalita: Imprimis vero cauendum cuique à conſortio, colloquiis ac

consuetudine rabidorum hominum, nec eorundem ciborum reliquiæ comedendæ: Scribit enim Dioscorides Themisonē medicum, cum amico aquam expauescenti morem gereret, & officiū medicum exhiberet, quadam naturarum concordia similem cōtraxisse affectum Porrò morsus venenati canis rabidi non eodem tempore omnes ex æquo deducit in perniciem sed hūc celeriùs, illum vero tardiùs enecat: nimirum pro veneni maiori aut minori virulentia: cœli vigētis dispositione: naturæ viribus ac temperamento demorsi animātis: situ ac cōpositione partis demorsæ: morsus magnitudine: puritate aut impuritate demorsi corporis: ex quib9 omnibus metienda symptomatum rabiei vis ac conditio: nam quidam à cane rabido demorsi ad quadraginta dies: alij ad sex menses, alij ad annum integrum perdurant. Plures epileptici euadunt, deinde dæmoniaci, tandem rabidi fiunt: Qui hydrophobi euaserunt moriuntur incurabiles: Spes tamen aliqua salutis affulgebit, (authore Auicenna) si quis à cane rabido demorsus aquam timens, in speculo respiciens, seipsum cognouerit: indicium enim erit vim veneni non adeo

vniuersum occupasse corpus & cerebri facultates, vt omnino ratiocinatrix facultas oblęsa sit: Tales vero violento ac vehementi cathartico indigent: Quum rabidus aliquis, corpus in terram more canum prouoluit, mortis imminentis pręsagium est, hoc enim indicat virus rabidum totum iam occupasse corpus: Magna & insignia vulnera è morsu canum rabidorum excitata, paruis minus lethalia existunt, quod ab insigni vulnere multum sanguinis ac saniei effluit, quo virus rabidum expurgatur: Ictus venenatorum animantium licet non tam crudelia symptomata inuehant, quam rabidorum canum morsus, tamen citius interimunt, quod eorum venenata qualitas dissimilis omnino sit.

Si ergo quis, se à cane rabido demorsum his confirmatus indiciis quæ hactenus explicauimus non dubitet, medicum ac chirurgum statim accersat: & si neutrius suppetat copia, curet ipsemet vt ab inflicto per mosum vulnere qua arte & quam citissime fieri poterit virus rabidum educatur, cucurbitulis, corniculis, hirudinibus, scarificatu, volatilium applicationibus, medicamentis de-

nique attrahentibus. Si vulnus insigne fuerit, plurimus ab eo sanguis eliciendus, vt vna cum sanguine venenum effluat. Si exiguum nec effatu dignum, parandi scarificatus, aut admouenda pyrotica actualia, nimirum ignis: cuius si terror sit aliquis, indendum eius vice sublimatum, admistis quibusdam refrigerantibus, vt minus doloris inferat: vel cauterum aliquod potentiale: Crusta vt decidat procurandum illito butyro, vel liquida pice oui vitello & recenti butyro permista: vbi deciderit, inspergendus puluis mercurij in vulnus, præstantissimũ si quod aliud medicamentum: hic enim puluis præter quam quod vulnus occludi prohibet, attrahit etiam ex alto ad superficiem venenum: idem puluis poterit aliquo vnguento excipi & vulneri admoueri: Præter hæc, vulnus diductum diutissime apertum continendum est, saltem ad dies quadraginta, aut etiam diutius: Cui quoque admoueri non ab re fuerit acetosam pistam, eiusque iusculum quotidie sorbere quod singulare adfert hoc in affectu presidium: vel abluendum vulnus vrina cum satis aspera frictione & linteum conduplicatum, in eadem vrina

maceratũ apponendum: vel sinapidio in vrina aut aceto acerrimo dissoluto illinẽdum: Item, acria omnia ac vehementer attrahentia hîc vsurpanda: Item, admoue morsui erucam elixam vna cum butyro & sale pistam: vel parato cataplasma ex farinis orobi, melle, sale, aceto & calidum vulneri admoueto: vel stercus caprinum decoctum in aceto acerrimo applicato: vel sulphur subtilissime puluerisatum exceptum saliua humana: vel picem nigram liquatam cum sale & pauco euphorbio: vel pilos ipsiusmet canis rabidi solos vulneri admoue, hi enim vim habent similitudine quadam veneni attrahendi, non aliter quam scorpio tritus applicatus, ictui à seipso inflicto, medetur. Vel triticum crudum dentibus attritum morsui appone: vel fabas sub cineribus excalfactas, deinde depellatas & sectas per medium morsui applica: Omnium præstantissimum remedium est theriaca dissoluta in aqua vitæ, aut vino satis aspere affricta vulneri & liciniis illita eidem admota, cui superponenda allia aut cæpe trita cum melle & terebinthina: vel decoquendum oxylapathum, tritum illud admouendum vulne-

ri, eiusque decocto vulnus fouendum: vel parandum cataplasma vulneri ex cæpa communi, foliis rutæ, & sale, tritis simul & commistis.

Initio morbi nec catharticum instituendum, nec sanguis mittendus: hæc enim remedia à circunferentiis ad centrum trahunt, quod hîc summopere fugiendum, alioquin in mortis discrimen æger coniicietur: Vtroque tamen præsidij genere vtẽdum vbi diuturnitate temporis venenum vires aquisiuerit in corpore: Pugnandum interim alexypharmacis, vt allio ex pauco vino epoto ieiuno ventriculo, cuius ope venenum aditu ad partes nobiles prohibeatur: vel puluere cancrorum fluuiatiliũ vstorum in vino dissoluto & epoto: vel puluere ex radice gentianæ siccata. ad drachmas duas, cancrorum fluuiatilium vstorum in clibano ad drachmas tres terræ sigillatæ ad semunciam: Cuius pulueris dosis sit drachmæ vnius cum aqua decoctionis cancrorum fluuiatilium: Id vero remedij genus ad quadraginta dies continuandum singulis matutinis ieiuno ventriculo: Ad idem confert aqua stillatitia humani stercoris: decoctum radicis

oxylapathi quadraginta diebus potum: radices vincetoxici quotidie pondere sesquidrachmæ potæ ex cardui benedicti decocto continuis quadraginta diebus: Nonnulli satis felici successu totum corpus per plures dies immergunt mari: cui remedio non vsque adeò fidendum quin alià vsurpentur auxilia.

Hydrophobia.

VNicum remedium hydrophobiæ existimat celsus nec opinantem in piscinam non antè ei præuisam proiicere: Et si natandi scientiam non habet, modo mersum bibere pati, modo attollere: Si habet, interdum deprimere, vt inuitus quoque aqua satietur: Sic enim & sitis & aquæ metus tollitur. Si vero conuulsio ab aqua frigida incidat, à piscina protinus in oleum calidum demittendus est æger: Hydrophobus purgandus non leui medit camento sed decocto veratri albi aut nigri, epithimi, fumariæ, senæ, mirobalanorum, elaterij, agarici, rhabarb. centaurij min. seminis genistæ, lapis armeni. Item, granis aliquot antimo-

nij præparati, confectione hamech, hyera diacolocynthidos: Proderit etiam leporis, vulpis & capreoli coagulum his exhibere. Præ cæteris vero omni studio conandum vt aquam bibant. Verum ne ipsam intuentes pauor inuadat, longissimis tenuibusque metallicis fistulis è longinquo ducenda erit, aut ex superioribus contabulamentis: nanque ipsa sola seruari possunt. Catuli coagulum (authore Aëtio) ex aceto semel potum, statim cupiditatem potus aquæ inducit illis: vel decoctum cicerum nigrorum, quod quia nigrum est non solum pauorem non inducit, sed & valide vrinam prouocat: quod hîc plurimum optandum.

Quod ad victus rationem attinet, hydrophobi paulo plenius viuant: fames enim illis aduersissima est, omnibusque venenatis affectibus ac vulneribus. Initio morbi, vtantur cibis salitis, speciatis, acribus vt pernis moguntinis, alliis, cæpis, porris, vino quoque meraco, vt horum ope occurratur veneno rabido, nec serpere & ad partes nobiles ferri permittatur. Cibi sint lenti ac viscosi, & qui vias patentes obstruant, ne tam facile ve-

menũ intrò repat: Exactis octo aut quindecim diebus mutetur hæc victus ratio, cibíque offerantur temperati, & potius humidi quàm ſicci: quales conueniunt melancholicis, iuſculis vtendum ex beta, braſſica, radicibus cich. acetoſæ, aſparagi, & cæteris diureticis, quæ in hoc affectu plurimum conferunt: vino indulgendum, ſed oligophoro, eiúſque loco propinandum oxymel, ſyr. de acetoſitate citri, ſyr. de limonibus, de granatis: carnibus veſcendum elixis vitulinis, veruecinis, hœdinis pullorum iuuenũ: cancris fluuialibus: laxa ac facilis aluus continenda perpetuò. Sunt qui putent hydrophoborum inſigne eſſe remediũ, ſi in cibis frequenter vtantur iecore canis rabidi toſto: quod Galenus non probat, niſi illi admiſceatur aliquis alius cibus: ſomnus hîc omnino noxius.

Hæc ſunt remedia potiſſima hydrophoborum, quæ tamen inutilia omnino futura ſunt, ſi veneni vis iam omnes facultates obſederit: profutura autem, ſi mens non omnino deprauata fuerit, ſic enim apud Aëtium quidam philoſophus balneo (quod agnouiſſe dicitur) percuratus fuit: ſic Auic. ſcribit ſpem aliquam

hydrophoborum superesse, si se in speculo intuentes seipsos agnoscant. Hydrophobia autem certo definitóque tempore post morsum canis rabidi non exoritur: plurimũ tamen ad quadragesimum vsque diem neglectis differri consueuit: post semestre etiam nonnullos inuadit, alios post annum: quosdam post septennium: quod ex demorsorum temperaméto ac viribus dependet: alij enim sunt debiles, alij robusti: alij angustos habent meatus, alij patentes: alij synceris, alij impuris humoribus sunt referti: Ex quo fit, vt in his citius in illis serius hydrophobia exoriatur.

Morsus canis non rabidi.

HVic conferunt cataplasmata ex amygdalis amaris melle exceptis: vel ex carne mitulorum: vel ex pisce gobio: vel ex farina orobi vino macerata: vel ex foliis cucumeris: vel ex bulbis cum melle & trito pipere: vel ex plantagine: vel ex menta: vel ex vrtica cum sale: vel ex radice & foliis cynoglossi cum axungia veteri suilla: vel ex foliis sambuci & ebuli: vel ex sarmentitio cinere: vel ex radice

trita hyppolapathi cum vino meraco: vel ex foliis marrubij cum axungia tritis: vel ex pilis excisis canis qui non momorderit.

Viperæ morsus.

VIperæ habent in gingiuis suis inter dentes vesiculas quasdam, neruorum instar, plenas veneno, quod suapte natura frigidum est vt & reliquarum serpentum: mas viperæ duas habet huiuscemodi vesiculas, fœmina verò quatuor, vt ex morsibus quos icti aut demorsi perpessi sunt, licet expendere. Periculosiores autem in viperarũ genere, sunt morsus fœminarum, quàm masculorũ: magnarum, quàm paruarum: iuuenum, quàm seniorum: adultarum, quàm adolescentum: famelicarum, quàm pastarum: iratarum, quàm mansuetarum: æstate, quàm autumno: montanarum, quàm palustrium: Nec verò ex solis vesiculis illis viperæ eructant venenũ, sed & è cauda sua, qua pungunt, ex sputo suo, & ex felle suo cùm occiduntur: morsum igitur aut ictũ viperæ hæc sequuntur symptomata: dolor vehemens in parte demorsa punctorius ac

lancinans: eiusdem partis tumor aut inflatio primum, deinde totius corporis, nisi citissime occurratur: E vulnere manat sanguis, deinde sanies sanguinolenta, tandem citrina, aut viridis, aut oleosa, aut pinguedini similis: circa vulnus excitantur in cute vesiculæ aut bullæ ceu vacui per ignẽ tumores, perinde ac corpus igni sit ambustum: caro quæ vlcus circundat tumet plurimũ, rubet interdum, túmque palam liuida cernitur. Vlcus corrodit ac depopulatur carnem ambientem: quinetiam in toto corpore velut quoddã sentitur incendium, siccitas atque ariditas maxima percipitur, sitis pene implacabilis vrget: vertigo capitis, lumborũ anxietas, liuidus color: Postremo extremarum partium frigus, sudor frigidus, syncope, singultus frequens, vomitus citrinus, ęruginosus: tandem conuulsio, ac mors.

Serpenti veneno statim occurrendum, ob id pars demorsa comprimenda, vt âb ea vna cum sanguine expellatur venenum: illúdque attrahendum suctu, cucurbitulis, hirudinibus, scarificatu: vt suprà dictum est: vulneri admouendum emplastrum attrahens: litus quoque cum satis aspera frictione ex theriaca aut mithri-

datio in aqua vitæ dissoluto: aut sanè vipera excoriata rescissis capite & cauda, interioribúsque exemptis, & anguillarũ more cocta, & à demorsis deuorata maximum demorsis præsidium adfert. Item, succus vna cum foliis contusis fraxini instillandus vulneri: vel millefolij folia cõtusa eidem admouenda: vel lauri tenella folia cocta & oleo subacta apponenda: vel vipera tota cõtusa vulneri adalliganda. Sumenda verò per os non frigida, sed calida, quia frigida calorem veneni congregant, & naturalem debilitant: calida verò venenum subtiliant ac resoluunt: qualia sunt theriaca ex vino generoso: allia: sinapis: assa fœtida: pyrethrũ: myrrha: gẽtiana: angelica: aristolochia: squilla: acorus: asarum: ruta: vinum meracum: succus foliorũ fraxini: melanthium: cancri fluuiatiles: testudinis sanguis exiccatus cum syluestri cumino potus.

Aspidis morsus.

VVlnus quod ab aspide mordente infligitur, velut punctura ab acu cernitur: binum quidem ex maris morsu, ex femellæ verò quatuor citra magnum dolorem, & vllum tumorem, & à quo nil

effluit,

effluit, nisi violẽtũ animal sit, quod morsum intulit. Consequitur autem pallor, stupor, frontis refrigeratio, assidui hiatus, palpebrarũ nictationes, colli inclinatio, capitis grauitas, segnities, in somnũ profundum propensio, tandem conuulsio, indéque mors intra sex aut octo horas.

Et quoniam aspidis venenum congelat sanguinem in venis ac arteriis, demorso ab aspide propinanda sunt excalfacientia tenuis substantiæ, qualis est aqua vitæ in qua theriaca dissoluatur: quæ itidem in vulnus infundi poterit commodè: demorsus quoque exercitio, deambulatione, frictionibus, balneis, laconicis excalfaciendus venit: loco demorso etiam poterunt admoueri cataplasmata ex centaurio & myrrha: aqua marina calida pro fomẽto: cicerum farina cum hyperico decocta & imposita: maluæ folia cum porris & cœpis: sinapi farina ex aceto: hyssopum cum sale & cumino tritũ: angelicæ radix cum ruta: folia & flores staphisagriæ contusa: Si locus demorsus nigrescat, aut purpurescat, aut liuescat, vel fiat viridis, indiciũ erit natiui caloris pene extincti: tum amputanda pars, si partis natura aut vires ferant.

Colubris aliorúmque serpentum morsus.

MOrsus colubris aliorúmque serpentum, curatio eadem quæ & viperini morsus, nisi quod maiori diligentia celeriorique cura ac remediis paulò validioribus sit opus, quod nimirum, quemadmodum scripsit Gal. libro de theriaca ad Pisonem, vipera sit serpentum omnium minimùm venenata ac lethalis.

Huic morsui priuatim conferunt inter topica, cicerum farinæ cum hyperico decocta admota: maluæ folia cum porris & cœpis illita; betæ nigræ succus illitus: porri folia melle subacta & illita: sinapi farina ex aceto imposita: hyssopum cum sale & cumino tritum, & ex melle vulneri illitum: pæoniæ radix admota: bistortæ & tormentillæ radices illitæ: scabiosa tusa recénsque illita: angelicæ radix cum ruta imposita: centaurium minus cum myrrha & opij momento plagæ impositum: rumex contrita & cataplasmatis modo adhibita.

Morsus bufonis.

ET si bufones dentibus aut vesiculis illis venenatis careant, non desinunt tamen veneno inficere partem eam quam suis gingiuis asperis ac rudiusculis apprehendũt, in quibus delitescit virus venenatum, quod in partem apprehensam eiaculantur: eiaculantur quoque venenum per vrinam, mucosam saliuam, & vomitum in herbas super quas repunt, potissimum in fraga, quibus plurimum delectantur: vnde nemini mirum esse debet, si plurimi hausto huiuscemodi veneno intereant: vti suprà monuimus.

Ictus aut morsus bufonis hæc signa sunt, corpus flauescit, totum intumescit, vertigo, syncope suboritur aliáque inuehuntur symptomata, quæ superius attulimus inter venena assumpta: Et quoniam venenum hoc (licet frigidum ac humidum) toto genere nostræ naturæ inimicum est, pugnandum omnino contra illud alexipharmacis potentibus: illis demum tum topicis, tum assumptis remediis, quæ ad rabiem recensuimus.

Scorpionis ictus.

SCorpio non ore nec dentibus, sed cauda sua venenum emittit: nimirum per vnum aut duos aculeos cauos per quos pungit ac icit partem, & per eosdem venenatum virus in vulnus eiaculatur: puncta pars tumet, inflammatur, dolet insigniter, rubet: ictus toto corpore rigescit, horrescit, sudat, modò frigescit, modò verò incalescit, variásque in seipso mutationes ac punctiones diuersis in partibus sentit ac patitur: flatibus tumet, vēter & anus: syncope frequens: febris continua, totius corporis tumor, tandémque mors sequitur nisi occurratur.

Eius propriū ac singulare alexiterium est scorpio contusus admotus: aut oleum scorpionum illitum puncturæ: Horum loco instilletur in vulnus lac ficulneum, vel calamentum pistum apponatur, vel farina hordei excepta cum decocto rutæ: non abs re fuerit punctū in balneum egelidum demittere vt inde eliciatur sudor: vt sedetur promptissimè dolor, cochleæ hortulanæ contusæ integræ admoueantur vulneri: vel sulphur pulueratum & exceptū terebinthina: vel herba scor-

pioides dicta, contusa: vel radix bryoniæ elixa & contusa cum sulphure: vel allia trita cum sulphure & oleo veteri: fotus ex decocto agarici: vel terreni vermes triti: vel cancer fluuialis tritus: vel porri folia melle subacta & illita.

Fugantur autem scorpiones è domibus aut suis conceptaculis suffitu sulphuris & galbani: horum puncturam vitabis, si teipsum illinas succo raphani aut alliorum: horum enim odor eos arcet.

Apum & vesparum ictus.

ET si vesparum ac apum punctura nemini vnquam necem intulerit (nisi illæ in turba ac agmine copioso animal aliquod aggressæ fuerint) tamen tantum ac tam vehementem dolorem illa incutit, vt ei non minus propterè sit succurrendum quam venenato ictui: Huic succedit dolor insignis, rubor, inflammatio circa puncturæ ambitum, cum vesiculis obortis instar ambustæ partis: reperitur verò aculeus ceu stimulus quem apes solent in puncto aut morso loco relinquere, qualem tamen vespæ non relinquunt.

Sugendus citissimè locus punctus vt aculeus aut dens infixus eliciatur: sin minus detegenda cutis, vt is promptius extrahatur: quòd si natura partis id non patiatur, admouendum parti cataplasma ex fermento, cineribus, & oleo simul mixtis: vel pars puncta demittenda in aquam calidam: eadem aqua fouenda per semihoræ spatium, deinde vulnus abluendum aqua salita. Item, cressio tritus appositus parti punctæ sedat dolorem humorémque in tumore contentum discutit ac resoluit: vel stercus bubulum dissolutum in aceto & oleo calidum admoueatur: fabæ masticatæ apponantur: vel berula pista in oxicrato: vel ipsæmet apes aut vespæ cõtusæ affricentur ac admoueantur puncturæ: vel fricetur vulnus aceto, melle, & sale simul mixtis iisque calentibus: & superponatur linteum his imbutũ: vel sulphur, viuum pulueratũ, saliua exceptum admoueatur. Item, lac ficuum non maturarum admixtum melli: omnium præstantissimum topicum ad apum & vesparum ictus est theriaca.

Fugantur apes suffitu sulphuris & alliorum: Horum puncturã arcebis, si corpus illinas succo maluæ admixto oleo.

Erucæ ceu campes morsus.

ERucæ rufæ & villosæ, multi pedes latinis appellatæ, pruritum vehementem, ruborem ac tumorem excitant in parte quam pungunt, aut cui affiguntur, aut in qua collisæ fuerint: maximè vero illę quę in pinis educantur.

Illinatur pars oleo momordicæ, aut tegatur cataplasmate ex cæpa pista & aceto: aut ex farina sesami & aceto: aut ex thymbra, melissophyllo & sisymbrio: Conferunt hîc quoque remedia quæ ad apes & vespas.

Aranearum morsus.

VT diuersa sunt Aranearum genera ita diuersum ac variũ ab illis venenum morsu ceu punctura infligitur. Non enim eiusdem malignitatis est particeps, sed hoc deterius illud vero minus lethale: Puncta pars, stupet & refrigeratur primum, deinde totum corpus eodem frigore ac stupore diuexatur, ingrauescit quoque in dies: Si potu sumatur quemadmodum supernis dictũ est, guttur, collum, oculi & venter citissimè intumescunt: Borborigmi in intestinis

sentiuntur, frigent extrema superuenit syncope, tandem mors nisi occurratur.

Puncta pars fouēda aceto calidissimo: eidem imponēdum stercus caprinum frixum in aceto: vel allia & cæpe contusa simul: vel rutha, absynthium, calx, cineres contusa simul & aqua calida excepta: sudor quauis arte prouocandus siue balneo siue laconico: Potest quoque theriaca admoueri parti punctæ: Eadēque sumi cōmodissime ex vino generoso: Si sumpta fuerit per os, recurrendum ad ea remedia quæ ad venena à tota substantia pertinent.

Cantharidum morsus.

CAntharides non tantum morsu aut ictu sed & admotæ venenatæ sunt: hæ enim quia calidę ac siccæ ad quartum vsque gradum, exurunt, exulcerant, corrodunt: nec solo temperamento venenatæ existunt, sed & ab occulto quodā odio quod illis inest in vesicam partesque vrinæ dicatas.

Hæ igitur si pungant aut admoueantur adferunt incendium vehemens, in vesica, eius collo, cæterisque partibus vrinæ

dicatis: cui ſuccedit cruciatus pene implacabilis in iiſdem partibus: vomitus frequens, mictio aſſidua etiam cruenta, alui deiectio pene continua, inquietudo, totius corporis iactatio, febris, non leue delyrium.

Lac citiſſime propinandum ſatis larga copia: iniiciendi clyſteres in aluum & veſicam ex eodem lacte: Parandum balneũ ex aqua temperate calida, in qua ſemen lini, radices & folia maluę, biſmaluæ, violariæ, hyoſcyami, lactucarum, portulacæ incoxerunt: ab egreſſu balnei, illinendi renes, lombi, inguina, peryneum, imus venter cerato refrigerante galeni, vnguento roſaceo, vnguento populeone addita caphura.

Bupreſtis morſus.

HVius eadem pene ſymptomata ac curatio quæ & cantharidum: Hic ſi à Boue aut homine deuoretur tumorem totius corporis hydropico tumori ſimilem inuehit vti ſupra dictum eſt.

Morsus Muris Aranei.

MVs araneus colore mustelæ similis si quando mordeat, quadrifidum vulnus relinquit à quatuor dentibus quos habet illatum.

Huic confert erucæ semen tritum & impositum: Cuminum cum allio simul cum putamine tuso adhibitum : mus ipse araneus laceratus & impositus: Radix gẽtianæ & Panacis imposita.

Morsus Tarantulæ.

TArantula perniciosissimum Araneæ genus: ab ea icti aut puncti diuersè torquẽtur: siquidem alij perpetuo canũt, alij rident, alij plorant, alij clamitant, alij dormiunt, alij vigilant, alij vomunt, nonnulli saltant, alij sudant, alij tremũt, quidam pauent, alij alia symptomata patiuntur, fiuntque phreneticis, lymphaticis, ac maniacis similes. Quæ quidem symptomata proueniunt ex vario horum animalium veneno, aut ex demorsorum hominum temperamento: magis commune symptoma est quod icti ab huiuscemodi animalibus soporosi fiunt.

Curatur morsus hîc remediis ad aranearum morsus commemoratis: Item,

musicis instrumentis, & cõtinuis tripudiis & saltationibus ad lassitudinem vsque. Id norunt prouinciales populi apud quos magna est tarantularum turba.

Ictus Draconis marini, seu Aranei gallis viue appellati.

DRaco marinus in ceruice vel dorsi principio, quinque aculeos habet, tenues, nigros, præacutos, tenui membrana nigra connexos, quibus venenatum vulnus infligit, multoque perniciosius, quam branchiarum aculeis. A capite, oculis, venenatisque aculeis datum est illi nomen Draconis: Hoc veneni perniciosi genus experiuntur qui pisces huiuscemodi marinos preparant in cibaria piscaria: hi enim sæpenumero si in aculeos piscis hui⁹ impingãt, vel manu vel digito, tam granem puncturam sentiũt, tamque granes cruciatus in parte puncta, vt nisi occurratur gãgrena illius partis suboriatur: Puncturæ enim statim succedit partis inflammatio, dolor insignis, tandem nomæ ac gangrena.

Remedium huius puncturæ præstantissimum est, si modo viuat Draco marinus qui pupugit, foliis lentisci partem

punctam confricare: vel draconis ipsius dissecti carnes vel cerebrum ipsi imponere: vel theriacam vna cum succo absynthij admouere: Si vero punctura ab aculeis demortui piscis incussa sit, puncturæ parandum primùm cataplasma ex cæpe magno cocto sub ignitis cineribus, fermento & pauca theriaca: Deinde continenda pars puncta siue manus siue digitus in aqua calente quam diutissime poterit vt foras eliciatur venenum: deinde scarificanda pars multis sacrificatibus superficiariis, ipsisque scarificatibus hirudines affigendæ ad euocandum sanguinem: Quibus peractis theriaca dissoluta in aqua vitæ admouenda.

Vulnus ex sagitta aut gladio aut telo intoxicato.

SAgittæ, tela, gladius in conflictibus bellicis sæpenumero venenis, potissimum calidis, inficiuntur, quod à veteribus factitatum hystoriæ referunt: hi enim dimicaturi suas sagittas, enses, gladios succis Napelli, aconiti, taxi, apij risus, scillæ, & similium simplicium: Item, Risagallo, Arsenico aliisque huiuscemodi venenis solebant imbuere, vt suis ho-

ſtibus vulnera lethalia inferrent: Quali vulnere interiit Sigeus apud Vergilium. 9. Æneid.

Talia autem vulnera his ſe produnt ſignis, dolor adeſt ingens & pene implacabilis, incendium, rubor, tumor inſignis: vulnus tandem liueſcit, palleſcit, fitque gangrenoſum niſi promptiſſimè ſuccurratur: ſuboriũtur quoque plura alia ſymptomata multo maiora quam vulneris qualitas conditio, partiſque vulneratæ natura ac temperamentum ferat, niſi lethale venenum ſubeſſet.

Proinde, euulſo telo aut ſagitta aut alio quocunque ſi quid vulneri inhæſerit, circa vulneris ambitum profundi ſcarificatus infigendi, eidem cucurbitulæ cum plurima flamma admouendæ: ſugendum vulnus ſi poſſit ſugi: apponẽda emplaſtra, cataplaſmata, vnguenta attrahentia: ea quidem cautione vt illis frigida quædam ſuperponantur, quibus incendium quod in vulnere à veneno excitatũ eſt temperetur: alioquin veneni feruor ac furor excandeſcet magis, vulnuſque multo deterius reddetur: Nec hîc omittenda cauteria veſicatoria, & cætera huiuſcemodi remedia quæ ad curationem venenorũ ca-

lidorum foris corpori illatorum attulimus: Solent enim venena quibus sagittæ inficiuntur, vt plurimum esse potentissimè calida vt scribit Theoph. lib. 9. cap. 15. de historia plantarum.

Vulnus ex globulo sclopetario intoxicato.

NOn quæcunque vulnera globulus sclopetarius intulit, venenata aut cum venenis sunt complicata, sed ea tantum quæ globulus veneno delibutus excitauit: non enim (vt nonnullis placere video) si qua subsit venenositas ceu venenata qualitas huiuscemodi vulneribus sclopetariis, à puluere tormentario depēdet, sed potius à globulis veneno imbutis ac intoxicatis: Illi autem intoxicātur, nō infundendo venenum in foramē aliquot data opera factum, quemadmodum multi opinātur: sed immergendis globulis atque aliquoties extinguendis in aquis mercurialibus fœtidis & succis quibusdā lethiferis vt Aconiti, Napelli, Scillæ, taxi, apij risus & similium simplicium, aut cum sanguine venenatarum quarundam bestiarum, quæ tota substantia sunt nobis aduersariæ: Si enim ferrum ipsum

& chalibs quæ plũbo (ex quo sclopetarij globuli fiunt) multo densiora, solidiora minusque porosa sunt, venenatam qualitatem recipiant, dubium nemini esse debet, quin plumbum diutius immersum ac maceratum in succis venenatis, multo facilius venenatam qualitatem admittat: Quod autem ferrum & chalibs inficiantur veneno, testantur vulnera illa lethalia quæ à telis, aut sagittis, aut gladiis intoxicatis inferuntur. Quorum frequens vsus erat apud veteres. Sic enim Verg. 9. Æneid.

Vngere tela manu ferrumque armare veneno.

Et lib. 10.

Vulnera dirigere & calamos armare veneno.

Præterea si ea est astutia quorundam veneficorum (velut supra recensuimus) vt possint venenatis quibusdam confectionibus sellas equorum, epiphia, calcharia, soleas ferreas, inficere, à quibus insessorum vniuersa membra corrumpantur & absumantur: Si atramento au papyro vis ea venefica imprimi possit, vt scribentes aut legentes veneno polluant aut etiam enecent: multo facilius plumbei

globuli in pestiferis ac venenatis mixtionibus macerati venenatum qualitatem possunt contrahere, illamque ea penetrandi tenuitate qua pollent, vulneratis partibus imprimere: quinetiam vapore suo maligno per venas, arterias, & neruos infuso, spiritus naturales, vitales & animales inficere: Quare dubium nemini esse debet, quin vulnera propter plumbearum aut quarumnis aliarum glandium venenum, venenata esse queãt: Sed de his aliàs.

Signa vulnerum huiuscemodi venenatorum: caro liuidior, quam vulgarium vulnerum quæ à sclopetariis inferuntur, & tanquam emortua, cum totius partis decoloratione, doloribusque extraordinariis atque implacabilibus: itéque cùm inflammationibus & doloribus pungentibus, præsertim in vulnerum ambitu, cumque grauedine & torpore totius corporis plerunque non sine febribus ardentibus & syncope & perturbatione mẽtis. Hæc omnia venenatam qualitatem indicant in vulnere sclopetario, præsertim si nulla adsit manifesta caussa propter quã tam grauia symptomata interueniant: Porro inter certissima signa, globuli consideratio

ſideratio principatum tenet ſi forte reperiri poſſit. nam inciſus atque in duas partes diſſectus, apparet obſcurus, violaceo & purpureo colore permixtus, alio denique quàm eo quo reliqui globuli eſſe ſolent: partes vero poſt inciſuram rutilum quendam colorem habent. Præterea ſi globulus ad ignem violentum ac feruentiſſimum fundatur & liquetur fumus ex illo exhalat ater, fœtidus, & metallum poſt fuſionem atrum, liuidum & obſcurum apparet: Quæ omnia certiſſimum ſignum adferunt veneni cum globulo permixti, ac proinde vulneris venenati ab eo illati.

Quam citiſſime fieri poterit cõfugiendum ad ſalutare aliquod antidotum quo venenum è vulnere euellatur ac euocetur, nec tam facile intrò ſubeat, qualis eſt puluis mercurij exceptus aliquo vnguento attrahente vt vnguento Ægyptiaco, addita etiam terebinthina: prius tamen oportet ſi quid vulneri infixum ſit extrahere, vulneris labra ſcalpello ſcarificare, cucurbitulas admouere: & cætera præſtare quæ ad venena calida conferre ſupra diximus. Quæ omnia bis in die permutanda & iis vtendum donec

grauiora omnia ſymptomata deſinere appareant: tunc enim vulnus tractandum ac ſi contuſum foret: idque ad longum tēpus prorogari poterit, quo vitioſa materies ſemper effluat, nec intus contineatur. Vbi vero propoſitum tempus prætererit, quo nullum imminet veneni periculum, vulnus agglutinandum & ad cicatricem perducendum: Quodſi vulnus veneni mortifera qualitate, mortis adferat periculum, neque remediis vllis vincatur, amputāda pars erit, ſi ſectionem commode non reſpuat.

Litus, ſuffitus, odores, vmbræ lethiferæ.

LItus ex hydrargyro dici non poteſt quàm ſæua ſymptomata excitet lue venerea laborantibus huiuſcemodi litum toto corpore expertis: Sedantur hæc ſymptomata his remediis quæ mox in luis venereæ curatione ſumus deſcripturi: maximè vero ſi totum corpus illinatur oleis de hyperico, de baccis lauri, & ſcorpionibus: Si corpus totum in mulum, aut equum exenteratum includatur, vel, ſi æger pauper eſt in aceruum

fumi penè putrefacti: Item si totum corpus balneo & ab egressu balnei alexipharmacis muniatur: omni vero arte curandum vt argentum viuum educatur è cerebro quò maxime eius virus vaporosum exhalauit: ibi enim frigiditate cerebri sępè cogitur ac redit in proprium metallum: admouenda capiti, spinæ dorsi, iuncturis brachiorum ac pedum emplastra vehementer attrahētia ex eo ipso argento viuo confecta: Laconicum hîc plurimum cōfert quale parari poterit ex sulphuris, salis & bituminis suffitu: membra tremula fouēda fœno viridi dum in pratis sole siccatur, prouocato quoque sudore cum decocto ligni sancti: Collapsos dentes ac gingiuas relaxatas iuuat decoctio ex alumine, Corallij affricati, mel rosaceum: Probatur plurimum hoc vnguētum ad omnia symptomata ab argēto viuo excitata Rec. olei de hyperico & de scorpion. an. lib. mediā: bufones magnos tres verberatos virgulis, donec viribus videntur augeri: viperam orientalem quæ morsu pullum statim exanimet, rutæ semina & scordij singulorum vncias tres: coquantur in balneo per duas horas, inde maneant diu in sole, ex quo

inungatur totum corpus potissimum spina, caput, & iuncturæ.

Suffitus ex cinnabaro & sublimato eadem symptomata quæ & argẽtum viuum inuehit, proinde eadẽ huic curatio debetur: Recipe rutam, rorem marinum, hypericonem, cæpas, succinum, coque in acri aceto fiat suffitus excipiendus per nares bis in die.

Vmbræ lethiferæ expugnandæ his remediis quę ad comitialem morbum conferunt, potissimum smaragdo, pæonia, ruta, & similibus: hæ enim quia terrorem incutiunt, sanguinẽ cõmouent, mentemque perturbant, vnde facilè affectus epilepsiæ similes inuehunt: Iuuãt etiam cranium hominis à viuente aut demortuo excisum & statim siccatum, semen cupressi.

Odores fœtidi, tetri, putres, maligni quia cerebrum feriunt, eidem plurimum nocẽt, maxime ieiunis: aduersus hos cõfirmandum cerebrum odoratis, nimirum, rosis & floribus beneolentibus, malis appianis, santalis, violis purpureis, flore croceo nympheæ, ligno aloës, caryophylis, moscho, musco, zibetho, croco: suffitu

thuris, styracis, myrrhæ, benicini, & cæteris odoratis.

Philtra, præstigiæ, fascinationes venenatæ.

Dici non potest quanta sit vis venefica philtrorum, præstigiarum, & fascinationum.

Si quis ergo philtris, detentus insano nescio cuius melioris amore fuerit, si stercus amatæ, nesciente illo impositum, cum odoris fœditate senserit, amor soluitur: Soluunt etiam amorem insignia hæc remedia, sectio venæ copiosa, purgatio cum elleboro, venus assidua vsque ad delassationem, labor magnus, inedia diuturna, verbera, longa peregrinatio, timor magnus, magna tristitia: Pudore & studio laudis & gloriæ qui ingenui sunt animi, liberantur: Item, plurimo reuocantur ludo aleæ & latrunculorum assiduo, balneo frequenti, fabulis ridiculis, cātilenis, musicis instrumentis: Iuuant plurimùm puluis margaritarum, & mandragoræ radix sæpius pota, sic vt obliuionem inducat non insaniam, ebrietas ex vino dulci. Moschus & inula: Profuerit vero hirudines hæmorrhoidib⁹ admouere & ex illis

ſanguinis melãcholici plurimum educere: Caput fouere lixiuio in quo folia nenuph. lact. viol. beton. ſtech. ſenæ, hordeũ integrum incoxerint.

Impedimenta coitus maleficis artibus vt pote ligationibus contracta, expedies ac diſſolues, ſi ex pugione quo homo fuit occiſus, tres facias anulos, quorũ vnum, frigidus ac impotẽs ad coitum qui fuerit, collo appenſum geſtabit, alterum in digito, tertiũ ceruici ſubdet: Iuuat & pugionem ipſum ſupponere ceruicali: Plinius probat plurimum abrotonum puluinari ſubditum: Alij conſulũt vtrũque centaurium deuorãdum tum minus, tum maius: Si cyclamen feratur in domo, & verbena ſuſpendatur, arcet maleficium.

Si maleuolentiæ aut odij faſcinationem aliquis patiatur, hunc exfaſcinabis, mutato aëre contagioſo & contaminato in lucidum ac clarum: odoratis ſuffitibus ex cinnamomo, caryophyllis, cypero, xilaloë: gratis odoribus moſchi, ambari, zybethi: geſtatione in collo lapidum carbunculi, hyacinthi, ſapphyri, ſmaragdi: Proſunt quoque hæc ad præſentem faſcinationem, adamas ſiniſtro adalligatus brachio vt carnes tangat: co-

rallius valde ruber suspensus è regione oris ventriculi: amethystus quoque chelidonius & gagates appēsi: Iaspis orientalis & topazius: carbunculus albus, gēma alba sic dicta quia nocte splēdeat, omnes enim tales gēmæ, cuiuscunq; sint coloris, carbunculi appellantur: cæruleus lapis intermicantibus aureis stellis, in digitis gestatus: Ex amuletis non lapidibus, mumia, Pæoniæ radix, moschus, dens longior lupi, vel canis: Inter cibos, vtendum assidue buglosso, petroselino vulgari, carne lupi & potissimum ipsius corde, scobe tenuissima auri, aleiis, cępis, fraxini foliis, oleis, butyro recenti plurimo, lacte ouillo, cerebris gallinarum, amygdalis recentibus cum saccharo: Purgandum corpus frequenti elleboro, vel armeno lapide: hauriendus succus mandragoræ ad grana. 24.

Præstantissimum omnium remedium ad fascinationes & præstigias, est Deo salutis corporis mentisque authori ac defensori vnico, pia vota facere, eius auxilium in rebus afflictis implorare, mentemque sanam in corpore sano deprecari.

Teipsum vero ab omni fascinatione

præſtigiis, cæteriſque veneficiis tutaberis ſi herbæ paridis ſemen drachmæ pondere quotidie ad vigeſimũ vſque diem potes: Si argentum viuum pro amuleto collo ſuſpendas: Si lapidem Aëtiten geſtes: Si cor auis vpupæ collio ſuſpendas: Si leporis cor in aluta geſtes: Si lupinum oculum dextrum deferas: Si plantam pedis vinculo ſtringas: Si roſtrum lupi & ceruicis pellem integrã geſtes: Si adamantem in brachio ſiniſtro adalligatum teneas. Si ſcillam ſuper limine ianuæ ſuſpendas. Si hyſſopum & lilium frequẽter olfacias: Si anulum deferas ex vngula aſini: Si pendeant è collo carbunculus, hyacynthus, ſapphyrus.

FINIS.

AVG. FERRERII TOLOSATIS MEDICI DOctiss. de Pudendagra siue Lue Hispanica. Lib. I.

Pudendagræ descriptio.



VDENDAGRA Lues Hispanica, nihil aliud est quam putredo humorum ex contagione in coitu magna ex parte contracta, participatione venenatarum exhalationum & spirituum infectorũ. Plerunque tamen contingit pueris ex vitioso lacte nutricis hoc morbo laborantis: interdum in vtero matris contrahitur. Quibusdam etiam accidit cõmunicatione lecti, participatione cibi & potus cum iis qui contagiosis huius mali vlceribus & pustulis adhuc scatent, aut infecto sudore madescunt. Quorum comessationibus se immiscere valde periculosum est, præsertim quando pustulis oris, & sordidis palati fauciúmque vlceribus adhuc infestantur.

Luis Hispanicæ definitio.

Causæ.

Causa Luis Hispanicæ.

CAusa procarthartica seu externa esse solet coitus cũ infecta, & coitu morę venenatæ exhalationes: aut cum infectis cõuersatio. Interna est vitiosa corruptáque tota massa sanguinea in dies magis ac magis putrescens donec vasis quoque & solidioribus partibus malum communicetur. Ex quibus meat⁹ vrinarij primò quidem exulcerari solẽt, renes offendi, hepar incalescere, & putredine fere accendi, accensus postea humores adurere, contagiosum calorẽ cæteris partibus impartiri fœdis humoribus totũ corpus implere. Vnde vlcera male morigerata, pustulas tumores, maculas liuidas ac rubicundas oriri contingit. Cerebri etiã substantia putredinis ac cõtagionis vitia cõcipiens excrementosa fit, ideóque impellẽte natura, & quod superfluum atque inutile est segregante facilè dissoluitur: atque in partes subiectas defluẽs tuberositates, nodos, articulorũ dolores, aliaque multa symptomata excitat: plerũque etiã medullas inuadit atq; inficit. Quibus rationibus mori medici quidã illustres pudendagrã ad pituitã referendam putarũt:

A cerebro quæ mala cõtingant.

pituitę nomine ipsam cerebri substãtiam, & quicquid à cerebro defluit comprehẽdentes. Veriùs tamen dixeris causam esse corruptos omnes humores, sed symptomata pituitæ magna ex parte deberi, propter facilem eius defluxum. Pituitam autem hîc intelliges, nõ naturale illud & ad concoctionem reseruatum phlegma, sed salsam, acrã, putrefactam, serosam ac excrementitiam omnem humiditatẽ ad pituitæ colorem aut naturam accedentem, cerebro potissimum collectam, in reliquo vero corpore partim distillationibus, partim concoctionis vel assimilationis vitiis coaceruatam. Cum in vtero morbus contrahitur, tanquam hęreditarium fit malũ, & tanquàm corruptum elementum vna cum paterno vel materno semine infunditur, aut si mater à die conceptionis in morbum inciderit, communicatis fœtui vitiosis infectísque humoribus, primę cõformationis facultates, actiones, atque organa corrumpi necesse est.

Quid nomine pituitæ veniat.

Lues Hispanica hæreditaria.

Signa.

Signa Luis Hispanica.

Signa partim ex iis quæ sensibus obiiciuntur, partim ex ægrotantis sermonibus colligenda sunt in hunc modum.

Si enim cum artuum & capitis doloribus etiam obtusis, pustulæ in fronte, in capite, aut pudendis squamosæ siccæ, aut saniosę & putridæ apparuerint, certũ habebis indicium morbi Hispanici, si nuper cum infecta coierit. Idque magis si post coitum purulentis meatuũ vrinalium vlceribus & ardore vrinæ primò affectus, postea citra sufficientẽ puris purgationem spõte sanatus visus fuerit, aut si cancerosæ virgę postulæ quæ primò inuaserunt, postea citra perfectã curationẽ euanuerint, aut si abscessus qui primò in inguinib⁹ apparuerũt, postea nõ resoluti, non maturati, aut male detersi in partẽ interiorem secesserint. Sunt quibus pustulæ cutem non subeunt, sed in diuersis locis liuida quadam rubedine cutis maculatur. Quę rubedo si nũc disparuerit, paulò post ferè reuertitur: aut pustulas de se ædit. Sunt etiam quibus citra exteriores pustulas & maculas Alopecia accidit, cum oris & faucium vlceratione ferè, nec sine artuum doloribus. Cætera symptomata sunt capitis, colli, & scapularum dolor, spinæ quædam perfrigeratio, tuberositates in capite, brachiis & tibiis, alopecia capitis & barbæ, cæterarũque partium depilatio, vnguiũ casus,

Alopecia.

Symptomata Luis Hispanicæ.

pustulæ in toto corpore, & cutis defædatio. In infantibus, & aliis qui ex coitu malum non contraxerunt, scire conuenit nûm dum in vtero gestarentur ægrotare cœperint, nûm à nutricis lacte malum ortum fuerit, aut ex conuersatione cum infectis. Notandum verò morbum Hispanicum plerũque foueri in interno corpore sex, septem, octo, vel nouem mensibus antequã se manifestius prodat: nisi quod à contagioso illo coitu vsque in manifestationis diem aut macula circa pudẽdas partes rubra, vel liuida, aut pustulæ vlcusve in pudendis in fronte vel in ore, aut nodi in capite vel in extremitatibus, aut paulatina procidentia capillorũ perseuerantia sua internum morbum attestantur.

In infantibus Luis affectis quæ considerãda.

Lues diu in corpore latere potest.

Curatio.

TRia sunt in hoc morbo præcipua à quib⁹ curatiuę indicationes sumũtur. Primũ est vitiosorũ & corruptorũ humorum copia. Alterum putredo. Tertium cõtagio. Copia putredinem alit & auget. Putredo adulteratę caliditatis index est. Adulteratus calor concoctionẽ vitiat, humores adustioni obtẽperantes adurit, cęteros aut dissoluit, aut resoluta subtilis

Tria præcipuè in Luis curatione consideranda.

ſubſtãtia condenſat ac incraſſat. Sic enim aduſtione craſſi, denſi, ac tenaci quadam irrigatione lenti humores euadunt. Lẽtorem ac craſſitiem conſequitur obſtructio. obſtructione impeditur tranſpiratio, fouetur contagio, augetur quæ ex cõtagione ortum ducebat putrefactio. vnde infinita alia mala oriri videmus. Diſſolutis aduentitio calore humoribus, fiũt deſtillationes & defluxus: atq; ex his pectoris affectus, ſtomachi ſubuerſiones, Colli & articulorũ dolores, tuberoſitates, nodi, & ſimilia. Cõtagione vitiatur ſanguificatio, corrumpuntur humores, inficiuntur ſpiritus, deprauatur quæ in ſingulis partibus efficitur cõcoctio & aſſimilatio. vnde excrementoſum totius corporis habitũ reddi contingit: præcipuè verò cerebrum, alimentum quod ad ſe defertur cõcoquere, & propter infeſtæ qualitatis vitiũ perfectè aſſimilare recuſans, excremẽtis oppletur: quibus in varias corporis partes diſtributis, infinita excitãtur morborũ & ſymptomatum genera. Cõſtat ergo variũ hunc malorum concurſum ex vna contagione, adiuncta putredine proficiſci.

Quibus omnibus abigendis propellendiſque opus eſt remediis, contraria quo-

dammodo facultate præditis. Contagio enim ea quę infectioni resistunt postulat: Putredo ventilationem, putrium & semiputrium concoctionem: adulteratus calor, refrigerationem & emendationem. Lentor ac crassities detersionem & attenuationem: obstructio reclusionem apertionemve: corruptorum humorum copia multiplicem ac variam euacuationem. Symptomata verò & succedentes affectus quomodo curari debeant suo loco dicemus. Nunc methodicam morbi ipsius curationem proponamus, redigamusque in octo capita curatiuas omnes illas indicationes.

Primum ergo remedium sit victus boni succi, facilis concoctionis, minimè excrementitius, attenuans, abstergens, siccans: & vbi intensus erit calor, refrigerans.

Secundum sit facilis leuisque purgatio, quam minoratiuam vocant.

Tertium venę sectio, in quibus expedit.

Quartum corporis atque humorum qui excerni debent præparatio, attenuando, tergẽdo, aperiẽdo, corpora fluida faciẽdo.

Quintum plenior humorũ euacuatio.

Sextum particulares euacuationes: vt tandẽ resecatis prauis humoribus, & aper-

tis vndique meatibus ventilationi & perspirationi locus sit, inhibeaturque putrefactio.

Septimum symptomatum ac morborum tanquam symptomata succedētium curatio.

Octauo loco potissimum infectionis ac cōtagionis seminaria extinguenda ac interimenda proponuntur. Quod tamē non solum in fine curationis, verumetiam per totum morbi decursum vtiliter efficitur.

I. *Victus.*

Victus ratio in Lue quæ conueniat.

LIcet Lues Hispanica totam massam sanguineam atque humores omnes occupet victum tamen vt & cætera remedia ita instituere oportet, vt vincentis & magis pecantis humoris ratio habeatur. vincente siquidem & magis peccante bile ad refrigerationem procliuior esse debet. vincente pituita ad maiorem abstersionem & attenuationē. Præpollente verò melancholia ad attenuationem citra vehementem siccitatem. In genere conducunt alimenta omnia boni succi, facilis cōcoctionis minimè excremētitia, vt gallinacei generis mares & fœminæ, perdices, attagenæ, phasiani, pulli colum-

barum,

barum, merulæ, turdi, turtures, turricolæ & montanæ auiculæ, cuniculi iuniores, iecinora & testes gallinaceorum, pedes & alę volatilium pręsertim gallinacei generis, pedes veruecini, suilli, vitulini, atque ex ipsis confectum gelu, oua gallinarum & Phasianarum recentia, tremula, sorbilia. Carnes veruecinæ, hædinæ, & vitulinæ assæ, vt plurimum vsurpantur. Panis sit triticeus, nonnihil furfuraceus vt abstergat: sit autem probè confectus adhibita prius maceratione & debita fermentatione, & in clibano vel fornace decoquatur, non in cineribus, aut foci tegula. Biscoctum ob siccitatem præferunt aliqui: nos ob coctionis difficultatem & succi crassitiem reiicimus. Conferet etiam panis elotus, atque ex sorbitionibus ptisana cum mulsa, concurrente vero multa pituita cum hyssopo, pulegio, anetho, origano. Conuenient etiã panata, & lac amygdalarum dulcium, interdum etiam alica, & iuscula omnia ex prædictis carnib⁹ parata. præstabit tamen assis quàm iusculis aut elixis vti. Si quando oleribus opus sit, conceduntur lactuca, portulaca, acetosa: & ad moderatè abstergendũ aperiẽdumque ging idiũ ceu cherefoliũ, endiuia, ci-

Biscoctũ.

Panata.

Quibus oleribus vesci liceat.

chorium, ſcariola, lupulus, aſparagi, borago, bugloſſa: & cum euidenti attenuatione opus eſt, mẽta, fœniculus, ſaluia, hyſſopus, meliſſa, maiorana, apium, petroſelinum, pulegium, ſerpillũ, tymbra, anethũ, quibus cõtagionis emendandę gratia adiicies bethonicam, pimpinellã, Dictamnum, hypericũ, tormentillam, verbenam, carduum benedictum, angelicam, vincetoxicum, calendulam, roſmarinum, balſamitam, ſcabioſam, thymum, origanum: Cauendo tamen ne horum vſu vitioſos humores accerſas. Admittes etiam vuas paſſas, carycas, pruna & pyra cocta: cappares, amygdalas, pinearũ & piſtacearum nucleos. In condimentis vero licebit vti aceto, omphaceo, ſucco acetoſæ, ſucco granatorum, ſuccis citriorum & arantiorũ, & aqua roſata exuperante caliditate, & inflammationem minitãtibus puſtulis: interdum etiã mulſa vino, ſucco paſſularũ, melle, cinnamomo, croco, nuce moſchata, macere, cariofilis, aniſo, fœniculo, vbi humiditates & flatus prçualuerint. Abſtinendum à lacte, caſeo ouis coctura denſatis aut frixis, & à carne bubula, ſuilla, agnina, leporina, anſerina, cæteriſque omnibus craſſum ſeroſum prauũq; ſuccũ

gignentibus animãtibus, fructibus, seminibus, plantis & similibus. Vitanda etiam salsa omnia & acria. Adstringentia verò nisi particularis quædam intentio postulauerit, rarò admites. Piscibus saxatilib⁹, pelagicis, littoralib⁹, qui neq; insuaue, neque mali odoris, neque glutinosum quicquã gustu repræsentant interdum vesci licebit, vt gobiis, Asellis, Murænis. Concedimus etiã trutas, salmones, alosas, rubelliones nostros, soleas quas lingulacas esse putant, atque alios neque prædura, neque præmolli carne preditos. Gustãdos autem pisces non autẽ edẽdos censeo. Potus esto vinũ album, aut aliud tenue quod vrinam ducat. Id autẽ sufficienti aqua diluendum est, pro morbi excessu, tempore anni, consuetudine, ægrotãtis tẽperatura. vini loco conducent aqua ordei, decoctũ pauci cinnamomi in pluscula aqua hydrosacchar, orosaccar, hydromeli, apomeli, oxymeli, aut secundariũ ligni indici decoctũ. Ordo autẽ in cibis ingerẽdis seruetur, humidaq; siccis præmittantur, & coctu faciliora coctu difficilioribus. Nec tenuissimo illo victu quem in morbis longis damnauit Hippocrates, hîc vtendum: sed ad conseruandum vsque ad statum naturæ robur

Quibus piscibus vti liceat affectis Lue.

Aph. 4. lib. 1.

Socrates à mensa cum fame recedebat. quod satis comedendum, sic tamen vt Socratico more à mensa cum aliquãtula fame recedas. In statu, atque in curationis scopo tenuior victus adhibẽdus: atque in totum præstabit tũc assis quam elixis vti. *Affectis Lue quis aër conueniat.* Aër vbique ferè siccus diligẽdus, calidior quidem vincentibus frigidis humoribus: temperatior in cæteris. Talis autem si natura non sit, arte preparãdus est, suffimentis, irrorationibus, ignibus, similibusque artificiis. *Auster fugiendus.* Cauẽdum ab Austro, quòd corpora dissoluat, humectet, capita aggrauet, & vertigines faciat: & à choro, quòd pestilẽti quadã natura destillationes moueat quod in Mytilene oppido diligẽter annotauit Vitruuius. *Mytilene. Vitruuius.* Spirat autem ab occidẽte æstiuo. *Exercitationes.* Exercitationes cibum præcedant: sint autem moderatę, nec penitus ad lassitudinẽ progrediantur. Deambulatio, equitatio, & in lectica gestatio plurimum conferent. *Quibus aluus deiicienda.* Ventris deiectionem moliri oportebit, aut fructibus solutiuis, vt prunis & tamarindis in mulsa coctis: aut iure aliquo cum quo polipodium, sena, buglossa, vrtica & mercurialis bullierint: aut clystere, aut medicamento molliter perpurgãte. *Animi affectus vitandi.* Ira, metus, tristitia, cæteriq; affectus qui animum & corpus agitãt vitãdi.

2. *De facili purgatione quam Minoratiuam vocant.*

LIcet in tãta & tã pertinaci humorum corruptione valde necessaria sit purgatio, tamen cũ natura cõtagione ac pernicitate mali grauata ac cõturbata sit, nõ videtur tutum statim ab initio curationis efficaci medicamento eam irritare. Nam & ars ipsa docet ab imbecillioribus incipere & paulatim valẽtioribus assuefacere naturam. vtendum ergo primum facili leuique purgatione, quales sunt quæ cum cassia nigra, diapruno simplici, & catholico fiunt, quibus ne forte parum aut nihil agant, addere solemus valentius aliquod medicamẽtum simplex aut compositum. Nos confectionem Hamech cæteris iure pręferimus & miscemus in hunc modum. Rec. Catholici vnc. j. cõfectionis hamech drach. j & ß. saccari q. ß. fiat bolus. vel sic. Rec. cassiæ recenter extractæ, drach. sex. pulpę tamarindorum drach. j. & ß. confectionis hamech drach. ij. sacch. quod satis, fiat bolus. Si bolum recuset æger malitq; potionem, dissolues medicamenta in tribus aut quatuor vnciis hydromelitis, aut cõuenientis alicuius decoctionis, & cũ

Valenter purgãtia morbi principio non conueniunt.

Bolus.

pituita præualuerit, adiicies agarici trochiſcati, aut elect. indi. aut benedictę portionem aliquam. Si bilis, rhabarbarum, & elect. ex ſucco roſarum. Si melancholia, diaſenæ aut epithimi portiunculam.

3. *De venæ ſectione.*

Venæ ſectio quibus conueniat.

VEnæ ſectio conuenit plethoricis & aliis quibus venæ turgeſcũt, necnon quibus ad inflãmationem prolabũtur puſtulæ, tumores, & vlcera. Secanda autẽ interna cubiti vena quam Baſilicam appellant, quãdo partes collo inferiores magis infeſtantur. Externa quam Cephalicam vocant, quando frontem, caput, palatum, fauces, & collum ſymptomata impetunt. Communis vero & Media, quando partes ſupernæ & infernæ ex æquo afficiuntur.

Quid in ſectione venæ animaduertendum.

Quãtum ſanguinis detrahẽdum.

Trahendum autem tantum ſanguinis quantum ægrotantis ætas, vires, & temperatura, morbi ſymptomatumque vehementia, & circunſtantis, aeris ſtatus requirere videbuntur. Si pridiè leni illa & minoratiua purgatione vſus non fueris, duces aluũ molli clyſtere, in hũc modum.

Clyſter.

Rec. hydromel. lib. j. ß. caſſiæ fiſtulæ cum melle conditæ, vnc. ij. olei chamemelini q̄r. j. ſalis parum mixtis omnibus fiat

clyster. Detur ante venæ sectionem, & relaxatio vētre, redditóque clystere mittatur sanguis.

4. *De præparatione.*

ANtequam validiore medicamento humores eliciamus, fluidū (vt præcepit Hippocrates) corpus reddendū est, meatus reserando, crassa glutinosáque incidendo, extenuando, atque abstergendo. Quod partim victu (de quo diximus) partim syrupis & decoctis efficiēdum, in hunc modum. Rec. radicis polipodij & ramentorum ligni indici an. vnc. ij. rad. asparagi, tormentillæ, dictamni, filicis, asari an. vnc. j. corticis mediani sambuci, glycyrrhizæ rasæ, & contusæ an. vnc. ß. herbarum capillarum, hepaticæ, fumariæ, lupulli, scabiosæ, melissę, taraxacon, agrimoniæ an. M. j. oxylapathi, personatiæ, cichorij cum radicibus an. M. ij. passularum purgatarum à vinaceis & tamarindorum an. vnc. j. seminis carthami contusi drach. vj. senæ, thimi, epithimi an. vn. ß. quatuor seminum frigidorum maiorum contusorum an. drach. ij. hermodactilorum & agarici an. drach. j. ß. cinnamomi ʒ iij. decoquātur secundū artem

Fluidū corpus reddēdū ante purgationē validiorem.

in aquæ iusta quantitate, donec media pars aquæ consumpta sit, & in lib.ij. colaturæ decoque leuiter succi buglossæ & borraginis vtriusq; depurati vnc.ij. postea adde syrupi de fumoterræ & de epithimo an.vnc.j mellis rosati aut violati q̃r.j. fiat apozema pro quinque dosibus. In calidiore corporis temperatura addes acetosam, scariolam, atriplicẽ, endiuiam, lactucam, parietariam, pruna, myxa, ziziphas, semina frigida, recentes rosas, violas, nimphææ & cichorij flores. Vincente pituita adiicies radices iridis, lilij conuallium, galangæ, rhapontici, bryoniæ, aristolochiarum, cyclamini: & hyssopum, origanum, centaurea, stæcadem, bethonicam, cum pæoniæ & nigellę seminibus. Præualente atra bile, cortices ebuli, genistæ, fraxini, capparum, tamaricis, parthenium, pulegium, pimpinellam, ocymum, cum seminibus fraxini, hederæ, hyperici, viticis, anethi, cassuthæ, altheæ, & floribus anthos, scabiosæ, lupuli, borraginis, buglossæ, tamaricis, thymi, genestæ, sambuci. Biliosos etiam iuuabunt syrupus de endiuia, oximeli simplex, syrupus de fumoterræ simplex, & syrupus acetosus. Pituitosos syrupus de stæchade, de cala-

mento, de bizantiis, de menta, de absinthio. In atra bile proderũt syrupi de scolopendria, de cichorio, de fumoterræ, de epithimo. Sed tabellas quas superingerere solent medici præstabit ex iis quæ contagioni resistunt conficere quorum nonnulla iam recensuimus in victu, cætera capite vltimo huius libri plenius tractabimus. *Tabellæ.*

5. *De purgatione.*

PRæparato corpore, superest vt vitiosos & corruptos humores euacuemus, sanguinémque à putridis, salsis, serosis & adustis superfluitatibus vindicemus. Eum ergo in quo superat caliditas purgabimus in decocto violarum, tamarindorum & senæ dissoluentes rhabarbarum, catholicũ, & cõfectionem hamech: vel cum pilulis de fumoterræ & de rhabarbaro. Præualente pituita, in decocto passularum, hermodactilorum, & seminis carthami dissolues agaricũ, benedictam solutiuam, diaphenicum, & cõfectionem hamech: aut pilulas de agarico, cochias, & de fumoterræ commiscebis, & deuorandas dabis. Eum verò in quo vincit atra bilis sic purgabis. Rec. polipodij vnc. j.

Biliosi quomodo purgādi. passulatarum purgatarū à vinaceis drach. vj. senæ unc. ß. seminis cassuthæ anisi cinnamomi an. drach. j. aquæ mulsæ quantum satis bulliant simul ad tertiæ partis consumptionem & in colatura dissoluantur epithimi drach. ij. lapidis lazuli exquisitè abluti drach. ß. diasenæ & confectionis hamech an. drach. j. ß. Sirupi de fumoterræ & de epithimo an. drach. vj. fiat potio, vel Rec. massæ pilularum de quinque generibus myrobalanorū, de fumoterræ, & de lapide lazuli an. scrup. j cum vino infusionis epithimi, aut ellebori formentur pilulæ vij. Medici nostri temporis dant postridiè roborantes bolos, quos ex conseruis quæ in officinis prostāt, conficere solent: adiectis interdum speciebus diarodon, diatria sandali, elect. de gemmis, diambræ, & cæteris pro varia ægrotantium & morbi natura. Præstaret tamen ea quæ contagioni resistunt ad hoc opus eligere.

6. *De particularibus euacuationibus.*

Quæ particularū eua- PArticularium euacuationmu censentur menstruæ purgationes, hemorrhoïdes, & quæ ex ore apophlegmatismis

& gargarismis educuntur, aut errhinis & succorum attractione ex naribus. Adde solutionem alui, vrinæ sudorísque prouocationem, & insensilem transpirationem: quibus ferè omissis cæteris, incumbunt medici. Medicamenta enim quæ per os vel nares purgant verētur, ne qua pollent acrimonia partes illas ad contrahendum vlcus prōptissimas exulcerent. Menstruas purgationes & hæmorrhoïdes in postremos dies differunt, nisi citò medicamētis parêre posse videantur. Si quando tamen his incumbendum sit, aperies hæmorrhoïdes imposito ficus folio, vel amigdalis amaris tritis mixtísque cum felle bubulo: aut hirudinibus sedi admotis sanguinem elicies. Menstrua verò prouocabis potu sequenti. Rec. calamenti pulegij & seminis nigellæ an. drach. iij. contundantur, tritáque & cribro tenui transmissa decoquantur abundè in melicrato, fiat potio pro tribus diebus. Detur mane in lecto, concesso insuper duarum aut plurium horarum somno. Apophlegmatismos & gargarismos, si opus sit, conficies in hunc modum. Rec. masticis & passularum mundatarū an. drach. ij. contundantur & fiant trochisci commandu-

cuationū nomine veniunt.

Apophlegmatismatū vsus periculosus.

Hæmorrhoïdes quomodo prouocandæ.

Mēstrua quomodo prouocāda.

Apophlegmatismi et Gargarismi.

candi. Hi vt non erodent, sic pauxillam pituitam elicient. potentiores sunt qui sequuntur. Rec. pyrethri staphisagriæ piperis an. scrup. j. masticis scrup. ij. terantur, & cum melle formentur trochisci, quos in exitu lecti commanducare conueniet. Rec. foliorũ lauri viridium, thymi, hissopi, maioranæ an. M. j. passularum purgatarum & seminis nigellæ cõtusi an. vnc. ß. agarici drach. j. ß. aquæ fontanæ lib. ij. vini albi optimi lib. ß. fiat decoctio ad perfectionem: & in colatura dissolue staphisagriæ struthij piperis an. scrup. ij. pyretri zinziberis an. drach. ß. oxymelitis scyllitici vnc. ij. mixtis omnibus fiat gargarismus ad pituitã apophlegmatismi loco educendam. Per nares purgabis cerebrum cum succis betæ brassicæ anagallidis maioranę cyclamini: aut cum melle in errhina pyramidalia rediges apophlegmatismos præcedentes, & in nares intromittes. Sed exulcerato naso ab errhinis omnibus abstinendũ: vtendum verò apophlegmatismis & gargarismis. Et cõtrà, exulceratis faucib⁹, & palato, apophlegmatismis & gargarismis pituitã elicientibus abstinendum: vtendum verò errhinis & prædictis succis. Caue tamen ne

Errhina.

Quando errhinis abstinẽdum.

Quando abstinẽdũ apophlegmatismis & gargarismis

dum pituitam elicis, vlcus excites. Medici, vt diximus posthabitis cæteris particularibus euacuationibus, toti ad ventris deiectionem, vrinæ sudorísque prouocationem, & eam quæ per poros fit transpirationem se conferunt. Alui deiectionem moliuntur partim victu de quo diximus, partim clysteribus, & medicamẽtis molliter purgantibus: Clyster hic satisfacere poterit, Rec. altheæ cũ rad. M.ij maluæ, mercurialis, lupuli, buglossæ, fumariæ, vrticæ an. M. j. rad. polipodij vnc. j. corticis mediani sambuci, senæ, & seminis carthami contusi an. vnc. ß. seminis fœnug. drach. iij. fiat decoctio & in lib. j. ß. colaturæ dissolue medullæ cassiæ fistulæ & catholici an. vnc. j. olei communis q̃. j. mellis rosati colati drach. x. salis drach. j. ß. fiat clyster. Medicamenta molliter purgantia sint cassia fistula, diaprunum simplex, catholicum. Vrinas mouere negligunt, præterquam qui ligni indici aliorúmque sudorificorum decoctis curationem perficiunt. Omnes prouocandis sudoribus occupatissimi sunt, arbitrantes (quod verum est) eo modo vrinas auerti, & sanguinis serum ex quo vrina conficitur, cæterósque humores qui post ante-

Clyster.

Sudoribus vrinæ auertuntur.

dictas purgationes in corpore remanserunt, facillime in sudorificos vapores resolui: eam etiam quæ per poros fit excretionem mirabiliter augeri & perfici: interdum etiam pituitam per os & nares elici. quod ex accidenti contingit, nimirum incredibili argenti viui aut succedaneorũ penetratione. Præmissis ergo primis quinque remediorũ generibus, sexto loco nihil aliud quàm sudores procurant, paucis exceptis, qui quod alij sudoribus efficere conantur, id ipsi certis purgationibus tutò celeriter & iucundè perficiũt, de qua re suo loco dicetur. Sed sudorum eliciendorum receptos hodie modos omnes explicemus. Primus modus constat vnguentis & linimentis. Secundus, ceratis & emplastris. Tertius, loturis. Quartus, suffitibus, atque hi ferè omnes argẽtum viuum actu aut potentia recipiunt. Quintus, sudorificis decoctis præsertim decocto ligni indici: cuius loco successerũt iuniperus, chyna, sparta parilla, apios infinitáque alia. Sextus, liquorib⁹ destillatis. Septimus, postea scubiicietur curãdi modus, qui non sudoribus, sed purgantibus medicamentis, & quod vulgò dici solet, sanguinem mundãtibus perficitur.

Argẽtũ viuũ.

Sudorũ eliciẽdorũ modi.

Octauus, vltimo loco addetur, ex prædictis omnibus compositus.

Primus modus cum inunctionibus.

POnitur æger in loco calido, & totus ibi inungitur præter caput pectus & sub alis. Postea linteis calidis aut multa stuppa calida fasciatur, & in lecto sudare cogitur, iuxta pedes appositis calentibus lapidibus. Sunt qui ex ordeo calefactos sacculos inter coxas ponunt, & sub alis ac pedibus, quo vnguentum magis penetret, & sudor copiosior eliciatur. Inungi autem poterit octo diebus, si semel tantùm in die inunxeris. Nam bis in die inungere graue nimium est. quanquam hodie vix quinque dies conceduntur, & bis in die adhibetur inunctio. Tunc autē satis inunctum putamus cùm post multam sputi eductionem os malè affici, & vlcerari incipit. Tempus inunctioni idoneum est horis quinque aut quatuor ante prandium: & cùm post prandium adhibetur, horis quatuor post prandium, sic vt tribus horis post inunctionem non cœnet. Post cœnam inungere sanum non est. Interim si deficere videatur offeres panem in vino puro aut diluto. aut cùm intenditur calor

Quatuor partes non sunt vngēdæ.

Bis die inungi graue est.

Vnctionū meta.

Tempus vnctioni idoneū.

in posca madefactum. Nec omittenda erit alui deiectio, de qua diximus. Hoc remedio dolores extinguntur, pustulæ, tumores, & nodi discutiuntur, vlcera perpurgantur, exceptis quæ in ore post inunctionem relinquuntur, quæ finitis inunctionibus statim fouebis lacte, aut decocto hordei, adiectis diamoro & melle rosaceo. Cætera in secundo libro tractabimus. Vnguentorum autem, & linimentorum compositiones ex præsenti morbi & symptomatum natura, ægrotantis ætate, viribus, temperatura, & aëris constitutione deduces. Abundantibus enim tuberositatibus & nodis plus pinguedinum apponendum erit: abundantibus vlceribus & pustulis plus puluerum. In calidiore ægrotantis aut aëris temperatura immiscenda quæ temperent, vt butyri plus, & plus olei rosacei, minùs verò exsiccantium. In infantibus vincant axungiæ & butyrũ. In robustis tertia aut quarta vnguenti pars sit argentum viuum. In delicationibus verò vix sexta aut septima. In infantibus vix octaua. In genere constet vnguentum mollientibus, discutientibus, rarefacientibus, detergentibus, siccantibus, & argento viuo. quibus haud inutiliter

Argentũ viuum.

liter admiſcentur medicamenta purgantia ad trahendas per poros ad cutem ex imo corpore ſuperfluitates. In quo genere exellunt agaricus, hermodactyli, cyclamen, pyrethrum, ariſtolochia, ſcylla, citra noxam. Interdum etiam bdellio, ammoniaco, turbith, & gummis partim mollientibus, partim humores attrahentibus vti licebit. Sunt qui ratione contagionis theriacam & methridatium adiiciunt. Chirurgi vtuntur linimentis Ioannis de Vigo. Nos vnguenta in hunc modum parare ſolemus, Rec. axungiæ porcinæ recentis & mundatę lib. j. butyri recentis ſine ſale lib. ß. vnguenti de althea & martiati, theriacæ veteris an. vnc. ij. hermodactylorũ, turbit, ariſtolochiæ rotundæ, tartari rubri, zinziberis an. drach. ij. myrrhæ, aloës, ſtyracis liquidæ ladani an. vnc. ß. ſucci limonum & olei roſacei an. vnc. ij. olei chamemelini, lumbricorũ, & terebinthinæ, aquæ vitæ, & olei laurini an. vnc. j. lythargyri drach. xv. argẽti viui cum ſaliua extincti vnc. ix. ceræ quod ſatis fiat vnguentum molle. Adhibui ego aliquando inunctiones ſine argẽto viuo, in huius locum cortices radicis cucumeris agreſtis, & ellebori vtriuſque, euphor-

Ioan. de Vigo linimenta vnguentum.

bium, & similia substituendo: ad penetrandum verò petroleum, aquam vitæ, oleum de terebinthina, oleum de lateribus, aliásque calidorum medicamentorum destillationes quas haberē in promptu. Nec intelligere potui qua in re præstaret argentum viuum cuius contactu sæuissima symptomata relinquuntur, vt plus interdum periculi immineat à remedio quàm à morbo. In cæteris nihil est quod euidentē noxam inferre possit, cùm tamen medelam præstent longè faciliori negocio quàm argentum viuum. Sed quā difficilè sit ab imbutis semel opinionibus artifices diuellere conquerimur omnes non solùm in his, verumetiam in plurimis aliis quæ neque experientia, neque ratione nitūtur. Neque verò negare possumus mirabilem esse illius efficaciam, qui nonnullos viderimus hoc morbo laborantes sola plantarum pedum & volarum manuū inunctione, intacto reliquo corpore, copiosè desudasse. pituitā è cerebro deiecisse, & tandem sanos euasisse. Constabat autem inunctio multo argento viuo cum axungia porcina recente & oleo terebinthinę subacto, adiectis etiam hermodactilis, sulphure, succo bryoniæ,

Inunctio pedū ac manuū.

euphorbiæ,& aqua vitæ. Non est argẽti viui penetratio &vis quam impugnamus, sed pestilens malignitas morbo plerũque longè grauior, quam vnà cum curationis beneficio imprimit & relinquit. Nam & neruos offendit, cerebrum mirum in modum debilitat,& quod pessimum est, corpus subingrediens ossa perforat, & medullas inuadit,atque in ipsis tam acerbos dolores excitat vt plerunque mors præferatur. Quod admonitione dignum visum est, non ad penitus interdicendum eius vsum, sed ad reprimendam multorum temeritatẽ & lasciuiam, qui in omni ætate,in omni sexu, in omni temperatura, & aëris qualitate illo nec bene subacto nec correcto incõsideratissimè vtuntur. Sunt aliæ securiores & minùs molestæ curandi formæ,quæ si aliquando propter morbi simptomatúmque vehementiam parum efficaces videantur non repugnabo quin tunc ad mercurium cõfugias. Nam certũ est quosdam hoc vno remedio curari,cæteris ne quidem ad læuia simptomata conferentibus. Quod tamen adeò frequens non est,vt ad, vna crepida, calceãdos pedes omnes nos allicere debeat.

Argenti viui noxa.

Secundus modus cum ceratis & emplastris.

HIc modus non distat à priori nisi forma. Nam medicaméta hic mollientia, tergentia, siccantia, rarefacientia, discutientia esse debent, adiecto argento viuo, aut cinnabari, aut sublimato, quibus etiam vtiliter admiscentur quę humores ad cutem attrahũt. Ex his fiunt emplastra partium quibus admoueri debent forma. Quippe spina secundum longitudinem & latitudinem suam his vestiri debet, necnon brachia & tibiæ: vnde postulat res ipsa vt emplastra & cerata easdé longitudines & latitudines impleãt. Hoc modo tectum corpus externum aërem non admittat, propter erumpentes sudores, & sputum in ore coaceruatum. Renouentur autem emplastra tertio quoque die, decem dies curationi concedendo. Cessandum tunc cùm post multam sputi eductionem gingiuæ putrescere & vlcerari incipient. Emplastra autem in hunc modum componantur. Rec. emplastri diachylon magni emplastri de ranis an. vnc. viij. triapharmaci vnc. iiij. olei de lateribus, olei de spica, aquæ vitæ, theriacę,

Empla-
stra.

masticis, thuris, styracis liquidę, an. vnc. j. myrrhæ, aloës, ladani, ammoniaci, serapini, bdelij, galbani an. vnc. ß. rad. ireos, aristolochiarum, hermodactylorum, baccarum lauri, cyperi, an. drach. iij. argentũ viui cum succo limonũ extincti vnc. viij. cinnabaris vnc ij. sublimati vnc. ß. ceræ q. ß. misce & confice emplastrum. Si mauis ceratum, adde terebinthinam, & ceræ plusculum. Si sparadrapum (sic enim officinæ vocant emplastrum aut ceratum tenue in tela) liquefac omnia ad ignem, & cùm infrigidari cœperint misce argentum viuum, sublimatum, & cinnabarim, & moue lõgo tempore cum virga ferrea, postea intinctis, vt moris est, linteolis fac sparadrapum. In calidioribus corporum temperaturis aut temporibus, addes succos portulacæ & semperuiui, succũ granatorum vnguentum rosarum, & similia, exigua copia, ne ab emplastri aut cerati forma recedas. Vidi ergo multos qui recto huiusmodi emplastris corpore, toto curationis tempore interdiu per vrbem incedendo, motu sudores procurarũt induti vestibus pelliceis, superinducto, arctissimo cingulo: atque in hunc modum curati fuerunt. Errant itaque qui sudores

Sparadrapum quid.

hîc minimè expectandos censent sponte enim erumpunt domi se continẽtibus, & in aëre calido versantibus. Et reuera nisi sudor eruperit, non prodest remedium.

Tertius modus cum ablutionibus.

Ex quibus fiãt loturæ. Fiunt etiam loturæ ex siccantibus, rarefacientibus, discutientibus, & mercurio sublimato. quibus in loco calido ablui & perfricari solent omnes corporis partes, exceptis capite, pectore, stomacho & sub alis. Idque diebus decem semel, bis, ter in die, pro ægrotãtis viribus & cæteris circunstantiis. quo tempore è cubiculo exire non permittitur. Putrescũt hic etiam gingiuæ, & exulcerantur sicut in præcedentibus. quod curationis finem indicat. Exemplum hoc est. Rec. aquarũ *Curationis signa* iuæ arthriticæ maioranæ, saluiæ, absinthij, calamenti, fumariæ an. lib. ß. aquarũ fœniculi, scabiosæ, bethonicæ, rosmarini. Inul. an. vn. iiij. vini alb. optimi lib. j. mercurij sublimati vnc. iij. bulliãt simul igne claro in vase vitreo in modum aquæ hordei, & fiat inde lotura. In calidioribus temperaturis vini & aquarum calidarum loco, vtendũ omphacio, succis limonum & granatorum, aquis rosarum portulacæ

fumariæ plantaginis cichorij asparagi: mixtis tamẽ plurimis discutientibus. Post ablutionẽ & perfrictionem sudor in lecto procurandus, appositis iuxta pedes calentibus lapidibus. Neque enim quod moliuntur agunt, qui sudores non procurãt.

Quartus modus cum cinnabari.

QVarto loco de suffitu cinnabaris dicẽdum, acerbissimo certè remedio, quo prudentes & docti plerique medici ad totum corpus vti nunquam ausi sunt: ad certas autẽ partes vt crura & brachia, cum vel sphaceli adsunt, vel feræ gummositates, vel dolores, vel vlcera male morigerata pręstantissimũ arbitrati sunt. Cæterum eo abstinendum suadent: aut non nisi corporibus athleticis adhibendum. quãquam & delicatis profuisse scimus. fit autem in hunc modum. Æger in cubiculo clauso in sellula aut matella nudus collocatur, sic vt tanquam sub conopæo seu papilione totus pannis optimè circuntectus sit, vt ne os quidem extet. Tunc accensis carbonibus vritur cinnabaris cũ thure & cæteris correctiuis, quo suffitu, incalescit æger mirum in modum, ac sudat per horam integram ferè. Totiẽs

Corporibus athleticis cinnabaris adhibendum.

autem id tẽtandũ donec ſicuti in vnctionibus gingiuæ putreſcere, & os vlceribus affici, & animus deficere quodammodo cæperit. Inter ſudores ſi deficere videatur, permittes vt caput tantillum è pannis explicet, modo id ſępe non faciat: fit ſuffitus ſemel bis ter in die, pro anni ratione, ægrotantis viribus, & cæteris circunſtantiis. Ad euitandum animi deliquium impones priùs epithema cordi ex pauco vino aquis roſarũ, meliſſæ, violarũ, & puluere gemmarũ, & margaritarum confectum: & duos ouorũ vitellos paulò ante ſuffitum offeres. Corrigunt autem cinnabarim thus, myrrha, aloë, ſtyrax, bẽzoin, gummi iuniperi, ladanum, lauri, baccæ & folia, lignũ indicum, lignum aloës, xilobalſamum, angelica, dictamnus, tormentilla, gẽtiana, calamus aromaticus, cyperus: ſchænanthos, cariophilli, macis, crocus, & ſimilia. Addũtur nonnunquam ad cooperandum & valenter agendum auripigmentum, ſandaracha græcorum, pyrites, & euphorbium. Ex his paſtillos, quos trochiſcos vocant, & pulueres ſic conficimus. Rec. cinnabaris vnc.ij. thuris, ligni aloës, myrrhæ, ladani an. vnc. ß. baccarũ lauri vnc.j. aloës drach.iij. cũ ſtacte for-

Quibus viedum vt animi deliquium vitetur.

mentur trochisci, vel Rec. cinnab. vnc.ij. auripigmenti vnc.j. marchazitæ (sic pyriten vocant) argenteæ drach.iij. gummi iuniperi, thuris, ladani an. vnc. ß. fiat puluis pro robustioribus. Delicatioribus verò sic rectè consules. Rec. cinnabaris vnc.ij. benzoi, gummi iunip. ligni aloës an. vnc. ß. calami aromatici, radicis gentianæ, cyperi, styracis, calamitæ an. dr.ij. thuris, myrrhæ, aloës, dictamni an. drac. iij. cum theriaca formentur trochisci. Si nimiam caliditatem verearis addes semina acetosæ, scariolæ, endiuiæ: aut santalos, ebur, rosas, violas. vtuntur drachmæ duæ tres quatuor pro morbi magnitudine, ægrotātis viribus, & temperatura, &c.

Quintus modus cum ligno indico.

Ligni indici quę hactenus ad nos peruenere genera sic describit Manardus. Primum, quod guaiacum vocat, dēsius, grauius, crassius, interiore parte nigricantius, exteriore subpallida, & veluti lineis quibusdā ad fuscum inclinantibus, in æquè distantes per longum intersecta. Alterius ad albius magis vergit exterior pars, neque est tam manifestis lineis distincta: nigrum tamen & ipsum colorem intrinsecus ostendit, sed minore orbe quā

Ligni indici tria genera secūdum Manardum.

præcedens. Tertium, quod sanctum præcipuè vocatur, tã intrinsec⁹ quàm extrinsecus albicãtem colorem præ se fert, exilibúsq; valdè lineis eius distinguitur longitudo. Hæc ille epist. lib. xvij. vbi primũ imbecillius agnoscit, & ebenum indicum esse putat: nec ab eo secundum nisi fortè natalibus differre. Tertium autem valẽtius esse ostendit, quoniam acrius & odoratius. Præterea decoctum huius aspectu turpius, & gustu insuauius, & stomacho minùs gratũ: vt ea de causa consueuerit per dies circiter decẽ primo illo ceu faciliore vti, vt natura assuefacta, sanctum, quod potentius est, melius ferat. Si tu tamen officinas & mercatores adieris, tam confusas inuenies apud eos hasce differentias, vt quid sit lignum sanctum, quid guaiacum monstrantibus illis discernere nequeas. Primum enim genus plerique pro ligno sancto, & tertium pro guaiaco ostentant. In quem errorem etiam incidisse constat scriptores quamplurimos. Sunt enim qui quod ipsi lignum sanctum vocant, fuscum & flauum eligendũ censent: quos colores primo & secũdo generi attribuit Manardus. Sunt qui guaiacum albicantem describunt, & cæteris præfe-

Apud mercatores confusæ sunt differentiæ ligni indici.

runt. Sed posthabita nomen claturarum ambiguitate, de rebus ipsis sic statuamus. Tria illa genera pudendagræ conuenire. præstare acrius & odoratius. Minus acre & minus odoratū minùs calfacere, nec adeò siccare. Præstātius illud calidis siccísque temperaturis minùs cōuenire, cæteris magis prodesse. Sed præparationis modus quis sit nunc dicamus. Lima ex ligno, & cortice eius (neque enim vt olim abiiciendus cortex) scobes fiunt: non incisione, neque contusione. Scobis lib. j. 24. horis infunditur in octo, decē vel duodecim libris aquæ in olla sexdecim libr. capaci. fit postea decoctio lento ac claro igne nunc ad tertiæ, nunc ad mediæ part. consumptionem, collecta diligenter spuma, & ad vsus suos reseruata. Colatur hoc decoctum, & hoc est quod primum vocant, quo in procurandis mouendísque sudoribus, & delendo morbo potissimum vtimur. Longiore autem decoctione, & pauciori aqua magis siccans calefaciens attenuans redditur: sic vt copiosiore aqua, & breuiori decoctione biliosis siccísque temperaturis magis conueniat. Secundarium decoctum sic fit. In relictas ex primo decocto sco-

Modus præparationis quis sit.

Secūdariū decoctū quomodo fiat.

bes proiice sicut ante fecisti octo, decem, vel duodecim libras aquæ, & coque ad quartæ partis consumptionem. Hoc percolato in prandio & cœna primis temporibus vtebantur vini loco. atque eo adhuc in calidis temperaturis & temporibus vtimur nunc simplici, nunc cum saccharo, aut cum melle communi aut rosaceo confecto. Sunt tamen qui huius loco decoctum parant ex nouo & crudo ligno, & non ex eo qui primæ decoctioni seruiuit. Sumūt autē ligni in crassiuscu-las partes dissecti partem vnam, & aquæ vigecuplam, mundóque vase, vehementioréque sed claro igne coquunt donec quarta pars aquæ tantum consumpta sit. Hodie & primum & secundum cum vino fit, & plurimum confert, præterquam in biliosis & calidis temperaturis ætatibus & tēporibus in quibus præstat aqua. Qui consuetudini condonant aliquid propinant vtrunque decoctū ex aqua paratum cum tertia quarta aut quinta parte vini in quo diu super prunas steterint ramenta lini absque ebullitione. Sed primi siue cum vino siue cū aqua fiat, spuma diligēter colligēda est. Hac enim illinēda sunt vlcera, callositates, pustulæ, & loca dolen-

Primum et secundum decoctum fiunt hodie cum vino.

tia. Spumæ loco vtũtur aliqui ramẽtis ligni in vino antiquo & oleo veteri coctis. Præstat oleum ex ligno ipso, vel ex baccis lauri aut iuniperi per chimistarũ descensorium extractum. Sed redeamus ad decocta. Ægro in loco calido qui nec transpiret constituto, datur mane in lecto primarij illius decocti lib. ß. aut vnc. viij. à quo potu quiescit adhuc horas tres expectans sudorẽ, nec ante horas quinque exhibetur prandium. A prãdio horis sex datur rursus eiusdẽ decocti lib. ß. aut paulò minùs, & post horas quatuor permittitur cœna. Idque triginta diebus faciendum plerunq; etiam quadraginta. Nõnullis tamẽ satis sunt viginti dies, præsertim quãdo bis in die sumitur decoctum. Sũt enim qui hoc ferre non possunt, quibus vix satisfaciũt triginta. Est præterea morbi magnitudo, symptomatũ vehementia, & humida frigidaque corporis aut temporis constitutio, quæ sæpe cum omni diligentia plures dies requirunt. Interim si vẽter penitus retinetur, singulo aut tertio quóque die infundendus erit clyster ex mulsa oleo & cassia: aut ex eiusdem ligni decocto, & cassia, cum melle rosato, & oleo aliquo conueniente. Præterea singula

Quibus in locis & quãdo decoctum ægro datur.

Morbi magnitudo qualis sit.

Singulis septimanis purgādi humores.

quaque ſeptimana purgādi erunt humores cōtinuo vſu medicamenti attenuātis, ſiccantis, tergētis (ligni inquam) mori, qui propter lentorē ac ingenitam craſſitiē in ſudores conuerti non potuerunt. His autem educendis ſufficient caſſia fiſtula, catholicum, diaprunū ſimplex, manna, polipodiū, ſena, adiectis interdū rhabarbari aut agarici portiūculis. Valētioribus vtēdum nō eſt, ne ſudores auertas, aut naturā in varia diſtrahas, eámq; debilites. Sūt qui die purgationis ſudores à prādio mouere recuſant, niſi robuſtus ſit æger. Qui ſemel tantū in die decoctū bibunt, ſolent à prandio è cubiculo exire, & aperto aëri ſe committere, magno errore & periculi pleno. Tutius eſt nō exire donec curatio completa fuerit. Quod ad victū attinet,

Modus viuendi.

primis temporibus tātum cibi exhibebatur quo vix ſeruaretur vita, panis inquam vnciæ tres, vel ad ſummū quatuor, & carnis pullinæ aſſæ vnciæ duę, vuarū paſſarū vncia vna. vino prorſus abſtinebant. cuius loco vtebātur ſecundario ligni decocto aut ſimplici, aut cū ſaccharo vel melle confecto. Nunc cibos benè conficientibus paulò maior conceditur carnium & panis quantitas: longè minor tamen

quam cum salubriter degerent. vinũ permittitur album tenue aquosum. Interdũ etiam cum vino lignum ipsum decoquitur. Interdum infunditur tantũ nõ etiam decoquitur: sed in modum nectarei vini quod Hippocraticum appellant, per pannum guttatim percolatur infusio, adiecta nonnunquam suauitatis gratia cinnamomi portiũcula. Plerunque etiam aqua decoctionis ligni propinatur in prandio, & cœna cum tertia, quarta aut quinta parte vini. Sed vini vsum in calidis temperaturis nõ probamus. Huius loco in cibatu vti licebit dilutiore aqua mulsa adiecto, si lubet, exiguo cinnamomo: aut hydrosaccharo, vel oximelite: aut syrupo acetoso cum aqua cocta: aut secũdario ligni decocto vel simplici vel saccarato. Totum autem hoc remedij genus, si cum cæteris conferas inuenies promptum, facile, minimum laboriosum, noxa carẽs, robustioribus & delicatioribus satisfaciẽs, cõtagionis seminaria absumens, efficacissimum etiam tam in recidiuis & in veteri, quàm nouo morbo Hispanico. Decoctũ autem illud primum nunc cum solo ligno, nunc (quicquid dicat Antonius Gallus) adiectis hermodactylis agarico cy-

Vini vsus in calidis temperaturis non probatur.

clamino, aristolochia, rhapontico, polipodio, sena, thymo, epithymo, & similibus parabis. non tam purgationis gratia, quã attractionis humoris qui in sudores conuerti debet. Neq; enim in sudores resolui poterunt humores, qui in remotis partibus & profundo corporis hærent: nisi medicamento auellantur, atque ad conuenientia loca trahantur. Auulsi autem attractíque attenuãtur vi ligni, aut toti aut tenuior eorũ pars. Crassior verò & sudoribus inepta septimo quóque die purgante medicamento (vt diximus) educẽda relinquitur. Sed proportionis exacta hîc habẽda est ratio, ne plus, quam ad trahẽdos qui in sudorem abeant humores, opus est purgantium medicamẽtorum admisceatur, ne forte natura maiore attracti humoris copia grauata, posthabitis sudoribus tota se ad vẽtris deiectionem conferat. Sæpè etiam addenda sunt, quæ partes magis affectas respiciant, vt ad eas medicamẽti vis promptiùs perducatur. Sic affecto capite stæcadem & bethonicã adiicimus: affecto stomacho, mentam, & galangam: patiẽtibus articulis iuam arthriticam, hermodactylos, hypericum, saluiam: & sic in cæteris. Pueri & adolescentuli

In sudores non posse resolui humores si in profũdo corporis hærẽt.

Puerorũ et adolescentulorum curatio.

tuli eadem fermè ratione curantur, nisi quod adeo efficacia remedia non requirunt. Tutò illis propinare poteris secundarium decoctum, aut aliud quod huius loco ex crudo ligno præparari diximus: aut aquam quæ ex primo decocto per cucurbitam vitream imposito capitello lento igne destillauerit. Effluet autem aqua purissima, iuuātissima & bibi non ingrata: sed quæ ætate florētibus & prouectioribus non satisfaciat. Dantur vnciæ tres, quatuor, quinque, sex, pro varia ætate, temperatura, natura morbi, & cæteris circunstantiis.

Quæ successerunt ligno Indico.

SVbstituta sunt ligno Indico quædam exotica auri pretiū; æquātia, quædam etiam familiaria ac domestica exoticis quidem minùs celebria, sed vt facilitate, sic facultatibus præstantiora: Huius generis sunt ramenta iuniperi, fraxini, citri, cupressi, thedæ, terebinthi, cedri, ebeni: & radices personatiæ, tormentillæ, ireos, hippolapathi, rhapontici veri, inulæ, aristolochiarum, centaurij vtriusque scordij, dictamni, asari, asphode-

li, gentianæ, costi, galangæ, cãnarum nostratium cum calamo aromatico & schœnantho Adde sambuci & capparum cortices, cassiam ligneam, chamædryn, spicam nostram, absinthium, Aiugam, pulegium serpillum calamentum, nepetã, hypericũ, thymum, hissopum, cardiũ benedictum, gariofilatã, morsum diaboli, &c. Exotica insignibus titulis ac strenuis cõmendationibus nobilitata, sunt radix cynarum, Sarza parilia quæ & sparta. Quibus accessit Apij radix, quæ quod carissimò veneat exotica credita est, cum tamen in multis Galliæ locis abundet. Singula quomodo præparari ac ministrari debeant nunc dicamus, sumpto à radice cynarum exordio.

De chyna.

Radix cynarum quam chynam & Achynnam vocãt, hispanorum nauigationibus ex India, aut locis nuper reperti orbis aduehitur sicca & arida, fũgosa substantia, colore instar galãgæ aut acori vulgaris rubescente, corrupto denique insipidóque illi acoro haud dissimilis si molem demas & duritiem. Seligitur vt cæteræ radices, pondere præstans, & quã-

Chyna ex India aduehitur.

tum aridissima sua fert natura succulẽta, minúsque teredine, carie ac putredine infecta. Inciditur per transuersum in assulas tenues, rotundas, quarum vncia vna post 24. horarum infusionem decoquitur lento igne, in libris duodecim aquæ ad tertiæ partis consumptionem in vase terreo, librarum sexdecim capaci. Alij decoquũt vnciam vnam in ducentis aquæ vnciis, donec fermè ad 56. aut 70. redeant, intecto semper vase ne fumus exeat. Inde ab igne detractum vas proximũ igni cõstituitur, circumimpositis pannis ne vel quid fumi exire possit, vel repente refrigerari. Datur decocti adhuc calẽtis libra vna in aurora bibenda, quibusdam etiam vnciæ. 14. reliquum seruatur loco vini potandum. fit decoctum diebus singulis eodem modo. asseruatũ enim acessit. Duas vel tres horas sudorem in lecto expectare oportet: deterso mox sudore surgere permittitur, modo aperto aëri non exponatur. quod post dies septem conceditur. Purgãs decoctũ reddit dimidia radicis apij drachma. Dãtur curationi dies 24. sic vt 24. vnciis radicis tota curatio compleatur. A quo tempore prædictæ assulæ quæ decoctionẽ sustinuerunt insolatæ ac

desiccatæ conciduntur in minutiora frustra, decoquuntúrq; vnciæ duæ in libris duodecim aquæ ad tertiæ partis consumptionē. propinabitur percolata hæc aqua octo decémve diebus sequentibus, negotia omnia liberè agēte ægro. Extrinsecus fouentur vlcera & partes affectæ lintheis in primo decocto infusis, Prohibetur venus, quæque hanc sollicitāt externa omnia: quòd remediū hoc venerem mirum in modum stimulet. Abstinet ęger à lacte, caseo, aceto, piscibus, cibísque omnibus acribus salsis acutis acidis amaris, vtitur pane ac pulli carne elixata bis in die, à cibo autem melle, cydoniato, dulciariísque omnibus quæ sub conseruatū nomine in officinis asseruantur. Post 34. diem pulli assi conceduntur. vino nisi vires deiiciantur, in totum abstinendum. Tenuis quantum fieri poterit victus adhibendus. Purgandum & in medio curationis & in fine. Primis septem diebus mouebūtur dolores in partibus magis affectis, intēdentúrque vsque ad quintū decimum. à quo tempore deficientibus sensim doloribus perficietur curatio. Impingat ea vtentes hæc radix, ac sudores plusquam credi possit prouocat & exsiccat. Italis medicis

Ægris abstinēdum ab omnibus cibis acribus, salsis acutis, acidis amaris.

Radix Cynarū impinguat ac sudores prouocat & exsiccat.

præstātiſſima: veſſalio inſipida, odoris expers, in tenuādis ſiccādíſque corporibus, & ſudoribus prouocādis ligno Indico inferior. Incredibilis efficaciæ argumētum proferunt, quòd primò, vel ſepties, vel etiam pluſquam decies cocta vim prebet ægregij medicamenti: & aquam vt pulli ius efficit, & per exigua eius portio in magna quantitate aquæ incocta (incoquitur enim illius vncia vna in ducentis fere vnciis aquæ) vim ſuam efficaciter impartitur.

De ſparta parilla.

SParta parilla quæ & Sarza parilia, luem Hiſpanicam plus iuuare creditur quam Cyna, aut lignum ſanctū. Indica radix eſt, tenuis, ac ſubcrocei coloris ad cinereum vergentis, glycyrizæ tenuiſſimæ non abſimilis, rugoſa cum ſicca eſt, guſtu ſubamaro, odore vix percepibili. Inciditur in tenues aſſulas quarū vncia vna in libris duabus aquę decoquitur ad tertij aut medij partis conſumptionē redditque turbulentam aquam ad vini rubri colorem accedentem, cum odore quaſi graui, & non leui amaritudine. Dātur vnciæ ſex in ſingulos dies benè mane:

Sparta parilla plus iuuat lucē Hiſpanicam quā cyna.

tantūdem horis ante cœnam tribus: tum cum cibo quātum volet. Cōtegitur pannis ab assumpto potu æger, ac copiosè sudat. Adhibetur hoc cum tenui victu (qualē in ligno indico descripsimus) per quadraginta dies, decimo quoque die crassiores humores purgante medicamēto sequestrando, vlcera ac loca dolētia fouentur linteis in dicta aqua madefactis. Quod autem post sudorem liberum ad solita exercitia & necessaria negocia exitū permittunt, non probo.

Apij radicē insipidam esse atque inodoratam.

De apio.

APij radix insipida satis, atq; inodora, vno aut altero curationis euentu tam celebris facta est, vt sepositis iam rebus indicis absolutissimi remedij munia omnia cōplere posse existimetur: humores inquam attenuare & tergere validè, sudores efficaciter mouere, siccare, & hispanicam hanc hydram nulla (si cum cæteris conferas) molestia ad perfectā curationē ducere. Quod facilè sibi persuaderunt qui aut rerum nouitate admirabiles videri volūt, aut opulēta radicis mercatura diuites euadere cupiunt. Nos eam neq; respuimus, neq; (experimento edo-

Apij radix sudores mouet efficaciter attenuat atque terget humores.

cti) tanti facimus, vt dignam existimemus quæ cum solo ligno Indico facultatibus omnibus conferri possit. Id, præter experientiam, satis declarant quæ gustu in vtroque deprehenduntur qualitates. Præparationis modus ab iis quæ in præcedentibus capitibus tradita sunt non variat. Scinditur enim radix in tenues assulas quæ postquam diem integrum in aqua maduerint decoquūtur ac ministrā-tur, eadem omnino forma qua sparta parilla. Nec proportionis aquæ ad assulas, aut modi decoquendi, aut vtendi diuersa est ratio. victus idem ferè qui in Indico præscribitur. Cetera curationi per spartam correspondent.

Apij victus idē ferè qui in ligno Indico præscribitur.

De Iunipero, nostratibusque remediis.

ELiciuntur ramenta ex Iunipero sicut ex ligno Indico. Infunditur libra vna in octo, decem, vel duodecim libris aquæ & postea decoquitur ad tertiæ aut mediæ partis consumptionem, collecta diligenter spuma, & ad fouendas tuberositates, discutiendos dolores, persanandáque vlcera reseruata. Propinatur primi decocti lib. ß. aut vnc. viij. in lecto mane, & ante

Ad quid seruiant ramenta iuniperi.

cœnã, sicut in ligno Indico diximus: seruaturque eadem victus ratio. Idem effecerunt, aliqui cum ramentis fraxini, citri, cupressi, familiarumque aliorum: nulla à præscripto ligni Indici mutata forma. Nec est quod te deterreat Dioscorides qui ramenta iuniperi & fraxini lethalia esse tradidit. Tutò enim ea in decoctis sumi compertum est. Radices personatię, gẽtianę, asari, tormentillæ, cannarum nostratium, cæterasque, præparabis ac ministrabis, sicut spartam, & apium. Chamędrin, spicam nostram, aiugam, serpillum, herbasque alias ad institutum nostrum facientes, virides siccásve concides, & infundes in quantitate aquæ quæ perficiendę decoctioni conuenire videbitur. Cætera omnia ex præscripto Indici petes.

Dioscorides ramẽta iuniperi & fraxini lethalia esse tradidit.

Sextus modus cum liqueribus destillatis.

AQuas philosophicas (sic enim stillatitios liquores vocant) introduxerunt chymistę, siccãtia, tergentia, attenuantia, rarefacientia medicamenta per cucurbitam vitream imposito capitello destillantes, non igne balnei mariæ, vt pote tepidiore, & ad eliciendos interiores succos

chymistæ introduxisse aquas philosophicas.

parum efficaci: sed prunarum ardore, cinerum & arenæ circumpositione vehementiore reddito. Quo artificio igneas plane medicamenti facultates elici necesse est, calidis temperaturis & ætate florentibus valde perniciosas, Huiusmodi est hoc. Rec. decoctionis ligni Indici lib. iiij. vini albi purissimi lib. j. trociscorum de vipera vnc. j. ramentorum ligni sancti & corticis eiusdem, an. vnc. ij. calami aromatici, radicis asari, hermodactylorum polipodij agarici cinnamomi an. drach. vj. trita madeant in vino & decocto per diem integrum: postea destillĕtur, adaucto, vt decet, paulatim igne. Colliges separatim tres liquores vt calore sic viribus differentes. Primus enim aqueus est, vltimus igneus, medius extremorum particeps. Dentur permixtorum æquè omnium vnc. iiij. singulis diebus quinque horis ante prandium, & expectetur sudor in lecto. post prandium satis erunt vnc. iij. sex horis à cibo, sic vt ante quatuor horas non cœnet. vlcera, pustulas, tumores, & loca dolentia sanabis inũcto secundo aut tertio liquore, hunc cum primo contemperando vbi caliditatis excessus metum, fecerit. victus sit boni suc-

Vis aquarum distilatarũ nimis, ignea & ideo improbari debet.

Tres liquores vt calore sic viribus differentes.

ci, facilis concoctionis, minimè excremẽtitius, tenuis, potius, quam plenus ; minus tamen quam in cæteris tenuis. finis curationis in trigesimo die constituitur : non neglectis decimo quoque die purgationibus. Empyrici iuxta doctrinam Raymundi Lullij quinta essentia ex vino aut aliis rebus extracta vtuntur, dissoluentes in ea ramenta ligni Indici, radicem apij, calamum aromaticum, scobem iuniperi, cæteráque sudorifica. Destillantur etiam decocta ligni Indici & similia, & laborãtibus infantibus & adolescentulis propinatur aqua loco primarij decocti: prouectioribus etiam loco secundarij vtiliter concedi potest. Sunt qui affirmãt cinnamomum cum decocto ligni Indici destillatum, in ducendis vrinis & mouendis sudoribus nulli remedio cedere.

Quomodo quinta essentia extrahatur.

Cinnamomum cum decocto ligni Indici destillatũ in ducẽdis vrinis plurimũ valere.

Septimus curandi modus cum purgationibus.

QVod alij sudoribus moliuntur, id purgationibus præstare conantur qui pl⁹ humorum vna purgatione excerni vident, quam multis desudationibus. Purgationes autem hîc intelligimus eas quæ medicamẽtis per aluũ fiunt euacua-

tiones. Cuiusmodi infinitas propemodum formas apud eos qui hanc materiam tractandam susceperunt comperies. sunt enim qui syrupos & decocta præparant, sunt qui diuersi generis bolos, potiones, catapotia concinnãt, sunt qui varias cum vino & aquis mixturas conficiunt. Quibus partim ratione, partim experientia per nos comprobatis, inuenimus tandem, multa in illis aut superabundare, aut penitus desiderari. Quæ causa fuit, vt nos aliquid nostro marte efficere tantauerimus, quod amicis commodo, & vsui esse posset. Inter cætera autem suauissimum, ac præstantissimum apozema hoc illis præscripsimus. Rec. rad. polipodij & corticis ligni Indici. an. vnc. j. passularum purgatarum & tamar. Indorum. an. drachm. x prunorum Damascenorum paria. vij. corticis mediani sambuci, radicis asari, glycyrrhizę. an. vnc. ß. seminis carthami cõtusi, senæ, thymi, epithymi. an. drach. vj. hermodactylorũ drach. iij. zingiberis drach. j. ß. florum stęcadis & genestę. an. P. j. fiat decoctio in aquę iusta quãtitate ad tertiæ partis consumptionem. Postea adde succi fumariæ, succi rosarum recentium, & succi

radicis ireos omnium depuratorum. an. vnc. iij. cinnamomi vnc. ß. caryophyllorum drach. j. ß. bulliant adhuc leuiter hęc omnia simul, & tandem addito saccharo fiat apozema pro tribus aut quatuor diebus. Deficientibus rosarum & fumariæ succis, substituo succos buglossæ & boraginis: interdum etiam syrupos de fumoterræ, de epithimo, de cichorio cum rhabarbaro, rosatum solutiuum, & similes.

Vincente bile quid addendum.

Vincente bile addo rhabarbarum, & myrobalanos citrinos. Excedente pituita, & in articulorum doloribus agaricum, pyrethrum turbith, & aristolochias. Apparentibus crassæ atque atrę bilis signis, decoquo leuiter ellebori nigri drachmas duas. vtor etiam aliquando succis radicis ebuli. bryoniæ, cyclamini, centaurij, sambuci, asphodeli, lupuli. Sunt qui myrobalanos omnes adiiciunt. quorum tamen adstrictionem vt purgatrici iūctam non probo, nisi exigua quantitate cæteris commisceantur. Alij ziziphas, myxa, caricas, eupatorium Mesuæ, agrimoniam officinarum, capillares herbas, scabiosam, hordeum, cæteráque apparantia magis quàm expurgantia confundunt. quibus (nisi quid ea certa causa postulet) absti-

Excedēte pituita quibus vtendū.

Apparentibus crassæ atque atræ bilis signis quæ decoquēda.

nere soleo: ne forte (quod in varia mixtura accidere solet) remittant vires aliorum medicamentorum. Nam reuera quicquid miscueris quod aut humores non purget, vel medicamenta non ducat aut corrigat, superfluum id omne atque inutile censendum est. Neque enim hîc quid aliud procuramus, quam sanguinem à putridis, salsis, serosis, & adustis humoribus vindicare, & superfluitates è toto corpore expellere. Sed redeamus ad rem. Damus apozema singula hebdomada tribus aut quatuor diebus continuis in aurora: sic vt quatuor aut quinque hebdomadis tota curatio cõpleatur. Cæteris diebus quibus id non bibitur, vtitur æger remediis ad octauam intentionem facientibus, nimirum infectionis ac contagionis seminaria consumentibus. De quibus dicemus suo loco. Præterea nihil agitur: seruatur tantum victus ratio in principio libri tradita. Post prandium exire, & per vrbem incedere permittitur: modo tranquillus & serenus sit aer. Diebus quibus sola remedia octauæ intentionis vsurpantur exire licebit, etiam matutino tempore. Quo pacto non solùm blanda ac facilis, verumetiam secura &

Nec miscendum quod aut humores non purget vel medicamenta non ducat aut corrigat.

Quot hebdomadibus curatio cõpleatur.

Quando incedere permittitur.

Quando incedere liceat.

ſecreta promittitur curatio. Hoc remedio neque gingiuę putreſcũt, neque os exulceratur. Lienteriæ tamen aut dyſenteriæ initium quoddam aliquando ſuperuenit, quandò immodicè purgatur æger. Quibus malis ſic occurrimus. Apparentibus inteſtinorum ramentis, damus tribus diebus continuis lactis chalybati, aut extinctione ignitorum lapillorum cocti cyathum vnum, quatuor horis ante cibum: & octo diebus interdicimus ei purgante omni medicamento: ventrem etiam extrinſecus fouemus oleo ex glandibus expreſſo, aut coroneorum vel myrtino. Aliquãdo iniicimus clyſterem adſtringentem ex libra vna aquæ chalybatæ, & ſemilibra olei cotoneorum vel myrtini: vel ſolo lacte chalibato. Quæ remedia in lienteria etiam præſtantiſſima eſſe conſtat. Quibus autem lac minus conuenire videtur, cæterorum adſtringentium & glutinantiũ vſum adhibeo. his nullo negocio curãtur, qui ex immodicis purgationibus in dictas affectiones incidũt: ſic vt trãſactis octo diebus eodem apozemate tutò vti poſſint. Hoc remedio conſumuntur dolores, vlcera perſanantur, reſoluuntur citra iñunctionem puſtulæ, gũmoſitates, nodi:

Apparentibus inteſtinorum ramentis quid dari debeat

Remedia in lienteria præſtantiſſima.

Quibus remediis conſumuntur dolores & vlcera ſanãtur.

sic vt neq; topycis remediis, neq; chyrurgię locus vllus relinquatur. Noui ego qui idē effecerunt decocto buglossæ triginta diebus vtentes, & septimo quoque die superfluitates expurgātes, cū cassia, nūc sola, nūc adiecta confectione hamech. Alij absynthij & mercurialis decocto vsi sunt. Alij bis aut ter in hebdomada purgationibus vtentes tricesimo die sanitati restituti sunt. Illas autem nūc cum cassia, māna, diapruno, catholico, sena, epithimo adhibebāt: nūc cum catapotiis ex aloë & speciebus aromaticis: aut ex aloë, rhabarbaro, agarico, lapide lazuli, elaterio, cum vino infusionis vel decoctionis epithimi, aut ellebori nigri globulos, conformantes. Nos hoc electario aliquando vsi sumus. Rec. caricarum pinguium decorticatarum, seminis carthami mundati, hermodactylorum, zinziberis, agarici, seminum nigellę & cassutę. an. drach. ij. senæ & epithimi. an. drach. iij. bdellij, rhab. turbit electi, lapidis lazuli abluti & pręparati, myrobalanorum citrinarum, & indarum. an. drach. j. tartari rubri drach. j. ß. diacrydij masticis. seminis anisi, cinnamomi. an. drach. ß. sirupi rosati solutiui aut mellis rosati q. s. misce & cōfice ele-

ctarium liquidum. Sunt qui pilulas mercuriales extollunt dantque vnam ciceris magnitudine semel aut bis in hebdomada. Sed crudeliter purgant,& nisi caueris interimunt. Eas autem sic præparant. Maceratur puluis mercurialis, quem præcipitatum vocant, in aquis cichorij, buglossi, scabiosæ. post. 24. horas posito super prunas vase in vaporem resoluuntur aquæ,& siccus relinquitur puluis. Miscetur hîc cum speciebus aromatici rosati,& diamargaritionis frigidi & cum theriaca aut mithridatio formantur pilulæ magnitudine cicerum. Sunt qui verentur pulverem & purum hydrargyrum cum sale, aceto & saliua extinctum, tanquam minùs noxium præferunt. Atque hi, corrigendę malignitatis gratia, saluiã ipsam, atque aromatica adiiciunt: & ne venenum hoc seuerius in corpus agat, venenum aliud adiungũt, nempe diacrydion, vt cum eo pugnet, pugnandóque commoriantur aut saltem mitescant venenosæ facultates. exemplo aconiti, cuius ea esse natura creditur vt hominem occidat nisi inuenerit quod in homine perimat, cum eo solo colluctatur velut pari intus inuento, sola hæc pugna est cum vene-

Quomodo pilulæ mercuriales præparãtur.

num

num in visceribus repererit. mirumque (inquit Plinius) exitialia per se ambo cũ fuerint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo supersit & cum fata volunt bina venena iuuant, inquit Ausonius in epigrammate vxoris quæ virũ argento viuo & aconito interimere volens, pugnãtibus inter se venenis, & per secessum labẽtibus seruauit. Quo exemplo moueri possimus, vt credamus argenti viui lethiferam vim commori, aut saltem mitigari, cum venenum aliud cum quo pugnet in visceribus repererit: vt optima ratione facere videantur, qui diacrydion, aut aliud quod pari natura cum illo certet, permiscent & adiungunt. Hoc remedium in veteri pudendagra, in feris gummositatibus & sordidis vlceribus, & elephantico ferè habitu nonnullis mirabiliter profuisse scio. Et ne quis nouũ esse putet argẽtum viuum ingerere, audiat Paulum Æginetam lib. vij. referentem colicis & ileosis propinari cõbustum, & in cinerem redactum. Quod ex recentioribus & barbaris scriptoribus, plurimos fecisse cõstat. Rustici Cathaputiæ carthami & nigellæ grana in dolium vini coniiciunt, & huius vini potu aluum subducũt. Quidã mitiùs

Ex autoritate Plinij & Ausonij duo in homine venena cõmoriri.

Remediũ veteri pudẽdagræ vtilißimum.

Paulus Ægineta.

agunt folia cataputię decoquentes, & decocto viginti aut triginta diebus vtentes. Quo remedio non rusticos solũ, sed delicatas etiã inualidasque mulierculas persanatas fuisse scio, nullo alio neque interno, neq; locali adhibitio pręsidio. Laudatur atiam in his casibus vinum helleborite in hũc modum confectũ. Mense martio putatis vitibus fiant scrobes satis profundæ iuxta vitiũ radices. Impleantur elleboro viridi multo, cõtuso, admixta terra Ex eo vitis alimentũ sumens producet vuas vim purgatricem habentes. Nec vinũ vllo modo verendum: purgabit enim sine molestia, & proderit. Licebit etiã polipodium, senam, epithimum, asarũ, hermodactylum, carthamum, agaricũ, cum aromaticis per vindemiam in cadũ musto plenum iniicere, vt vna cum musto decoctionẽ patiantur, sed decimo quoque die permutanda erunt, donec mustum bullire cessauerit. Sunt qui lignum Indicum, polipodium, senã, hermodactylum, in vino infundunt, dispertitáque in tres portiones quantitate, partes duas crudas doliolo recondunt, tertiam decoquunt, feruentemque in doliolum coniiciunt, obturatoque osculo totam substantiam feruere

sinunt. Chymistæ in aquam vitæ crebris destillationibus depuratam medicamenta purgantia infundunt,& expresso succo, additoque saccharo humores eliciunt. Destillant etiam purgantes aquas plurimas,quas ob igneā caliditatē non probo.

Quæ chymistæ infundant ad eliciēdos humores.

Octauus modus ex prædictis omnib⁹ cōpositus.

PRimis tribus diebus adhibentur inūctiones: octo sequētibus decocta sudorifica : repetuntur postea inunctiones, cuius loco plerunque ministratur suffitus ex cinnabari. Tribus indè aut quatuor diebus propinantur apozemata solutiua, quibus totidem diebus aut paulò pluribus sudores potionibus eliciuntur. Repetuntur deinceps apozemata,succedūt decocta sudorifica vt curationem perficiāt. Quibus si morbus nondū perfectè sanatus fuerit,repetes inūctiones,subiicies apozemata,ac decocta sudorifica prędicto ordine. Inunctionum loco emplastra cerata,loturas,suffitus,ex cinnabari substituere licebit. victus adhibetur moderatè tenuis, attenuans , abstergens, siccans,vt supra dictum est.In hunc modum tractare conuenit eos quos neque sola inūctio, neque sudorem prolicientes aquæ neque suffitus simplex persanare potuit.

Quando inūctiones adhiberi debent.

Emplastra loco inunctionum licet substituere.

Quæ remedia quibus personis ætatibus & temperaturis magis minusve conueniant.

Medicationes seruorum ministrorum & famulorum qui negotia expedire volunt.

QVicunque diu ab officio abesse non possunt, vt serui, ministri, famuli: quique locum sæpè mutare coguntur: qui cito quæ tractant negocia expedire volunt, longas medicationes non ferũt. Hos itaque posthabitis decoctis sudorificis, & longis purgationibus, vnguentis, ceratis emplastris, loturis, cinnabaris suffitu intra paucos dies curare conueniet. Quos verò aut superiorum, aut amicorũ & vulgi fama tangit, non tam celeriter quam secretè curabis. Idque septimi modi purgationibus: aut ceratis & emplastris, quorũ tamẽ nidore mouetur morbi suspitio. Qui mollibus & delicatis corporibus præditi sunt, decoctis sudorificis aut apozemate nostro solutiuo curari debent, fortes destillationes non admittunt. Inunctiones, emplastra, loturas, non facilè tolerant: suffitum ex cinnabari multò minus. Pueri suffitum sine noxa non ferunt: cætera blandiùs admota non auersantur. His ergo vnguẽta paranda sunt ex multo butyro recenti, pluribus axungiis quàm in aliis, paucioribus siccãtibus, & pauco au-

Delicati decoctis sudorificis aut apozemate solutiuo curari debent.

nullo si fieri potest, argento viuo. Primo decocto apozematis nostri facilè & sine molestia purgantur. Primum voco quod succos non recipit. Decocta sudorifica facile tolerãt, præsertim destillata per cucurbitã vitream imposito capitello. Aqua enim indè resultat & salutaris & bibi non ingrata. quod in pueris imprimis desideratur. Ea etiam destillatione lactentes infantulos sanabimus. Hos verò nõ purgabimus nisi mollibus clysterib⁹: nisi fortasse nutrix purgans medicamentum deuorare nõ recuset. Sic enim medicamentoso illo lacte vtens infantulus facilè & sine molestia purgabitur. Caue ne fortes destillationes illis exhibeas. Interim victum nutrici instituеs talem qualem in principio descripsimus. Præterea purganda erit & ipsa, atque iis quę cõtagioni resistunt præseruanda. Senibus eadem ferè quæ pueris conferenda sunt remedia, aut si validiores sint, eadem quæ mollibus & delicatis corporib⁹. Plethoricis, & optimis temperaturis, quas sanguineas vocant, conueniunt potiones sudorificę, & apozema nostrum solutiuum. Suffitus, inũctiones, emplastra, cæteráque ipsi quidem ferunt: nõ tamen citra noxam. Nam pręter

Infantuli mollibus clysteribus purgãdi.

Victus nutricibus instituendus.

Senibus quæ conferenda remedia.

Plethoricorum remedia.

id quod argẽto viuo insigniter læduntur, ex inũctionis caliditate, hepar inflãmari, & sanguinem aduri contingit. Cõtemperãda ergo erunt illa cum butyro oleo rosaceo, cæterisque refrigerantibus. Igneas destillationes his ne dederis. Biliosis, calidis inquã siccisq; tẽperaturis ligni Indici primum decoctum propter caliditatem & siccitatem non confert, nisi cum pluscula aqua fiat, & longiorem decoctionem non sustineat. Sunt qui secũdario decocto vti malint, vtpote minùs calefaciente, nec adeò siccante. His validæ destillationes non prosunt. Inũctiones verò, loturę, emplastra permolesta sunt, nec periculo vacant, cum ob virium resolutionẽ, tum ob venosi generis atque hepatis ipsius ab intensa remediorũ caliditate adustionẽ, & nimiam argẽti viui penetrationem in raro corpore, & incredibile eius nocumentũ. Suffitus his valdè perniciosus est. optimum apozema nostrũ solutiuum. *Pituitosis quæ conueniant.* Pituitosis conueniunt, & septimi modi purgationes, & lignum Indicũ quando materia valdè crassa non est. Nam quando & lenta & crassa nimis est à sudorificis decoctis abstinendum. Neque enim adeò crassa tensaque materia apta est in vapores re-

ſolui & in ſudores tranſcolari. Quin ſi ſudorifica illa adhibueris, exhauſta per ſudores ſubtiliori humorum ſubſtãtia, reliqua poſtea reſidebit multò craſſior ac tenacior, medicamentis difficilius cædens quam antea: reſoluta nimirum ea ſubſtãtia per quam fluere & ferri ſolebat. Propterea præſtat hos inũctionibus aut emplaſtris curare. Suffitibus minùs quã cæteri moleſtantur. Deſtillatis aquis iuuantur: Melancholicis lignum Indicum cæteraque ſudores mouentia non conferunt, tum ratione ſiccitatis qua melancholici læduntur, tum quod is humor non facilè, nec ſine periculo in continuos illos ſudores vertatur. Periculũ enim eſt ne reſoluta ſubtiliori eius ſubſtãtia, reliquum humorem nimis tenacẽ craſſumque reddi contingat, & partibus tam pertinaciter adhærere, vt poſtea medicamentis extirpari educive nullo modo poſſit. Idque magis in melãcholico humore, quã in pituitoſo, propter naturalem illius tenacitatem ac craſſitiem medicamentis ac concoctioni repugnantem. Satiùs ergo eſt melancholicos ſanare ſeptimi modi purgationib⁹, craſſum illum humorem ſępe cõcoquendo, attenuando, incidendo, citra eui-

Lignum Indicum cæteraque ſudores mouentia melancholicis non conferre.

Melancholicos debere ſanari purgationibus ſeptimi modi.

dentem siccitatem, qua melancholicos offendi diximus. Hos iunctionibus, ceratis, suffitibus, curare non verearis. Suffitus ex cinnabari raro adhibetur, præterquam vbi cætera remedia non conferũt, aut ea recusat æger. In recidiuis certis partibus sine periculo adhiberi potest, in feris gummositatibus, nodis, vlceribus, & infestissimis doloribus. Medicamenta molliter purgantia conferunt mollibus delicatisque corporibus, pueris, senibus, & biliosis temperaturis. Plethoricis & pituitosis valentiora. Melancholicis primò quidem blandiora, postea verò efficacissima. In valdè pustulosis, vlcerosis, & elephãtico ferè habitu vtimur pilulis ex turbit, elaterio, aloë, cum theriaca formatis. Item, pilulis arthriticis, fœtidis, indis, ex hermodactylis, ex euphorbio, ex lapide armeno, ex lapide lazuli, ex puluere mercuriali, aut ipso argento viuo, vt diximus. Elleborus verò cum rectè præparatur ac corrigitur, cæteris omnibus iure præferri potest. Alioqui, morbus cum exacerbatus non est, fortia medicamenta non requirit: imò cæpe exasperatur illis, tollitur verò mollibus facilibusque purgationibus.

Medicamenta molliter purgãtia mollibus & delicatis corporibus conferre.

Elleborus rectè præparatus omnibus præfertur.

7. *De symptomatum curatione.*

EXpositis sex remediorum generibus, restat de symptomatum & morborũ tanquam symptomatũ succedentium curatione dicere. Sunt autem ea pustulæ, gummositates, tuberositates, nodi, vlcera, dolores, ardor vrinę, capillorum & vnguium procidentia, dentium mobilitas, cutis defædatio, & similia, quę magna ex parte octo illis modis ad sextam intentionem pertinentibus eliduntur, paucis exceptis, de quibus in secũdo libro latiùs dicetur. Si quod ergo symptoma, si quis morbus prædictis modis aboleri non potuit, ad particulares eorum curationes, quæ in secundo libro tractabuntur, recurrendum erit. Transeamus ad octauam & vltimam intentionem.

Qualia sint symptomata.

8. *De remediis contagionis.*

OCtauo loco proposuim⁹ infectionis ac cõtagionis seminaria extinguere ac interimere. quod tamen non solũ in fine curationis, verumetiã per totũ morbi decursum tentandũ admonuimus, sed in fine potissimũ toto conatu ac studio huic

vni remedio insistendum postquam ergo huius quoque rationem habuerimus, in victu, in præparatione, in sudorificis, cæterisq; remediis vltimo loco mixturas sequẽtes ad consummandã curationẽ, prohibẽdasq; recidiuas vtẽdas dabim⁹. Rec. radicis tormentillæ & angelicæ seminis, fraxini. an. drach. ij. corticis citri, cinna. seminis cardui benedicti. an. drach. j. ß. theriacæ ramentorum tenuissimorũ ligni Indici vnc. ß. theriacæ & mithridatij. an. drach. iij. sirupi de corticibus citri. q. s. misce & cõfice elect. liquidũ. Rec. radicis vincetoxici rosarum rubearũ cinnamomi. an. scrup. ij. seminis pæoniæ behẽ albi & rubei an. scrup. vnum, Dictãni, & xilobalsami. an. drach. ß. sacch. in aqua scabiosæ resoluti resoluti. q. s. misce & confice elect. in tabulis. Excedente caliditate addes semina acetosæ, endiuiæ, cucumeris, melonũ citruli, santalos, ebur, gẽmas. In pituitoso humore audẽter calidis vtẽdum. In melancholico, cortices capparũ, tamaricis, fraxini, & conseruæ, buglossæ, boraginis, inulæ, vtiliter adiicientur. Hisce compositionibus octo diebus continuis vtetur qui inunctiones, cerata, loturas, suffitus, destillationes, aut decocta su-

Quibus compositionibus vti debet qui inunctionibus vsus est.

dorifica adhibuit. In aurora quidē sumet mixturę liquidæ portiũculam magnitudine auellanæ; à prandio verò duabus aut tribus horis ante cœnam tabellā vnam. Qui septimi modi purgationibus vtuntur diebus quibus non purgantur hisce antidotis prædictis horis vti poterunt. Sunt qui eadem intentione dant theriacæ aut mithridatij drachmas duas cũ aquis endiuiæ & cichorij biliosis: cũ aquis bethonicæ, melissæ, scabiosæ, boraginis, buglo. ocymi, mēte, balsamitæ, pituitosis & melancholicis. Nos vino aut aqua decoctionis ligni Indici in prãdio & cœna semel vtendum pręcipimus. Ergo huius generis remedia calida esse oportet, vt illis tanquam igne purgetur ac consumatur quicquid humores inficit ac corrumpit. Frigida tamē aliqua misceri possunt, partim ad reprimēdum caliditatis excessum, partim ad roberandas principes particulas: videlicet rosæ, violæ, flores cichorij, myrti, nenufaris, semina acetosæ, citri, endiuiæ, margaritæ, coralli, santali, ebur, gemmæ, bolus armenus, terra sigillata, moderata portione tamen, ne aliorum vim obtundant, ac nimis reprimant. Calida ergo illa quę contagioni

Calida cõtagioni resistantia.

resistunt hæc sunt, lignum indicum, radix cynarum, calamus aromaticus, apios, gentiana, dictamnus, angelica, melissa, calendula, pimpinella, carduus benedictus, iris, acorus, rhaponticum, vincetoxicum, hypericũ, bethonica, cyperus, scordeon, thlaspi, gariofilata, scabiosa, schænantos, galanga, zeduaria, behen, cariophilli, macis, zingiber, cinnamomum, xilobalsamum, carpobalsamũ, lignũ aloës, semina pæoniæ, ocymi, iuniperi, ameos, crocus, myrrha, thus, theriaca, mithridatium, tritera. Media quodammodo temperatura sunt, verbena recta & supina, verbascum, tormentilla, tamarix, asparagus, oxylapathum, filix vtraque, gingidium seu cherefoliũ, cortex radicis mori & folia eiusdem, hedera, cortex citri, iecur lupinum, cãcrorum fluuialium cinis.

FINIS PRIMI LIBRI.

LIBER SECVNDVS DE MORBIS ET SYMptomatis. Luem Hispanicam aut comitantibus, aut consequentibus, vel præcedentibus.

De veteri morbo, & recidiuis.



DE recenti morbo Hispanico, & multiplici ac varia eiusdem curatione in primo libro satis dictum est. Trãseamus nunc ad inueteratũ & recidiuas. Horum curatio ex prædictis nullo negocio haberi poterit. Primò enim instituendus victus. Secũdò facili purgatione minuenda materia. Tertiò, secanda vena in quibus expedit. Quartò, præparandi humores. Quintò, euacuandi. Sextò, particularibus euacuationibus insistendum. Septimò, symptomatis occurrendum. Octauò, contagionis seminaria penitus consumenda. De quibus omnibus præterquam de septima intentione, copiosè diximus. Verùm cum sextæ, particularium inquam euacuationum varias for- *Curationes inueteratæ Luis hispanicæ.*

mas tradiderimus, scire conuenit in recidiuis & veteri morbo praestare septimi modi purgationes, & decocta sudorifica. Quibus si fortè morbus elidi non possit, ad inunctiones, cerata, & suffitus transeundum erit. Dicamus nunc de symptomatum & succedentium affectionum curatione. Sūt autem ea vlcera oris & faucium. Capitis, colli, scapularum, & articulorum dolores. gummositates, tuberositates, nodi, scirrhi. Alopecia capitis & barbae, vnguium casus, gingiuae putrefactae. Dentes mobiles & infecti. Pustulae & maculae cum faciei tum reliqui corporis. Pedum & manuum vlceratae rimae cū pruritu. Porrigo, foetor corporis. Hepatis incendium. Renum, vesicae, & meatuum vrinalium vlcera. virgę pustulę. Abscessus inguinum. Quorum vltima morbum non solùm consequi, verumetiam praecedere & tanquam latenter serpentis contagionis antesignani praeire solent.

Symptomata inueterati morbi Hispanici.

De oris & faucium vlceribus.

VLcera oris quae Luem hanc consequuntur, aut comitantur de genere corrodentium & malignorū esse constat, vt mirum non sit ea curationi tam perti-

naciter repugnare. Egent itaque & victu refrigerante & siccante, & post purgationes localibus & refrigerãtibus & siccantibus, admixto semper aliquo abstersorio in hunc modum, Rec. Plãtaginis & caudæ equinæ an. M. vnum rosarum balaustiorum summitatum absinthij & salicis an. P. j. ordei integri vnc. j. nucũ cupressi lenticularum sumach an. drach. iij. decoquantur sufficienter in aquæ partibus decem & vna aceti. & in colatura dissolue mellis rosati vini granatorum & diamori an. vnc. j. fiat gargarismus, vel sic. Rec. aquarum plantaginis rosarum & caprifolij an. vnc. ij. aquæ portulacę & diamori an. vnc. j. rob. de ribes mellis rosacei omphacij an. vnc. ß. misce pro gargarismo. Si prædictis nihil profeceris, ad valentius siccantia transeundum, Rec fæcis vini & fæcis aceti, æruginis, aluminis, nitri an. scrup. j. bulliant in aquis rosarum & plantaginis vna eáque leui ebullitione, mox colentur sine expressione valida, & xylo in hanc aquam infuso tange vlcerosa loca. Chirurgi vtuntur aqua sublimata, aut aqua forti quibus malum exasperari solet, nisi cum aquis rosarum & plantaginis artifisiosè mitigentur.

Ad vlcera oris curanda victus refrigerans necessarius

Oleũ ex mercurio empyrici probant. Ostentant emphyrici oleum ex Mercurio. Excellit aqua ex theriaca cum aquæ vitæ & aceti partibus æqualibus per cucurbitam vitream, imposito capitello destillata, dissoluendo in ea terram sigillatam aut armeniam, & partes erosas molliter contingendo. Huius loco vsus sum hac mixtura, Rec. aquarum rosarũ plantaginis & prunellorũ agrestium an. vnc. j. aceti & aquæ vitæ an. drach. vj. diamori & mellis rosati an. drach. iij. theriacæ boli armeni aluminis an. drach. ij. stent aliquot horas super prunas absque ebullitione, postea colentur leuiter. Si fauces malignior & remediis difficilè cedens vlcus obsederit, vnà cum prædictis sudores decocto ligni indici procura, & miraberis effectũ. Prudenter non faciunt qui inunctiones cerata, & suffitus hydrargyricos adhibent. quod his noua vlcera produci, & iam facta exasperari soleant.

De dolore capitis.

Quo clystere materiã dolorẽ capitis adfe- MAteriam dolorem capitis adferentem retrahere oportet hoc aut simili clystere. Rec. Betę altheæ mercurialis ruthæ, foliorum lauri, cataputiæ, vrticæ an. M. j. rad. polipodij vnc. j. corticis

geniſtæ

genistæ & seminis carthami contusi an. vnc. ß florũ stæcadis & chamæmeli an. p. j. fiat decoctio, & in colatura dissolue succi radicis ireos per residentiam depurati vnc j. catholici hieræpicrę diaphenici an. vnc. ß. olei ruthacei de castorio & anethini an. vnc. j. mellis anthosati drach. x. salis communis drach. ij. fiat clyster. Postea applicetur capiti hoc decoctum, Rec. ramentorum tenuissimorum ligni ind. vnc. ij. saluiæ, sticados, ruthæ an. M. j. vini antiqui flauescentis optimi lib. ß. olei antiq. lib. j ß. decoquantur ad consumptionem mediæ partis, & de colatura fiat embrocha, vel cum oleo ruthaceo misce rutham ipsam in puluerẽ redactam, & castorium & crocum, vel ex pulegio serpillo, satureia, origano, saluia, calamento, sabina, hissopo, lauri baccis, olibano, costo, zingibere, pyrethro, pipere, croco, castorio, euphorbio, fiat puluis: & cũ oleo ruthaceo, laurino, irino, nardino, & similibus inungatur. Sunt qui theriacam & mithridatium cum oleo ruthaceo & aqua vitæ imponunt. Sunt qui sacculos ex sale, & milio calefactos Alij nasturtij synapi & carui semina in aceto infundunt & torrent, & ex eis sacculos conficiunt. Atque hæc

rentem retrahere oportet.

Concurrente calida causa quænam sint adiicienda.

frigida & flatulenta existente, materia conueniunt. Calida verò concurrente causa adiicies oleum rosaceum acetum, omphacium, oleum violaceum, semina psyllij, hyoscyami & cætera frigida. Fracastorius in capitis dolorib⁹ ex Lue Hispanica procedentibus, restatur se nihil iuuãtius inuenisse, quàm inungere interna brachia, præsertim qua venæ cephalicæ protenduntur, hoc linimento: Rec. succi inulæ, succi bryoniæ, styracis liquidæ, terebinthinæ an. vnc. j. gummi elemi vnc. ß. pingued. vrsi, anseris, butyri an. vnc. j. ß. thuris, iridis an. drac. iij. olei irini quod sufficit, argenti viui octauam partem, misce fac linimentum. Quinto autem aut sexto quoque die catapotiis corruptum in cerebro humorẽ elicientibus vtẽdum. Interdum etiam sanguinis missione, & cucurbitulis auertenda materia. Hæmorrhoïdes quoque aperiendæ, & menstrua ducẽda mulierib⁹. Aut si neque his quieuerit malum, sudorificis decoctis aliquot diebus vtendum.

Opinio Fracastorij in sanandis capitis dolorib⁹ ex Lue Hispanica procedentibus.

De doloribus artuum.

CVm dolores artuum relinquuntur aut recleunt, fouentur partes affectæ

Vnguentis ceratis & emplastris Ioannis de Vigo, cæterísque remediis argentum viuum recipientibus. Nos hoc vnguento licet Mercurium non recipiat, prosperè tamen vsi sumus. Rec. vnguenti Martiati, resumptiui, aragõ, & de althea an. vnc. iij. pyrethri, hermodactylorum, nitri, zingiberis an. drach. vnam. olei chamæmelini, vulpini, laurini an. vnc. vnam. Olei de lateribus, & de terebinthina, aquæ vitæ, an. vnc. ß. petrolei drach. iij. aristolochiæ rotundæ drach. j ß. ceræ q. s. mixtis omnibus fiat vnguentum. Conferunt etiam olea ex ligno indico, aut granis lauri, vel iuniperi per chymistarum descensorium extracta: aut spuma ipsa in ligni indici decoctione collecta: & axungia hominis, leonis, vrsi, cati, & similes. Sunt qui ex ramentis ligni in nobili aliquo vino decoctis addito antiquo oleo linimẽtum parant. Alij cum cætera non prosunt ligni indici decoctum propinant, aut suffitum ex cinnabari adhibent. Alij ad balnea naturalia sulphurea, nitrosa, aluminosa, bituminosa & metallica, ægrum remittũt. Empirici rationale hoc rememediũ introduxerũt. Accipe 40. ouorum

Quibus vtedum vnguentis in doloribus artuum.

vitellos coctione induratos & dissipatos, cum vnciis sex pyrethri in puluerem redacti confundito & per vitrei vasis genus collum retortum habentis sine capitello destillato, lento primùm igne, postea vehementiore. Iterum liquorem qui fluxerit cum vncia vna castorij & semuncia thuris albi commisceto, adiectis hermodactylorũ drach vj. permixtáque vt antè destillato. Tertiò, liquorem cum fæcibus suis subigito & lauri baccas adiicito, & destillato. Si sæpius id feceris, oleum elicies in discutiendis morbi Hispanici doloribus, nulli remedio cõferendum. Proderit interim septimi modi purgationibus infestantem materiam adimere.

De gummositatibus, tuberositatibus, nodis, scirrhosisque tumoribus.

Suppuratæ tuberositates ossis corruptionem minantur.

ACcidunt sæpe tuberositates in capite, brachiis & tibiis molliusculæ quæ ferè suppurantur, sed si discutientia maturè adhibueris, resoluuntur. Suppuratæ autem ossis corruptionem minãtur. Qua de causa candenti ferro aperiũtur, facta postea abstersione & desiccatione sanantur. Accidunt quædam duriores ac compactiores materia tanquam nodis

constricta ac condensata. Has enim nonnunquam mollire ac resoluere tentãt, sed tandẽ cauterio incidunt. fit autem incisio secundum tumoris longitudinem, & profunditatẽ. Sũt tamen qui malint in radice qua nodus in partem inferiorẽ & expurgationi idoneam desinit, intacto ipso nodo cauteriũ leuiter affigere vt nodi materia ad eum locum sponte cõfluens paulatim euacuetur, & ab ossis inuasione reuellatur. Cauteriis enim profundioribus ossium putredinem ac cariem verentur. Interim imponenda nodo mollientia & cętera quæ conuenire videbũtur. Absque incisione sponte discutiũtur septimi modi purgationibus, plerumque etiam vsu ligni indici: aut si localibus opus sit, curãtur spuma in decoctione ligni collecta, cæterísque remediis ad dolores artuum facientibus. Fit plerũque vt cum maxima duritiæ, & dolore intolerabili in longitudinem tibiæ protendãtur. Conferunt his emplastra ex radicibus cucumeris agrestis, inulę, bryoniæ, ebuli, iridis: & ammoniaco bdellio, oppoponace, segapeno, styrace, terebinthina, cum pinguedinibus vrsi, cati, leonis, hominis, hirci, cerui, vituli, porci, butyro, adiecta ferè argenti

uiui quarta omnium parte. Quidam suffitum ex cinnabari adhibent. Alij (quod Galenus in tendonum scirrhis faciebat) in accensum & candentem pyriten, aut molarem lapidem acetū spargunt, & fomenent locum. Recentiores aceti loco ligni indici decoctum vsurpant.

De Alopecia capitis & barbæ.

In capillorum procidentia & depillatione quid agendum.

IN procidentia capillorum & depilatione foue locum olei myrthini, lentiscini & de meliloto, æqualibus partibus: vel absinthio, & corticibus auellanarum vstis, coctisque cum oleo myrthino: vel aqua decoctionis myrtillorum & fœnugræci: vel vino nigro austero, cum aloë cocto, vel ligno indico, in vino adstringēte cum melle & ladano percocto. Conferet etiam hæc mixtura, Rec. myrtillorum spicæ nardi, radicis asphodeli, corticis pini an. vnc. j. ladani, seminis apij, foliorum senæ, cyperi, an. vnc. ß. seminis papaueris albi, corticis tamaricis, seminis absinthij, rosarū albarum, semi. hederæ, an. ʒ. iij. ferueant in duplici vase in vino adstringente, aut in oleo myrtino, & lentiscino ad tertiæ partis consumptionē. Ad idem valet hoc odoriferum, Rec. pomatæ

vnc. ij. ladani vnc. ß. musci grana iij. aquæ rosatæ in qua grana sex sublimati bullierint vnc. vnam misce omnia & line partes depiles, & deformes. Conferet etiam aqua ex theriaca aceto & aqua vitæ destillata.

Aquã ex theriaca aceto & aqua vitæ destillatã conferre multum in capillorũ procidentia.

Ad vngues cadentes.

IIsdem ferè remediis retinebis vngues. quod si commodè fieri non possit, accelerabis casum cum vnguento basilico, aut cum farina triticea cum butyro & violarum maluarúmque decocto confecta. Remoto vngue abluatur locus cum aqua ordei saccarata, postea cum oleo ex vitellis ouorum, & tandem tegatur cera noua odorifera, cum paucula terebinthina, & pauco oleo rosaceo subacta. Sic enim nouus succrescet vnguis.

Ad gingiuas putrefactas.

GIngiuas putrescentes & erosas collues primò decocto ligni Indici aut tormẽtillæ postea absterges hac mixtura. Rec. mellis rosacei vnc. j. ß. eboris vsti rosarũ albarum, ossis sepiæ, myrrhæ, aloës an. scrup. i. Desiccabis tandem

Gingiuæ putrescentes et erosæ quom do curẽtur.

cum puluere gallarum vstarum & aluminis, vel cum communibus dentifriciis. Si hæc non prosunt, ad ea quæ oris & faucium vlcera sanant recurrendum.

Ad commotos & infectos dentes.

Dentes commoti & infecti quomodo cõfirmari debent.

Confirmabis & absterges commotos & infectos dentes aluminis vsti in aceto extincti, & cornu ceruini similiter præparati æqualibus, portionibus, facto inde dẽtifricio. Abstergũtur optimè cum aqua forti mixtione aceti & aquarũ adstringentium mitigata. Confirmãtur alumine rotundo, cum duplo sale dentibus asperso, adiecto interdum rosarum, & corallorum puluere.

Ad pustulas & maculas faciei & reliqui corporis.

Pvstulas & maculas liuidas rubentes nigras quotidie bis ablues aqua sequenti, Rec. masticis olibani dragaganti ladani an. drach. j succi limonum vnc. j. aquarum plantaginis & rosarum an. vnc. ij. sumach, tartari rubri, coralli albi, boracis an. drach. ß. sublimati in puluerem redacti gr. iij. bulliant simul in vase vitreo

lento igne ad quartæ partis consumptionem. Postea fiat colatura clarificata & aromatisata cum granis aliquot musci. Biduo aut triduo pustulas omnes & maculas delebis hac mixtura. Rec. albumen vnius oui recentis, agitetur donec spumescat, deinde adde sublimati & camphore an. gr. iiij. agitentur iterum simul & misceantur donec vnguenti formam recipiant. Sunt qui suffitibus ex thure borace, styrace, marcasita, & sublimato vtuntur. Pustulas tamen cum in declinatione fuerint oleo balanino, aut tartareo inungere conuenit, ne fædas cicatrices aut maculas relinquant.

Pustulæ & maculæ quomodo delentur.

Ad pedum & manuum vlceratas rimas cum pruritu.

PRuritum extingues cum succis limonum, & semperuiui: aut epithemate ex aloë in aceto scyllitico & muria cocto. Rimas verò simul & pruritum sanant oleum tartareum, oleum de vitriolo, tartarum & ærugo concorporata cum axungia porcina recente & limonum succo. Conferunt etiam borax, camphora, sublimati grana aliquot cũ pomata & oleo rosato subacta, & post fomẽtum ex mal-

Rimæ & proritus quomodo sanantur.

uis, rosis, violis, absinthio, inula opylato, fumaria illita: Cum cætera non prosunt, adhibentur suffitus ex marchasita, auripigmento, mercurio sublimato, cinnabari.

Ad porriginem & cutem furfuraceam cum faciei tum reliqui corporis.

In capite furfures multiplicãtes, discutiẽtibus & tergẽtibus sanari.

FVrfures qui in capite multiplicantur discutientibus & tergentibus sanantur, admixto semper aliquo adstringente ad roborandam partem affectam, ne facile suscipiat influentes serosos humores, sed resistat eósque repellat. Qua de causa parantur loturæ, vnguenta, linimenta, ex beta absinthio, apio, iride, stœcade, fœnugræco, parietaria, amygdalis amaris fabis, eruo, lupinis, alumine, nitro, pumice, atramento sutorio aqua marina, lixiuio, aceto vrina, muria, balneorum naturalium aquis. Quibus etiam ad totum corpus vti licebit. faciei tamen, cum furfuribus inficitur, blandiora parabimus in hunc modum. Rec. amigdalarum amararum, farinæ fabarum & orobi an. vnc. j. aluminis boracis masticis olibani tragacanthi an. vnc. ß. succi limonum vnc. ij.

aquarum plătaginis rosarum & liliorum alborum an. vnc. iij. lactis caprini recentis vnc. iiij. mixta omnia diligenter destillentur lento igne more solito, vel Rec. farinæ fabarum vnc. j. masticis tragacanthi boracis an. drach. j. ß. stet simul per diem integrum, in aquis rosarum & plantaginis, postea bulliăt leniter in duplici vase, & sine expressione colentur, & tandem addito aut vino albo aut aceto albo fiat lotura. Sunt qui ieiuni aquam rosaceam in ore continent, & rosata illa saliuą faciem abluũt. Sunt qui vrina propria vtuntur. Alij limones cum vino coquũt in minutissima frustra concisos. Alij micas panis albi adhuc calentis coquunt in vino albo & aquis fabarũ rosarum nenufaris. Excellit hæc destillatio, Rec. mellis rosati colati aquæ rosatæ & succi limonum an. vnc. ij. tragacanthi, masticis, cerusæ, amyli, olibani an. drach. iij. aluminis, coralli albi spumæ vitri, ossis sepiæ, boracis an. drac. ij. salis gemmæ, drac. j. ß. farinæ fabarum vnc. j. aquæ vitæ vnc. j. ß. albumina ouorum. iij. limacum cum suis testis contusorũ drac. vj. camphoræ drac. ß. cinnamomi vnc. ß. misce & destilla more chymico. Vtantur hac aqua tãquam præ-

Sanandorum furfurũ multi modi.

Quibus remediis vti debēt mulieres & quicunque nutrire formam, et venustatē sibi conciliare student.

ſtantiſſima mulierculæ,& quicunque nutrire formam & venuſtatem, ſibi cõciliare ſtudent. Verum in exitu balnei præſtabit hęc adhibere remedia, Balnei loco eſſe poterit vapor ex decocto florum maluę, violarum, roſarum, cichorij, liliorum alborum, chamæmeli, & roriſmarini exceptus.

Ad fœtorem corporis.

EXhalat plerunque fætidus ſudor, & putridus vapor è corporibus eorum qui pudendagra laborarunt contagionis ac infectionis ſeminariis in corpore adhuc vigentibus. Curabis hos purgationibus, vaporario, lauacris, & contagioni reſiſtentibus medicamentis, de quibus diximus in primo libro. Lauacris autem inſeres abſinthium, fumariam, origanum, ſerpillum, ſaluiam, pulegium, thymbram, inulam, mercurialem, oxylapathũ, ſcabioſam. Præſtabunt balnea naturalia aluminoſa, nitroſa, & ſulphurea. Odoribus præterea & benè olentibus perfuſionibus & pulueribus, extremitates & indumenta aſpergere conuenit.

Ad hepatis incendium.

AVgetur hepatis calor & putredine & inunctionibus & decoctorum calidorum vsu. Emendatur hoc linimento, Rec. succi filicis, & succi cichorij, vtriusque depurati vnc. j. santalorum omnium an. scrup. j. olei rosati vnc. ij. farinæ hordei drach. j. ceræ albæ q. s. misce & confice linimentum. Bibēdi etiam succi cichorij scariolæ, endiuiæ, rostri porcini: atque herbis ipsis & radicibus partim cum saccharo conditis, partim in iure decoctis, aut in patinis aceto & oleo aspersis, in prima mensa vtendum. Proderit etiam hoc electarium. Rec. succi cichorij depurati vnc. ij. succi portulacæ vnc. j. succi fœniculi vnc. ß. seminum cucumeris & endiuiæ an. drach. j. oxysacchari quantum satis erit ad commiscendum. Detur ieiuno magnitudo auellanæ, aut nucis iuglandis, cum iure pulli aut alio conueniente liquore: aut citra dissolutionē deuoretur. Victus refrigerans esse debet. vino non nisi dilutissimo vtendum. Ptisana hordei, & lac amigdalarum cum seminibus frigidis coctum, panata etiam cum omphacio, & alica cum succo granatorū

Quomodo augetur hepatis calor quomodoque emendetur.

Quibus hepatis calor in est victus refrigerans necessarius.

aut cum aceto cibi erunt cõuenientissimi.

Ardoœm vrinæ, & renum vesicæ meatuúmque vrinalium vlcera.

Vnde accidit vrinæ ardor.

ARdor vrinæ his ex vlcere potissimũ accidit. Deprehendes autem renum vlcera ex dolore in lumbis cum grauitate & veluti quodam pondere, ex vrina purulenta, innatantibus carnosis particulis aut veluti pilis. Vrina præterea facilè & citra dolorem emittitur. Vesica verò affecta vehemẽs cruciatus pectinem imúmque ventrẽ inuadit, vrina magna cum anxietate redditur, & fæculẽta simul excernũtur, aut muscosa, aut farinę instar crassa subsidunt. Aliquando etiam squamulæ circunferuntur, & lamineæ quædam substantiæ. Furfureæ verò hypostases vesicã scabie laborare significant. Vreterũ exulcerationem denotãt puris non adeo crassi mixtura & veluti capillamenta vrinis innatãtia: dolor etiam in media inter vesicam & renes regione. Si pus aut sanguis solus absque lotio excernatur, non in dictis particulis, sed in pudendo denotatur exulceratio. Curãtur instrumẽta vrinæ si affecta, primò quidẽ facilibus totius cor-

Quomodo instrumẽta vrinæ affecta curantur.

poris purgationibus. Secundo abstergentibus. Tertio desiccantibus, glutinãtibus, & simul vrinæ humorúmque acrimoniã extinguentibus. De purgationibus satis diximus. Abstergẽtia sint aqua mulsa, fœnugræci decoctum cum pauculo melle, aqua passularũ & hordei, decocta seminum cucumeris, melonum, maluæ, zizipharum, glycyrrhizæ cum mulsa, aut lac cum melle. Desiccabunt electrum, semen plantaginis, bolus armenus, terra lemnia, coriandrum tostum, ebur vstum, cornu cerui vstum, santali, coralli. glutinabunt amylum, traganthum, gummi arabicum, semina melonũ, cucumeris, portulacę, papaueris. Contemperabũt, & acrimoniam obtundent semina maluæ, melonum, cucumeris, cucurbitæ, citruli, portulacæ, papaueris albi, amylum, tragacantum, succus & puluis glycyrrhizæ, zizipha, myxa, vuę passę. Lac vero ad tergendũ glutinãdũmq; vlcus, & reprimẽdam mordacitatem mirificè conducet. Proderunt etiam nuclei pineæ nucis, amygdalæ, & pistacea aqua rosarum madefacta. Extrinsecus affecti renes & vreteres post detersionem inungendi erunt oleo rosaceo, myrthino, mastiche, thure, rosis, corallis, santalis.

Lac ad tergendũ glutinãdumque vlcus & reprimẽdã mordacitatẽ mirificè cõducere.

vesica vero affecta, per catheterẽ iniicies tergentia illa, quæque siccant, glutinant, & acrimoniam obtundunt. Pubi verò impones cataplasma ex symphyto & equiseto: aut equisetum cum oleo myrthino in pila plumbea contundes, postea exprimes succum & pubem inunges. Quæ remedia etiam in penis exulcerationibus præstantissima esse constat. Sed refrigerantibus iniectionibus crebrò vtendum non est: ne (quod sæpè accidit) nimio frigidarum rerum contractu, musculus collo vesicæ adhærens resoluatur, eóque resoluto vrina sponte decidat & defluat. Notandum etiam valenter adstringentia per os ingesta, hîc minimè excellere. Sibiipsis enim sunt obstaculo ne ad tam remotas particulas penetrare queant. quippe meatus per quos ferri debent valida eorum facultate constringi ac condensari contingit, vt longiùs eorum vis, propter constrictionem conduci non possit. Qua de causa terram armeniam & terram sigillatam cum mulsa, aut cæteris ad vias vrinales cito confluentibus propinare solemus. Nos peracta cum mulsa detersione hoc puluere vtimur. Rec. granorum halicacabi paria. vij. seminum cucumeris,

Cerebro refrigerantibus iniectionibus vtendum non esse.

Quibus vtendum remediis in viis vrinalibus cito confluentibus.

tis, portulacæ, & papaueris albi an. drach. iij. amyli ramentorum eboris, glycyrrhizæ radicis tormentillæ an drach. ij. margaritarum orientalium, coralli albi & rubei, an. scrup. j. sacchari ad pondus omnium, fiat puluis. Conferunt etiam hæ tabellæ, Rec. pinearum purgatarum horis duabus in aqua rosata calida temperatarum drach. ij. seminum cucumeris, melonum, portulacæ, papaueris albi an. drach. j. glycyrrhizę, santalorum alborum & rubeorum an. scrup. j. sacchari in aquis rosarum graminis & solatri resoluti q. s. misce & confice elect. in tabulis. Proderunt etiam nuclei pineæ nucis, myxa, zizipha, quæ diem integrum in aqua solatri maduerint.

Ad virgæ pustulas.

PVstulæ virgæ, quædam leues sunt & paucæ malignitatis: quædam maligniores ac pertinaciores suspitionem prębentes imminentis iam aut recidiuantis morbi Hispanici. Leues localibus abstergentibus & siccantibus (admixtis propter imminentes inflammationes refrigerantibus) curantur: nimirum hac mixtura quæ recipit tutiæ cum aqua rosata præ- *Luis Hispanicæ curatio.*

paratę æruginis an. drach. ij. anethi combusti, abrotani vsti an. drach. j. bulliant in aquis rosarum & plātaginis vnico feruore, mox sine expressione colentur. Maligniores post catholica remedia terges & siccabis cum vnguento ægyptiaco in dictis aquis dissoluto: postea etiam cum puluere mercuriali, aut mixtura sequenti, Rec. æruginis aluminis, pulueris mercurialis an. drach. j. vini albi vnc. ß. aquarum plātaginis, & rosarum an. vnc. j. bulliant leuiter & non colentur, vtere mixtis omnibus. Interea sumenda quæ contagioni resistūt, ne infectionis seminarium in partes internas irrepat, & venoso generi principibúsque particulis malum communicetur.

Ad abscessus inguinum.

Inguinū abscessus post venæ sectionem maturare conuenit.

INguinum abscessus post venæ sectionem & medicamētis factas euacuationes resoluere aut maturare conuenit: maturatos verò aperire. apertos tergere, & tandem siccare & ad cicatricem perducere. Resolues eos ammoniaco in aceto & aqua vitæ resoluto & diachylone ireato, & similibus. Maturabis & (quod tutius hîc esse putatur) concoques hoc vn-

guento. Rec. ficuum contusarum radicum liliorum alborum sub prunis coctorum an. vnc. j. axungiæ porcinæ & terebinthinæ an. drach. vj. farinæ tritici vnc. ß. olei oliuarũ & de lilio an. vnc. j. ß. croci scrup. ij. ceræ q. s. mixtis omnibus fiat vnguentum. Proderit hoc etiam. Rec. radicum bryoniæ & altheę elixarum & postea contusarum radicum liliorum alborum sub prunis coctorum an. vnc. j axungiæ porci colatæ, terebinthinę, & olei oliuarum antiqui an. vnc. j. ß. misce & confice vnguentum. De paratu facilibus est farina tritici in oleo antiquo decocta, & cum terebinthina confecta. Maturus tumor candenti ferro aperiri debet. Neque enim hîc tuta sunt quæ potẽtialia vocantur cauteria. Apertus mundetur cum melle rosato myrrha, aloë, admixto interdũ vnguento apostolorum, aut ægyptiaco: quibus theriacam aut mithridatium adiicere nõ erit inutile. Cõferet hac de causa vnguentum sequens Rec. farinæ fabarum vnc. ß. terebinthinę, theriacæ, mithridatij an. drach. iij. mellis ros. vnc. ij. myrrhæ & aloës an. drach. j. ß. olei de absinthio, & ceræ. q. s. fiat vnguentũ, his peractis desiccabis & ad cicatricem perduces

vlcus cum vnguento ex pompholige, cum triapharmaco, cum desiccatiuo rubeo, & cæteris huius farinæ. Interim ne putredo serpat, adhibebis remedia quæ contagionis seminaria extingunt ac interimunt.

FINIS SECVNDI LIBRI.

QVOD CHYNA ET APIOS DIVERSÆ RES sint: adiecto vtriusque radicis vsu.

PAVLO superioribus annis cum lignum illud Indicũ quod & sanctũ & Guaiacum appellãt, in extirpanda Lue Hispanica, & delenda arthritide inefficacius aut minus salutare videretur, introducta sunt à mercatoribus per noui orbis trãsmarina vagãtibus noua tria medicamina lõgè (si credere dignũ est) cæteris quæ medici in hunc vsque diem tentauerunt præstantiora, nempe Chyna, Sarza parilia, & Apios.

Chyna primũ locum obtinuit, primaque præparationis suæ documenta meruit, nõ sine catalogo multarũ suarũ laudum ab euidentibus experimentis petitarũ : quas tamẽ Vessalius ædito de hac libello enervare visus est. Cúmque ex mirabili illius vsus præscripto facilis per sudoris euocationem & exsiccationẽ expectaretur medicatio, desideratũ est vnũ opus ad quod inutilis ipsa videbatur, nempe alui solutio, quam ex radicis Apij (non selini, sed Chamæbalani) adiunctione petendã arbitrarũt. Successit Sarmentosa illa Sarza parilia, quæ & sparra, ad omnia ad quę & lignũ Indicum & Chyna conferens: imò etiam, si Empiricis & doctissimo Cardano fidem adhibemus, præualens. Hæc siue ob raritatẽ, siue ob negligentes distratosve nobilium suarũ operationũ assertores celebris esse nõ potuit, desiitque inter expeditæ venũdationis merces habere locum. Solent enim negotiatores lucri auidi nõ tam vtilibus quam facile vẽdibilibus mercimoniis officinas implere suas. Qui cum rerum ac remediorũ nouitate ad diuitem mercaturam inuitarentur, seorsum etiam commenti sunt Απιος illius vsum, quam priùs Chynæ diũctam

esse voluerant, vt nõ solum purgãdi gratia adhiberetur, verumetiam eliciendi sudoris causa sicut alia huius farinæ medicamenta decoqueretur ac ministraretur. Nec satis erat nouũ ostendisse remedium nisi & illud ex nouo orbe petitum cõstanter assereretur: domesticum alioqui, & in multis Gallię locis abũdans. Ac iam multo auro venundari cœperat, ac famosa euadebat hæc radix, nisi mercatorũ astutia, & medicorũ neglectu Chyna vtrumque nomẽ inuasisset, Chynæ & Apij: fortassę etiam Sarzæ parillæ nomẽ subitura, nisi huius assertores hanc à tanta iniuria vindicassent. Accidit vero in ea nominum confusione vt Chyna obliterato iam aut neglecto, & paucissimis hodie cognito proprio suo nomine, Apios passim nũc appelletur. Qua in re tolerari poterat illiteratorum mercatorum inscitia (modo fraus absit) quorum finis in lucro positus est, non in rerum corpori humano salutariũ electione preparatione aut vsu. Medicos verò celebres, atque ipsos medicinæ professores regios, penes quos sũma doctrinæ ac diligentiæ fides & vitæ humanæ securitas esse debuit, in tantam stupiditatem prolapsos quis ferat? Vir quidam

magni nominis à mercatoribus vt puto deceptus, huic malo incrementum dedit, qui non ſolum diſcipulos ſuos in hunc traxit errorem, verumetiam ſui conſortij doctoribus medicis (non omnibus, ſed doctrina leuiter tinctis) perſuaſit Chynã & Apion eãdem rem eſſe. Quod peruerſè ab illis introductum, oſcitanter verò à medicis receptum oſtendam ratione & ſenſu. Angebat mercatores circa Apion, quam peregrinam mentiebantur, tam citò detecta fraus. Vix enim commendari cœperat, cũ rei herbariæ peritiſſimi quíque eam paſſim apud nos prouenire cõmonuerunt. Non poterat verò communis & diuulgata radix diu venire chariſſimo, nec quod ipſi volebant, ingenti lucro cedère, ſi ſpoliata fuco prodiret in publicum. Quamobrẽ permutanda fuit hæc techna in nouam fraudem, in nouum errorẽ, in nouã hominũ perniciem: ſupprimẽda ac ab officinis explodenda fuit deploratæ fraudis Apios illa: & Chyna interim diuidenda, cõmunicanda, extollẽda, iis etiã qui Apion quærebãt, pro Apio diſtrahẽda. Hunc in modũ creuit paulatim horũ nominum confuſio: quam aliud agentes medici improuidè arripuerunt.

Qui si (vt professionis suæ legibus tenentur) ad descriptiones se cõtulissent, vidissent nullas plantas minus inter se conuenire. Nam Chyna magis rudibúsque ac inæqualibus frustis lignosa simul ac fungosa cõtemplãtibus apparet, foris subrubra, intùs subalba, gustu subacida, odore ferè nullo, acoro officinarum haud dissimilis si molem demas ac duritatẽ, adfertur ad nos arida, teredine ac carie erosa. Απιος radicem habet asphodelo similem, ad piri (vnde nomẽ habet) effigiem accedentem, rotũdiorem tamen, intus candidam, liquore plenam, foris verò nigrescẽte cortice tectã, vt scripsit Dioscorides: l. 4. c. 170. qualem nos sæpè vidimus, & adhuc exhibere possumus dictæ medicationis gratia transmissam, intus albam, ac nigrescentẽ foris, nihil ferè cõmune habentem cum Chyna. Si vires spectes, Apios tota aut succus eius supra & infra purgat: superior eius pars vomitione bilẽ pituitámque extrahit: inferior per aluũ: quod præter Discoridem notarunt Theophrastus, Paulus, & Plinius. Chyna neq; supra neq; infra purgat, imò siccat, & Apio egere creditur vt aluum moueat. Qua vna ratione erubescere debebant impu-

dẽtes isti materiæ medicæ perturbatores. Qui enim illius præparationem ac vsum scriptis mandauerunt, inter cætera iusserunt vt resistente aluo Apij huius (non felini, vt quidam hallucinantur, cuius vis per aluum purgatoria nulla est) portiuncula cum Chyna purgãdi gratia decoqueretur. Quid ergo in tam clarissima luce cæcutiunt? Si enim Apios decoctioni Chynæ aliquãdo inseritur, Chyna Apios non est. Facessant itaque, & desinant mirabiles isti doctores tam impudenter, ne dicam ignorãter hominibus imponere: & cognita rerum ac nominum distinctione, pallidam subrubentémque suam Chynã suo nomine recipiant: intus vero candidam, liquore plenam, nigrescente cortice tectam, Piro quodãmodo similem Apion appellent. Hanc, non illam purgatoriam agnoscant. Vtrique vim sudorificam & siccantem inesse credant: non sine facultatum aliarum complicatione ac natura, his aliis ve tẽperaturis & affectibus magis minús-ve consona. vtriusque vsum in libro nostro de Lue Hispanica tradidimus. Verum eundem quoque hic subiicere nos cogit propositi sermonis continuo.

Chynæ præparatio ac vsus ex vulgari Hispanorum & Italorum præscripto.

PVrgetur æger in principio medio & fine. Sumat. xxiiij. vncias radicis Chynę æqualiter dispertitas, vt xxiiij. curationis diebus inseruiant. Decoquat singulis diebus vnciam vnam tãtum, quam pridiè per transuersum incidet in tenuissimas assulas coronatis nummis aureis haud spissiores. Has per diem integrum infundet in aquæ iusta quantitate, & postea addet alias decem libras aquę, & coquet in vase terreo nouo & amplo ad tertiæ partis consumptionem, intecto semper vase, ne vis aliqua cum vapore exhalet. Tunc vas proximum igni cõstituendum, inuoluendumque pannis rudibus, ne decoctum citius quã oporteat refrigeretur. Parabis decoctum singulis diebus eodem modo: asseruatum enim acessit. Cumque ægro supprimetur aluus, addes singulis Chynæ infusionibus ac decoctionibus radicis Απιου semidrachmam. Sumet æger aquæ huius calentis poculum vnum magnum (quod aliqui libræ vnius metiuntur) in aurora: atque illico cooperietur pannis, &

duabus horis expectabit sudorē in lecto: qui si copiosus eruperit, magis iuuabit. Surget verò deterso sudore, & molliter inductus cauebit à vento, nec egredietur ante septimum aut octauum diem: sed continebitur domi, vbi lente deambulabit, & ociose incedet. Post octauum diem exire permittitur, modo calidis tegumentis contra aëris & ventorum iniurias præmuniatur. Interdiu cum bibere volet sumet dictæ aquæ quartum opus erit, sed tepidè. Quò enim bibitur calidior, eò salubrior existimatur. Edet pullos gallinaceos, aut capos sine sale elixos. Abstinebit ab aceto acetosisque omnibus: atque ab assis vsque ad quartum decimum diē. Lacticinia non attinget. Conseruas, Cydoniatum, dulcesque alias confectiones gustabit. Imprimisque Cydoniatum. conditurasque omnes ad laxandam aluum cōducentes assumet post pastum Mel verò (nescio qua ratione tamen) per totum curationis decursum plusquam cætera commendatur. Parcè hic edendum, quod victus tenuis æque conferre credatur ac Chyna. Neque vino neque iure aliquo ante xxiiij. diem vtendum. Cauendum à venere. Quod superest peracta iam &

consumpta. xxiiij. vnciarum decoctione, insolentur ac desiccentur prędictę assulæ quæ dictam decoctionem sustinuerunt, & postea concidentur in frustra adhuc minutiora, ac decoquantur vt prius in lib. xij. aquæ ad tertiæ partis cõsumptionem. Hac aqua vtetur ęger octo decémve diebus post xxiiij illos quibus sudor procurabatur. His verò sudor expectãdus non est, sed sola per remedij naturam exsiccatio. Extrinsecus fouẽtur vlcera & loca dolentia linteis in primo aut secundo decocto infusis. Abstinebit à piscibus, nisi forte in purissimos & saxatiles incidat, quos gustare permittitur. Si vires deiiciẽtur, vino in cibatu vti poterit Chynę aqua diluto: atque cibo omni euchymo. Quæ autẽ per omnia medicationis huius tempora prohibentur hæc sunt: concubitus, acetum, sal, acetosa & salsa omnia, olera & herbacia fercula, caro caprina & hircina, galli, lac: & assa omnia ante. xv. diẽ. Primis septẽ diebus mouebũtur dolores in partibus affectis, intendenturque vsque ad quintumdecimum: à quo tempore sedatis doloribus, & curatis vlceribus occulta remedij proprietate perficietur curatio. Post septimum diem venter

supprimi solet, molliendus (vt traditur) non Myropolarum artificiosis compositionibus, sed clystere ex aqua cichorij vel boraginis cum oleo rosato vel communi adiecto sale. Hæc quidem in lue hispanica, & infesta arthritide, & prauo corporis habitu facienda præcipiũt. In Phthoe verò, Cardiaca, hydrope, cęterisque morbis huic remedio parentibus, primum & secundum decoctum nullo expectato sudore siccandi tantum gratia propinatur. Qua intentione pleraque alia non minore successu parantur, vt lignum Indicum, Sarza parilia, Apios. Tormentilla, Acorus, bistorta, & similia, de quibus alibi diximus.

Apios vera quomodo preparetur ac vtenda detur.

APios, moderatè calida ac sicca radix intus alba, foris nigrescens, curiosa electione non eget. Recens enim atque integra facilè haberi potest, vt pote quæ in multis nostri cœli agris proueniat. Decorticanda primum est, deinde etiam incidenda in tenues assulas, sicut moris est apud plerosque raphanum mensis apponere. Harum vncia totum diem

maceranda in lib. ij. aquæ: deinde in vase magno coquenda, addendo alias quinque, septem, pluresve libras aquæ. hoc considerando, quod pauciore aqua efficacior redditur, sed purgatoriæ facultatis (quæ tædium mouere solet) nimis retinet: quam in copiosiore aqua non adeò efficaciter impertitur. Sic verò sudoribus affatim eliciendis idonea deprehenditur, nullo purgatoriæ qualitatis relicto tedio. Dantur bene mane decocti huius calidi vnciæ sex, octo, decem pro varia ægrotantium temperatura, natura morbi, & symptomatum concursu. Duabus vel tribus horis expectatur sudor in lecto, sicut in Chyna, cæterisque sudorificis. Paratur singulis diebus decoctum, aut tertio quoque die, ne corrumpatur. Propinatur viginti aut triginta diebus continuis, nisi quod septimo aut decimo quoque die crassiores superfluitates purgante medicamento euacuantur. Victus seruatur tenuis, qualis in vsu guaiaci. Bibitur dicta aqua vini loco. Vitantur humida omnia, atque olera, fructusque omnes, exceptis passulis & amygdalis. Vlcera ac loca dolentia sanãtur lotione & fotu huius aquę. Cum satis sudatum est, discutiũtur morbi

reliquiæ secundario radicis huius decocto: quod propinatur quatuor horis ante cibum mane, & tribus horis ante cœnam octo decem ve diebus continuis, negocia omnia liberè agente ęgro, adhibito etiam paulo pleniore victu, eoque boni succi, facilis concoctionis, minimè excrementitio, siccante potius quam humido. Qua de causa assa magis probantur quàm elixa, & panis biscoctus potius quàm alius. Secundarium autem decoctum fit vel proiiciendo in feces primæ decoctionis tantumdem aquę quantum in primo, & coquendo ad quartæ partis consumptionem sicut in ligno indico: vel insolando & desiccando assulas illas, & coquendo sicut in Chyna diximus. Hoc modo Apion parari ac ministrari vidimus ac legimus, vt nimirum aut ferè nihil discrepet à Chynæ præscripto. Vnde mirum videri non debet si incauti pharmacopolæ ac medici ex simili pręparationis ac medicationis artificio in nominum ac rerum cōfusionem inciderint. Quanquam satis monebantur vulgari illa Chynæ scriptura in qua Apios Chynę purgandi gratia addi præcipiebatur. Cætera ex descriptionibus petere debebant. Verū ne rece-

ptis his remediorum traditionibus pertinaciùs incistẽdum putes, aduerte Apion, Chynam, lignum Indicum, Sarzam pariliam præparationum ac traditionum suarum rationes sibi inuicem communicare, vt Apios interdum Chynæ modo apparetur, interdum Sarzæ modo: & Sarza ex ligno Indico non pauca mutuetur. Neque enim doctorum hominum, sed empyricorum sunt singulares illæ quæ circunferuntur regulæ. Has rationalis doctrinæ sectator medicus, pro circunstantiis variisque indicationibus in longum latumque extendere vel coarctare debet.

FINIS.

INDEX TOTIVS OPERIS.

A.

ddd

B.

C.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

P.

R.

S.

T.

V.

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pag.1.b.ver.1.hac 1.b.ver.13 cibis 1.b.v. 14.coctis 2.a.v.8.cibi 4.a.v.6.varie 8.a.v. 15.ἐπιμέτρου 11.b.v.19 ne 13.b.v.1. et quicquid 13.b.v.26.momento 14.a.v.1.appellati 19.a.v.24.cidratio 25.a.v.5.mixtis 29.a.v.2 modo 31.b.v.11.halitu 31.b.v.17.vrsi 32.a.v. 12.substãtiæ 37.b.v.5.cerebri 38.b.v.21.multum 39.b.v.25.frigidiorum 40.a.v.23.suam 46.a.v.13.familiares 47.a.v.1.belnensia 50. a.v.6.euphorb. 51.a.v.3.fotus 55.b.v.22.sinapi 55.b.v.22. illinatur 56.a.v.11.pro lita 56.a.v.25,panis 56.b.v.1.delibratos 56.b.v. 8.ari 56.b.v.16.trita 56.b.v.27.patellæ 57. a.v.19.syluestris 57.b.v.16.maioris 58.a.v. 18.subacta 58.b.v.4.medulla ceruina 59.b. v.1.puluerisata 59.b.v.2.cinis 59.b.v.5. ari radix 59.b.v.11.affricetur 60.a. v.17. tithimali 60.b.v.4.saluiæ 61.a.v.25. maioris 61. b.v.17.gayaci 61.b.v 25.gattariæ 62.a.v.2. odorata 62.a.v.5.senæ 62.a.v.6. catapotiis 62.a.v.17.caryophyllata 62.b.v.1. mastiche 62.b.v.16.allij 62 b.v.24.admouenda 63.a. v.24. mel anacardinũ 95.a.v.17.bullita 97. b.v.2.dialthea 99.a.v.9.corallum 103.a.v.13. in pyro 106.b.v.13. argenti 149.a.v.11.admouendum 188. v.11.curationis 188.b.v.16. iaspide 196.a.v.11. metrenchita 248.a.v.3. confirmatam 258.a.v.1.costi.

Priuilegij formula.

CAutum est edicto Regio ne quis hunc *Thesaurum sanitatis paratu facilem* sexennio proximo Imprimere aut vendere audeat, sub mulcta arbitraria ac librorum publicatione.